R. BELLARMINI

OPERA OMNIA

12

BX890
B383
v.12

007950

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080015583

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BELLARMINI OPERA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

U.
230
5.

VEN. CARDINALIS

ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J.

OPERA OMNIA

EX EDITIONE VENETA, PLURIBUS TUM ADDITIS TUM CORRECTIS
ITERUM EDIDIT

JUSTINUS FÈVRE

PROTONOTARIUS APOSTOLICUS

TOMUS DUODECIMUS

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, EDITOREM
VIA DICTA DELAMBRE 13.

1874

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria y Tesis
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
44640

BX 890
6383
v. 12

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS

CAPILLA ALFONSINA
FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

DE POTESTATE

SUMMI PONTIFICIS

IN TEMPORALIBUS

ADVERSUS

GULIELMUM BARCLAIUM

PRÆFATIO

Qui librum Gulielmi Barclaii de Potestate Papæ nuper emisit in lucem, neque nomen suum, neque typographi, ac ne loci quidem ubi liber excusus sit, prodere ausus est. Quamvis enim in quibusdam codicibus editus dicatur is liber Musiponti; id tamen confictum fuisse, exploratum habeo. Timuit videlicet, nec sine causa, pœnam, aut vituperationem; non præmium, aut laudem expectavit. Nomen tantum auctoris, quod ipse auctor, si viveret, libenter fortasse texisset, libere detexit; quod sciret eum ad judicem supremum avocatum et raptum, nihil negotii cum mortalibus jam habere. Hæc sane non boni operis argumenta sunt; qui enim male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta, Joan. III. Ipse etiam Barclaius veritus fortasse, ne incredibilis arrogantiæ, ac temeritatis arguerctur, si quasi alter Goliath, adversus acies omnium Catholicorum scriptorum unus procederet; dissimulata multitudine adversariorum, mea solius scripta ex proposito oppugnanda suscepit. Sed ego non tanti sum, ut causam Ecclesiæ universæ a me uno pendere existimem: novi imperfectum meum; scio me unum esse de multis, neque committam, ut communi causæ præjudicetur, sive disputando stem, sive cadam. Ea de causa primum afferam in medium sententias clarissimorum scriptorum ex omni natione orbis Christiani, ut omnes intelligant Barclaii sententiam singularem esse, et scriptoribus Catholicis omnibus tum theologis, tum sacrorum canonum, ac civilium legum professoribus repugnare. Mirum autem esset si Barclaius nunc viveret, et in theatrum tot virorum doctissimorum, Italorum, Gallorum, Hispanorum, Germanorum, atque Anglorum introductus, tot adversa lumina intueri, vel os aperire, aut omnino mutire auderet. Deinde, ut de sententia Catholicæ Ecclesiæ nemo dubitare possit, plurium conciliorum Patres in unum quasi maximum concilium cogam; ubi aliquot summi Pontifices, non pauci Patriarchæ, plurimi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, aliique viri doctissimi, qui variis locis, et temporibus olim congregati sederunt; nunc iterum simul omnes conveniant, et unam Barclaium in medium vocatum sententiis suis obruant. Postremo cum satis constiterit, tum ex singulis scriptoribus, tum ex conciliis generalibus, quis sit Ecclesiæ Catholicæ sensus de summi Pontificis potestate in temporalibus: tum demum ad Barclaii objectiones solvendas, atque ejus argumenta examinanda deveniam. Et quoniam Barclaius potestatem summi Pontificis

007050

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in temporalibus universe negat, ego quoque potestatem eamdem universe astruam, non multum laborans, si ea potestas sit absoluta, vel in ordine tantum ad spiritualia se extendat. Relaturus igitur sententias illustrium scriptorum Occidentalis Ecclesiæ de Potestate Papæ in temporalibus, visum est ab Italica natione incipere, quia idem observatum esse video in concilio Constantiensi sess. 41.

Sententiæ illustrium Scriptorum nationis Italicæ.

Primus igitur ex Italica natione prodeat S. Gregorius VII. Papa, qui lib. VIII. Registri sui, epist. 2. ad Episcopum Metensem, copiose docet, posse a Romano Pontifice principes Christianos excommunicari, et principatu privari, eorumque subditos ab obedientia eorum absolvi : « Quod autem, inquit, postulasti, te nostris scriptis juvari, et præmuniri contra illorum infamiam, qui nefando ore garriunt, non potuisse auctoritatem sanctæ, et Apostolicæ Sedis regem Henricum excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis ejus absolvere, etc. »

S. Thomas Aquinas, qui non solum excellenti doctrina floruit, sed ea sanctitatis gloria fulsit, ut eum ab omni adulatione erga Pontificem longissima abhisse, dubitari non possit, in 2. 2. quæst. 10. art. 10. : « Considerandum est, inquit, quod dominium, vel prælatio introducta sunt ex jure humano : distinctio autem fidelium, vel infidelium est de jure divino : jus autem divinum quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione : ideo distinctio fidelium, et infidelium secundum se considerata, non tollit dominium, et prælationem infidelium supra fideles. Potest tamen juste per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale jus dominii, vel prælationis tolli ; quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei, sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque non facit. » Hæc S. Thomas, qui duo dicit adversus Barclaium : unum est, dominium, et prælationem introductam esse de jure humano, non ex jure divino, ut Barclaius frequenter affirmat ; alterum est, auctoritate Ecclesiæ, quæ sine dubitatione plenissime residet in Papa, privari posse principes infideles dominio, quod habent super fideles. Neque per infideles intelligit S. Thomas solos Ethnicos, ut videtur existimare Barclaius, sed omnes infideles, sive pagani, sive judæi, sive hæretici sint : nam art. 6. ejusdem quæstionis enumerat, et comparat inter se species infidelitatis, ac dicit : « Hæreticos esse infideles paganis, et judæis absolute, et simpliciter deteriores; » deinde artic. 10. de omnibus infidelibus diserte pronunciat, « posse eos privari dominio, quod habent super fideles, si Ecclesia judicet expedire. » Idem repetit qu. 12, art. 2. et addit : « Propter alia etiam crimina, posse ab Ecclesia privari dominos dominio, quod habent super alios. » Idem in eadem 2. 2. quæst. 60. art. 6 : « Ad tertium potestas, inquit, sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ, et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis prælatus se intromittat de temporibus. » Idem S. Thomas in 2. sent. dist. 44. in fine, dicit, in Papa esse apicem utriusque potestatis spiritualis, et temporalis. Idem, si tamen idem lib. III. de Regimine principum cap. 10 : « Quod si dicatur, inquit, ad solam referri spiritualem potestatem (plenitudinem videlicet potestatis Pontificiæ) hoc esse non potest, quia corporale, et temporale ex spirituali, et perpetuo dependet. » Et cap. 10 : « Simile contingit in principe totius regni, quia pro conservatione regiminis super subditos ampliatur ejus potestas imponendo talcas, destruendo civitates et castra pro conservatione totius regni. Multo igitur magis conveniet summo, et supremo Principi, id est, Papæ ad bonum totius Christianitatis. » Hæc ille. De quo etsi non nihil dubium est, an sit S. Thomas, cum cap. 20. sequenti mentionem facit Alberti imperatoris, cujus tempora S. Thomas vivendo non attigit : et quia cap. 10. citato, S. Petrum Christi successorem non semel appellat; qua voce successoris videlicet, uti non solent, qui proprie loquuntur, ut S. Tomas in primis solet; tamen auctor est antiquus, et doctus, quem Barclaius spernere non potest.

Sanctus Bonaventura, vir doctissimus, et sanctissimus Episcopus Card. Albanensis, tantum abfuit ab adulatione Pontificis, ut ne levis quidem suspicio tanti criminis in eo unquam adhæserit. Is nihilominus, in lib. de Ecclesiastica hierarchia, part. 2, cap. 1. sic loquitur : « Jam vero possunt sacerdotes, et pontifices ex causa amovere reges, et deponere imperatores, sicut sæpius accidit, et visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, et reipublicæ necessitas sic requirit. Summus vero Pontifex penes quem in terris prima residet auctoritas non a rege, non a principe sæculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur. »

Ægidius Romanus ordinis sancti Augustini, archiepiscopus Bituricensis, in tract. de Potestate ecclesiastica, part. 1. cap. 30 : « Sed, inquit, diceret aliquis, quod reges et principes spiritualiter non temporaliter subsint Ecclesiæ, sed hæc dicentes vim argumenti non capiunt : nam si solum spiritualiter reges et principes subessent Ecclesiæ, non esset gladius sub gladio; non essent temporalia sub spiritualibus; non esset ordo in potestatibus ; non reducerentur infima in suprema per media, hæc ille, qui toto illo tractatu hoc probat potestatem Ecclesiæ, quæ plenissima est in summo Pontifice, non ad sola spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendere. »

Beatus Augustinus Triumphus, alias de Ancona, vir adeo pius, et doctus fuit, ut in ejus sepulcro, beati titulum incisum videamus. Is in lib. de Potestate Ecclesiæ quæst. 22. artic. 3. « Imperatorem, inquit, a Papa posse deponi quis ibit inficias? ejus enim est deponere imperatorem, cujus est eumdem consituere, id quod exempla ipsa declarant. » Vide plurima alia in tota quadragesimæ quæstione.

Beatus Joannes de Capitrano, qui doctrina, et miraculis Ecclesiam Catholicam illustravit, in lib. de Potestate Papæ, part. 2. secundæ partis principalis, in argumento octavo decimo pag. 54. editionis Venetæ anni 1588 : « Papa, inquit, principes in spiritualibus, debet similiter in temporalibus eminere, ut tamquam dignior propter eminentiam, supremus in omnibus habeatur. »

Sanctus Antoninus Florentiæ archiepiscopus, vir æque sanctus, ac doctus, atque ab omni adulandi specie alienissimus in summa sua part. 3. tit. 22. cap. 3. §. 7 : « Talis, inquit, est potestas imperatorum, regum, et principum, quia per Papam habet institui, regulari, et confirmari, si bona est; et per ipsum habet judicari, et condemnari, si bona non est. » Item cap. 5. §. 7 : « Potest, inquit, ipsos reges ex causa rationabili deponere. »

Isidorus Mediolanensis ordin. Prædicat. lib. II. de imperii militantis Ecclesiæ dignitate, tit. 8. concl. 3. « Papa, inquit, potest eorum demeritis exigentibus imperatorem ac regem deponere. »

Gabriel Biel insignis Theologus, lect. 23. in canone Missæ : « Ille; inquit, regit, et custodit, qui propter ipsius Ecclesiæ regimen, unum (Papam videlicet) præposuit universis, ut omnes ab uno, sicut corpus a capite gubernatur. » Et prope finem : « Papa transfert potestatem supremam sæcularem de gente in gentem, et imperatorem deponere potest, etc. »

Thomas Cajetanus ordin. Prædic. S. R. E. Card. doctrina, et vitæ integritate insignis, in Apologia, de comparata auctoritate Papæ, et Concilii, part. 2. cap. 13, ad octavum, idem docet : nam proposito argumento octavo adversarii his verbis : Octavo, quia nonnulli summi Pontifices inveniuntur defluivisse, se in temporalibus habere supremam potestatem : cæteri vero in oppositum. Respondet his verbis : Ad octavum dicitur, quod quia potestas Papæ directe est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finem humani generis; ideo suæ potestati duo conveniunt : primo, quod non est directe respectu temporalium : secundo, quod est respectu temporalium in ordine ad spiritualia ; hoc enim habet ex eo quod ad supremum finem omnia ordinari debent, etiam temporalia, ab eo procul dubio, cujus interest ad illum finem omnes dirigere, ut est Christi Vicarius : primum autem ex natura suæ potestatis consequitur. Ex his autem sequitur, quod utrumque vere potest determinare, ut Papa : et quod habet supremam potestatem in temporalibus ; et quod non habet supremam potestatem in temporalibus : quoniam utrumque verum est ad sanum intellectum, affirmatio namque est vera in ordine ad spiritualia : negatio vero est vera directe, secundum se ipsa temporalia. Unde nihil ex utraque decisione erroris accidit. »

Alexander de S. Elpidio ordin. Eremitarum S. Augustini in lib. de auctoritate summi Pontificis, et juridictione imperii, cap. 9. « Deo, inquit, non subditur, qui subjectus non est Dei Vicario, et ecclesiasticæ potestati : nullus ergo rex, nullus temporalis princeps, cujuscumque conditionis existat, excipi potest, si Christianum se fateri vult

nomine, et re : quia etiam in temporalibus potestati supremæ spirituali subjici debent. »

Petrus de Monte Venetus, et episcopus Brixiensis, in Monarchia, part. 2. quæst. 4. in fine : « Magnam, inquit, habet potestatem Papa super imperatorem, quia ex delicto eum deponit. »

Petrus Ancharanus in cap. Canonum statuta, n. 6. de constitut. : « Papa, inquit, habet utrumque gladium, et superioritatem ad imperium, et hinc est, quod imperatorem coronat, et inungit, et quandoque deponit. »

Sylvester Prierias ordin. Prædi. theologus, et canonista doctissimus, in Summa, verbo, Papa, n. 10. : Papa, inquit, potest eligere imperatorem per se ipsum immediate, quando ex juxta, et rationabili causa expediret : quia principalis agentis habentis dirigere omnes fideles ad pacem, et finem spiritualem, est eligere ministros. » Et infra : « Potest (Papa imperatorem) dignum excommunicatione excommunicare, et dignum depositione deponere. » Et num. 11. : « Habet (Papa in reges, et principes Christianos omnes) universalem spiritualium, et temporalium jurisdictionem. » Et infra : « Potest ex rationabili causa deponere. »

Astensis in Summa, 1. part. lib. II. tit. 64. art. 4. pag. 201 : « Ex prædictis, inquit, colligo, quod principes sæculi, et domini temporales, non tantum propter hæresim suam, sed etiam propter negligentiam exstirpandi hæresim aliorum, sunt excommunicandi, ab Ecclesia deponendi, de terris suis expellendi, et terræ eorum occupandæ Catholicis possunt exponi, et idem, si princeps circa regnum, et justitiam faciendam, inventus fuerit negligens, insufficiens, et ineptus : Unde Zacharias deposuit Childericum, et Innocentius Othonem. »

Nicolaus Abbas Panormitanus, in cap. solitæ, de major. et obed. num. 7. « Papa, inquit, potest rationabiliter increpare imperatorem, et alios principes sæculares, et non mirum, nam potest eos ex causa deponere », idem docet in cap. Per venerabilem. Qui filii sint legitimi.

Joannes de Anania, Archidiaconus Bononiensis in cap. licet, de voto, num. 10. « Papa, inquit, privat laicum ordine genituræ, quia habet potestatem super reges, et regna. Unde deponit imperatorem. »

Bartholus in l. si imperator. C. de legibus, num. 4. « Jus, inquit, eligendi imperatorem habent principes de Alemania, et jus privandi solus Papa habes ».

Baldus in procemio ff. vet. : « Solus, inquit, Papa privat imperatorem ».

Petrus Andreas Gambara, in tract. de officio, et potestate Legati lib. II. tit. de Variis ordinariorum nominibus, num. 220. « Solus, inquit, Papa deponit imperatorem, et reges, demeritis suadentibus ».

Restaurus Castaldus, in lib. de Imperatore qu. 81. « Solus, inquit, Papa sine Concilio deponit imperatorem, quia Papæ, et Christi unum est tribunal ». Et infra : « Papa principem quantumcumque exemptum, si expedit, punit, et deponit. »

Dominicus Cardinalis Tuscus vir doctissimus, qui adhuc vivit, et magnum opus ante paucos annos edidit, in sexto tomo Practicarum conclusionum, verbo, Papa, multos auctores citat ad hoc ipsum propositum : ad eum, si quis plures auctores velit, lectorem remitto.

Sententia illustrium Scriptorum nationis Gallicæ.

Sanctus Bernardus lib. IV. de Consideratione cap. 4. « Quid tu, inquit, denno usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam : quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic : *Converte gladium tuum in vaginam.* Tuus ergo et ipse tuo forsitan nutu, et si non tua manu evaginandus, alioquin si nullo modo ad te pertineret, et iis, dicentibus Apostolis, ecce duo gladii hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiæ, et spiritualis scilicet gladius, et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exerendus est, ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, et jussum imperatoris, hæc sanctus Bernardus, qui certe non diceret, gladium materialem Ecclesiæ esse, et non solum pro Ecclesia exerendum, sed etiam ad nutum sacerdotis exerendum, si cum Barclaio, existimaret, potestatem in temporalibus nullo modo ad Ecclesiam, ejusque Præsidem pertinere ». Sed de hac sententia suo loco plura dicemus.

Petrus de Palude Patriarcha Hierosolymitanus, vir doctissimus, in tract. De causa immediata Ecclesiasticæ potestatis artic. 4. qui est de potestate Papæ, sic loquitur : « Licet Papa non habeat confirmare quemlibet regem, qui consensu populi a principio regnum assumpsit : tamen potest deponere omnem talem, non solum propter hæresim, aut schisma, aut aliud crimen intolerabile in populo, sed etiam propter insufficientiam, utpote, si quis idiota sensit, vel impotens viribus in regno præesset, et propter ejus insufficientiam regnum fidelium periclitaretur. » Et infra reddens rationem ait : « Quia Papa est superior in spiritualibus, et per consequens in temporalibus quantum necesse est pro bono spirituali. »

Durandus Episcopus Meldensis theologus insignis, in lib. de Origine jurisdictionum, quæst. 3. « Quia, inquit, utraque potestas temporalis, et spiritualis est necessaria, ideo utramque potestatem (Christus) contulit Petro. » Et infra : « Isti sunt veri termini jurisdictionis spiritualis, et temporalis a fundatione Ecclesiæ, quos transgredi non licet ; quia jurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil novit : jurisdictio vero spiritualis se extendit primo, et principaliter ad spiritualia, secundario vero, et per quamdam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritualia tamquam ad finem. »

Erveus Brito Ordin. Prædic. Magister Generalis, et theologus acutissimus, tract. de Potestate Papæ §. Ad evidentiam secundi, sic loquitur : « Ad Papam pertinet corrigere omnem abusum tam potestatis Ecclesiasticæ, quam terrenæ in quocumque existente de populo Christiano ».

Jacobus Almain in tract. de Suprema potestate ecclesiastica, et temporali, quæst. 2. principali, quæ est de suprema potestate laica, cap. 3. ad tertiam allegationem : « Papa, inquit, potest imperatorem deponere in duobus casibus : primus, pro crimine pure spirituali, ut est hæresis : secundus, quando illi, ad quos spectat jure ordinario, sunt negligentes ipsum deponere. Ibidem ad quartam allegationem, sic ait: Si gens imperii efficeretur hæretica, vel transferret se ad aliam sectam dimittendo sectam christianam : posset propter hoc Papa illam gentem privare dignitate imperiali, et sic transferre in aliam gentem ».

Henricus Card. Ostiensis in Summa tit. de Hæreticis. paragr. Qua pœna puniantur num. 11. « Nota, inquit, quod domini temporales, non solum propter suam hæresim, sed etiam aliorum, quod cum possunt admoniti exterminare negligunt, excommunicari possunt, et terræ ipsorum exponi Catholicis occupandæ. Idem si princeps negligens inveniretur circa regimen, et justitiam faciendam. Unde Zacharias Papa deposuit Childericum regem Francorum. »

Petrus Bertrandus Cardin. et Episcopus Eduensis, in tractat. de Origine jurisdict. quæst. 4. num. 5. « Potestas, inquit, spiritualis debet dominari omni humanæ creaturæ : et quemadmodum Jesus Christus dum fuit in hoc mundo, et etiam ab æterno naturalis Dominus fuit, et de jure naturali in imperatores, et quoscumque alios depositionis, et damnationis sententias ferre potuisset : ita eadem ratione ejus Vicarius. »

Joannes de Sylva, tract. de Beneficio p. 3. quæst. 8. « Et Papa, inquit, potest deponere regem. »

Stephanus Aufrerius, in tract. de Potestate sæcularium, num. 5. et 6. « Papa, inquit, ipsum imperatorem tamquam inferiorem destituit, exigentibus causis : et in omnibus arduis negotiis, et maximis difficultatibus generantibus scandalum in christianitate, Papa potest hujusmodi majoritatis ratione se intromittere, etiam inter laicos, et exercere hujusmodi potestatem sibi a Deo attributam.

Gulielmus Durandus Episcopus Minatensis, speculator vulgo dictus, in speculo lib. I. tit. de legato. §. Nunc ostendendum, num. 17. « Papa, inquit, deponit imperatorem propter ipsius iniquitates, et dat (principibus) curatores, ubi ipsi sint inutiles ad regendum. »

Joannes Faber in legem primam, num. 16. C. summa Trinit. et fid. catholica. « Sed, inquit, de Papa non est dubium, quin se superior omnibus Christianis, et in temporalibus, et in spiritualibus. » Et infra : « Cum agitur de præjudicio animæ, vel populi, Papa potest, et debet providere, et si necesse sit, quoscumque reges deponere ».

Ægidius Bellamera Episcop. Avenionensis, in cap. Alius. 15. quæst. 6. num. 2. sic ait : « Papa potest deponere imperatorem, qui ab eo temporalitatem recognoscit ». Et infra : « Etiam alios reges, licet ab eo regna sua non teneant infæudum, nec temporalitates suas ab eo recognoscant, nec juramen-

tum fidelitatis ei præstent, videlicet pro delictis, et negligentiis. » Et infra : « Depositio autem regum facienda per Papam, non ex illa ordinaria; sed ex quadam suprema, et absoluta potestate procedit : et quod illam supremam, et absolutam potestatem Papa habeat, videtur multum æquum, et reipublicæ valde expedieus, scilicet ut sit aliquis supremus monarcha, qui regum hujusmodi excessus possit corrigere, et de ipsis justitiam ministrare. » Vide eumdem, in cap. Novit, de Judic. et in cap. Solitæ, de major. et obed.

Joannes Quintinus Hæduus in repetitione ad c. Novit, de Judic. num. 64. « Quare, inquit, ponimus utrumque gladium Ecclesiæ datum esse, hoc est, Ecclesiæ Pontificem habere jus, et potestatem in spiritualia simul, et omnia temporalia, atque de his statuere, et decernere ex causa posse, cujus decretis standum : nam quamvis homo sit mortalis, tamen cœlesti potestate pollet. » Et infra num. 127 : « Hoc, inquit, jure Papa Zacharias anno Christi nati 753. Childericum longa majorum serie legitimum Galliæ regem, et possessorem regno avito destituit, et in ejus locum Pipinum Belgam substituit, causatus peccatum esse, hominem tantæ imparem potestati, inertem, et nihil agentem reipublicæ gubernacula moderari. » Et infra : « Hinc et Leo, ut Pontifex Romanus, eadem fultus auctoritate Carolum pariter Gallorum regem, romanum creavit imperatorem. »

Remundus Ruffos, contra Molinæum c. 6. pag. 106. « Non ignoramus, inquit, Leonem III. Pontificem Græcis ademptum imperium in Carolum Magnum contulisse : id enim cum nostri Annales, tum Græcorum libri testantur : quod jure sibi quæsitum, et Carolus Magnus, et posteri Franci, Germanique putarunt. Omitto Pipinum a Stephano II. vel ut nonnulli, a Zacharia regem factum, detruso in Monasterium Childerico ignavo, stupido, et bardo rege. »

Sententia illustrium Scriptorum nationis Hispanicæ.

Sanctus Raymundus, in Summa lib. 1. tit. de Hæreticis. §. 7. Ex præmissis, inquit, inter alia collige notabiliter, quod judex, vel potestas sæcularis, non solum propter hæresim suam; sed etiam propter negligentiam contra hæresim extirpandam, potest non solum excommunicari ab Ecclesia; sed etiam deponi : et extende hanc pœnam, et Ecclesiæ potestatem quandocumque princeps aliquis sæcularis fuerit inutilis, dissolutus, et negligens circa regimen, et justitiam observandam. 17. quæst. 4. §. Si quis princeps.

Pelagius Alvarus Episc. Sylvensis ex Ordine Minorum assumption. in tractat. de Planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 21. Papa, inquit, transfert imperium, et confirmat imperatorem, electum canonice inungit, et coronat; et contumacem, et persecutorem Ecclesiæ imperio privat.

Joannes de Turrecremata S. R. E. Card. doctissimus, in Somma de Ecclesia lib. 11. cap. 113. propositione 4. docet, Papam jure papatus non habere extra principatum suum ecclesiasticum potestatem in temporalibus directe : sed cap. 114. docet per sexdecim conclusiones, Papam in ordine ad spiritualia habere potestatem amplissimam in temporalibus. Referam hoc loco unam tantum conclusionem. Quarta propositio, Romanus Pontifex videtur jurisdictionem etiam in temporalibus habere, quia non solum principes sæculares circa usum suæ jurisdictionis delinquentes potest per censuram Ecclesiasticam coercere; verum etiam notabiliter negligentes a dignitate deponere. Videat lector totum caput, et commentarium ejusdem auctoris in cap. Alius. 15. quæst. 6.

Cyprianus Benetus Aragonensis Ordin. Prædic. in libro de prima orbis sede, in resp. ad sextum pro 2. parte conclusionis primæ. In traditione, inquit, clavium includitur etiam collatio terrenarum potestatum pro conservatione bonorum spiritualium.

Franciscus Victoria Ord. Prædic. de Potestate Ecclesiæ Relectione 1. quæst. 5. prop. 8. In ordine, inquit, ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes principes, et reges, et imperatorem, et infra : Quando necesse est ad finem spiritualem potest, non solum omnia, quæ principes sæculares possunt; sed et facere novos principes, et tollere alios, et imperia dividere.

Dominicus a Soto Ordin. Prædic. in 4. sent. dist. 25 quæst. 2. art. 1. concl. 3 : Potestas, inquit, quæcumque civilis eatenus est ecclesiasticæ subjecta in ordine ad spiritualia, ut Papa possit per suam spiritualem potestatem, quoties ratio fidei et religionis exegerit, non solum ecclesiasticarum censurarum fulminibus adversus reges agere, eosque cogere; verum et cunctos christianos principes temporalibus bonis privare, et usque ad eorum privationem procedere.

Alphonsus de Castro Ordin. Minor lib. II. cap. 7. de justa hæreticorum punitione, sic ait : Nec mirari debet aliquis, quod Papa propter hæresis crimen regem a regia dignitate deponat, et regno privet; quoniam in negotio fidei, etiam reges, sicut et alii inferiores subduntur summo Pontifici.

Jacobus Simanca Pacensis Episc. in lib. de Catholicis institutionibus tit. 45. num. 25. Quamvis, inquit, Ecclesiastica potestas distincta sit a sæculari, et Papa jurisdictionem civilem non habeat in sæcularium principum regna : nihilominus tamen in ordine ad finem spiritualem habet Pontifex Maximus amplissimam potestatem in omnes principes Orthodoxos. Unde si princeps aliquis inutilis esset, aut iniquas leges contra religionem, aut contra bonos mores conderet, aut quidpiam simile faceret in detrimentum rerum spiritualium, posset Papa servatis justis circumstantiis, congruum remedium adhibere, privando etiam talem principem administratione, et jurisdictione.

Dominicus Bannes, in 2. 2. quæst. 10. art. 10. in fine commentarii, paragr. Quarta concl. Ita etiam, inquit, a jure divino positivo est potestas, quam habet Pontifex ad auferendum dominium, et jurisdictionem ab infidelibus supra fideles : quando autem utendum sit hac potestate, relinquitur ejus dominio, vel judicio; et quæst. 12. art. 2. in comment. paragr. Circa ultimam conclus. Ecclesia, inquit, non tantum privat dominio in subditos, principes apostatas perfecte, verum etiam illos, qui lapsi sunt aliquo pacto in hæresim.

Martinus Ledesmius in secunda quartæ quæst. 20. art. 4. concl. 8. In ordine, inquit, ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes principes, et reges, et imperatores.

Gregorius de Valentia, in 2. 2. disput. 1. quæst. 12. punct. 2. asser. 2. : Jure, inquit, ecclesiastico per summi Pontificis auctoritatem, atque sententiam, omnino potest quis dominio, et prælatione erga subditos privari propter peccatum apostasiæ a fide, neque est de hac assertione dubium ullum apud vere Orthodoxos.

Gulielmus de Monserat Catalanus, in tractat. de Successione regum, num. 40. : Papa, inquit, Vicarius Christi cum causa potest quamcumque Christianum principem privare; prout privavit, et deposuit Childericum regem Franciæ, et in ejus locum Pipinum instituit, et romanum imperium a Græcis transtulit in Germanos.

Alphonsus Alvarez, in Speculo cap. 16. Hinc, inquit, est, quod (Papa) imperium transferre potest de certo genere personarum, cum maxima causa ad aliud genus; et infra : Et ipsum imperatorem, tamquam inferiorem destituit exigentibus causis maximis, et arduis.

Antonius Cordubensis Ord. Minor. lib. 1. Quæstionarii, quæst. 57. dub. 3. : Potestas, inquit, civilis subjecta est, non quidem potestati temporali Papæ; sed spirituali aliquo modo, in casu necessitatis, vel magnæ utilitatis spiritualium. Et Ecclesia, et maxime Papa, habet potestatem et auctoritatem, vel jurisdictionem aliquam temporalem in ordine ad finem spiritualem super omnes homines, et principes, et res omnes, et regna totius mundi.

Ludovicus Molina, tom. 1. de Just. et jure, tract. 2. disp. 29. concl. 3. « Potestas, inquit, spiritualis summi Pontificis ad finem supernaturalem adjunctam quasi ex consequenti habet supremam, et amplissimam potestatem jurisdictionis temporalis super omnes reges, et reliquos, qui sunt de Ecclesia; præcise tamen quantum postulat finis supernaturalis, ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest summus Pontifex deponere reges eosque regnis suis privare. »

Didacus Covarruvias, in tract. de resurrectione super Regulam, Peccatum, part. 2. §. 9. num. 7. « Hæc, inquit, sententia vera est in hoc sensu, ut Papa vere habeat potestatem temporalem etiam super imperatorem, quatenus ea utilis, et necessaria sit ad Ecclesiæ Catholicæ regimen, et spiritualis potestatis usum.

Fernandus Vasquius, lib. 1. Illustrium controversiarum cap. 21. « Cæterum, inquit, Papa habet etiam jurisdictionem in temporalibus, quatenus necessaria sunt ad spiritualem expeditionem. » Et infra : « Id quod admittunt communiter utriusque partis fautores. »

Michael de Anynion, in tract. de Unitate Ovilis, et Pastoris. num. 12 : Penes Papam,

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

inquit, est utraque suprema potestas, licet non habeat usum gladii temporalis : et quia potestas Papæ immediate a Deo emanavit, et ipsi soli Deo subest : potestas vero imperatoris a Vicario Christi, cui est subordinata, ideo Papa potest imperium de certo genere personarum transferre ad aliud, et imperatorem ungit, et coronat, confirmat, approbat, et reprobat, ac etiam deponit causis exigentibus. »

Martinus Navarrus, in Comment. ad cap. Novit, de judiciis Notab. 3. num. 41 : « Potestas, inquit, Ecclesiastica, est species potestatis, distincta a laica, et longe nobilior ea : ut aurum est species metalli distincta a specie plumbi, et nobilior ea ; quæque districte solum amplectitur supernaturalia : indirecte vero eatenus naturalia, quatenus sunt necessaria ad consecutionem finis supernaturalis, » et infra, num. 99 : « Colligitur, inquit, ratio quare Papa deponere potest reges adeo negligentes in regendis regnis suis, ut ob id populus Dei subditus illis retrahatur a consequenda vita æterna. » Porro hic auctor plurimos citat in eamdem sententiam.

Sententia illustrium Scriptorum nationis Germanicæ.

Stephanus Episc. Alberstatensis, in epist. quæ exstat in Appendice Mariani Scoti, loquens de Henrico IV. imperatore : « Dominus, inquit, Henricus hæreticus est, et pro nefandis malis a Sede Apostolica excommunicatus, nec regnum nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus potest obtinere. »

Hugo de S. Victore, natione Saxo, vir doctrina et sanctitate celeberrimus lib. I. de Sacrament. part. 2. cap. 11 : « Spiritualis, inquit, potestas terrenam potestatem, et instituere habet ut sit, et judicare habet, si bona non fuerit. Ipsa vero a Deo primum *instituta* est, et cum deviat, a solo Deo judicari potest. »

Henricus de Gandavo, quodlibeto 6. quæst. 33 : « Iste, inquit, Hierarchia primus post Christum super universalem Ecclesiam Petrus erat, qui ambas claves tradidit, et duos gladios commisit ; sic, ut regimen universalis Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ad ipsum pertineret. »

Ulricus in sua Summa, sic ait : « Si rex esset manifeste hæreticus, vel si interpellatus ab Ecclesia negligere nihilominus regimen regni sui, quantum ad ea quæ sunt fidei, scilicet si non intenderet extirpationi hæreticorum, posset ab Ecclesia deponi a regia dignitate. » Hunc auctorem allegat Joan. de Turrecremata loco supra citato.

Dionysius Carthusianus, in lib. de Regimine politiæ, art. 19 : « In Ecclesia, inquit, Dei est unus Pontifex summus, videlicet dominus Papa, in quo est utriusque potestatis, atque dominii plenitudo, et apex, hoc est, tam spiritualis, quam secularis potestatis : ideireo jurisdictionem, et dispositionem habet super omnia regna, et principatus fidelium non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, dum rationalis causa requirit. Nam et imperatorem potest deponere, et reges, si vita eorum id mereatur, regnis suis privare.

Joannes Driedo lib. I. de libertate Christiana cap. 14 : « Verum, inquit, hic non est silentio prætereundum, quod Papa, ex plenitudine potestatis super universos principes Christianos, potest reges, ac principes propter hæresis crimen privare suis regnis atque imperiis, et in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia, et subjectione eorum. » Vide etiam cap. 9. ubi demonstrat auctor in ordine ad finem supernaturalem, subjectam esse potestatem temporalem potestati spirituali.

Albertus Pighius lib. v. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2 : « Quare, inquit, hi omnes (reges, et principes videlicet Christiani) ut pars et membra sunt Ecclesiæ, necessario etiam subsunt Ecclesiasticæ hierarchiæ Præsidi, qui sui imperii habena moderetur eosdem ; in suam mutuo, et totius corporis utilitatem conspirantes teneat omnes, contineat in officio, prævaricantes corrigat, et si ita exigat totius necessitas ; administratione quoque, et officio amoveat, et in locum eorum constituat alios, aut constituandos præcipiat per eos, ad quos hoc ipsum de jure, aut consuetudine pertinet. » Vide eumdem auctorem cap. quartodecimo, ubi idipsum repetit, et exemplis allatis probat.

Jacobus Latomus, in lib. de Ecclesia cap. 14 : « Ex ejusdem, inquit, principiis conficitur, regem, autalium quemcumque terrenum principem christianum, regno, et principatu jure privari posse per Ecclesiam ; quia regnum, et principatus cum personis, ut supra dictum est, in Ecclesiæ corpus, et jus transiit per sacrum baptisma, et per christianæ

religionis liberam acceptionem Christo, et sponsæ ejus dicatum, et consecratum, et donatum donatione irrevocabili. » Hæc ille, qui potestatem Ecclesiæ plenissime residere in summo Pontifice demonstravit in alio libro, quem de Primatu Romani Pontificis inscripsit.

Conradus Brunus lib. III. de Legationibus cap. 6 : « Hæc, inquit, jurisdictio judicia civilia, et criminalia, denuntiones, et inquisitiones, accusationes, pœnas item, et censuras Ecclesiasticas complectitur in personas, et res Ecclesiasticas : multis etiam casibus in laicas personas, et pro rebus temporalibus datur. In his omnibus plenissimam habet jurisdictionem summus Pontifex : determinatam autem, et certis limitibus conclusum Archiepiscopi, Episcopi, etc. »

Sententia illustrium Scriptorum nationis Anglicæ, et Scoticæ.

Alexander Alensis Anglus Ordin. Min. vir doctissimus, et sanctorum Thomæ et Bonaventuræ præceptor part. 4. quæst. 40. in explicatione Canonis Missæ in illud : Et pro rege : « N. spiritualis, inquit, potestas terrenam habet instruere, et judicare, si bona fuerit : ipsa vero a Deo primum instituta est, et cum deviat, a solo Deo judicari potest. » Idem Alexander part. 4. quæst. 79. membr. 5 et 6 : « Voluit, inquit, Deus quosdam in alios plures habere potestatem ; et deinde in illos alios pauciores ; et sic semper donec deveniretur ad unum, scilicet Papam, qui sub Deo immediate est. » Quod loco docet Alexander, Papam ita præesse omnibus potestatibus, ut ipse solus sub Deo immediate sit.

Robertus Olkot Anglus, in lib. Sapientiæ lect. 200 : « Hic autem, inquit, est rex regum, cui omnes subsunt nationes, et populi, qui temporalia ab eo recipiunt : Sacerdotio tamen, ac summo Pontifici debet subesse. » Et infra : « Samuel unxit David in regem, in figura quod Vicarius Christi, et Prælatus Ecclesiæ confert principatum, et regiam potestatem ad utilitatem Ecclesiæ, unde jus, et auctoritas examinandi personam electam in regem, et promovendi ad imperium ad Papam pertinet.

Franciscus Mayronus Scotus, in 4. sent. distinct. 19. quæst. 4 : « Plenitudo, inquit, potestatis secundum utramque jurisdictionem concurrit in eamdem personam : hoc patet auctoritate Christi dicentis: *Quodcumque ligaveris etc.* »

Joannes Bachonus Anglus Ord. Carmelitarum, in Prologo super 4. sent. quæst. 11 art. 4 : « Papa, inquit, habet judicare de regnis, et de regibus in causa belli, et pacis : potest enim compellere principes temporales, ut pacem, ut justitiam sibi invicem servent. » Et infra : « Habet regem deponere, ut alteri regnum tribuatur, ratione iniquitatis, vel inutilitatis suæ personæ. Item habet imperatorem deponere, et imperium alteri dare, si non defendat Ecclesiam. »

Thomas Valdensis Ordin. ejusdem, in lib. II. Doctrinalis fidei antiquæ, art. 3. cap. 75. explicans quo sensu S. Gregorius servum se imperatoris dixerit : « Profecto, inquit, nec beatus Papa Gregorius eminentia sui status super statum imperatoris præjudicavit in aliquo, cum regem sibi verbo tenus præposuit, negotio quoque, quod tunc tractabatur attento, : quod tunc apte videbimus, si posteriora ejus facta, et scripta quæramus. Vide an se magistrum et imperatorum, et regum non arbitratur, cum post privilegia quædam senatori presbytero, et abbati Xenodochii Francorum directa sub interminatione dignitatis, et honoris omni ejus violatori conclusit, » hæc ille, qui continuo subjungit duo privilegia sancti Gregorii, quibus minatur regibus regnorum amissionem, si privilegia illa violare præsumerent.

Reginaldus Polus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in lib. de summo Pontifice cap. 8 : « Ex quo, inquit, id quod paulo ante diximus, ita concludi potest, Christi Vicarium, cui singulare, et maximum omnium ministerium commissum est, illud nimirum, quod ultimum spectat hominis finem, in orbe terrarum, Ecclesiaque gubernanda obtinere summam ac præcipuam potestatem inter cæteros omnes Dei ministros, seu imperatores, seu reges, seu principes, aut quocumque alio nomine nuncupantur. »

Nicolaus Sanderus in lib. II. de visibili Monarchia Ecclesiæ cap. 4. « Ex his igitur, inquit, quæ tum divinum jus, tum ipsius naturæ lumen revelat, abunde apparet, quantopere aberrent a veritate, qui putant reges Christianos in suis regnis supremam semper potestatem habere, nec unquam Episcopis ita subesse, ut cum in fidem obstinate peccant, a regno promoveri queant, et supra, Pontifex igitur non minus dabit operam, ut regem, qui populum Christianum falsa do-

ctrina imbuit, a regimine populi removeat, quam Pastor operam dat, ut male affectum aretem de medio tollat. »

Habemus igitur, quæ doctrina viguerit in Ecclesia antequam Barclaius et ego litigare inciperemus. Et si S. Augustinus, in lib. II. cap. ultim. adversus Julianum, adductis testimoniis undecim Scriptorum, quorum aliqui ante ducentos annos, aliqui ante centum, aliqui ipsius ætate vixerant, affirmat, in nullo concilio Ecclesiastico tot illustres Scriptores, et Magistros unquam simul convenisse ; et miratur, si Julianus in illum conventum introductus os aperire, et tot viris gravissimis, et doctissimis resistere ausus fuisset : quanto majore ratione possumus nos affirmare, in nulla synodo quantumvis numerosa convenisse unquam scriptores eximios supra septuaginta, quorum aliqui ante quingentos annos floruerunt, quique diversis sæculis in diversis Christiani orbis partibus, non solum doctrina, sed etiam sanctitate, et miraculis Ecclesiam illustrarunt ? Et quamvis affirmare non possum, an Barclaius in coronam tot insignium scriptorum introductus, si nunc viveret, residendum, an credendum sibi esse censeret : hoc tamen securus affirmo, vel omnium istorum libros, quibus Ecclesia tot jam sæculis usa est, exterminandos esse ; vel Barclaii libellum, ut scandalosum, temerarium, seditiosum et erroneum flammis ultricibus esse tradendum.

Sententia Conciliorum de potestate summi Pontificis in temporalibus.

Sed si forte alicui fidem non faciunt testes singulares, quamvis plurimi, et omni exceptione majores : veniam ad testes contestes, eosque pene innumerabiles, qui adversus Barclaium testimonium dicent. Ante annos 900. a Gregorio II. Romano Pontifice excommunicatum fuisse Leonem Isauricum imperatorem, propter crimen hæreseos, et vectigalibus Italiæ, ac per hoc parte imperii mulctatum, testantur historici Græci Glycas, Theophanes, Cedrenus, et Zonatas, in Leone Isaurico ; et Latini Sigebertus anno 727, Paulus Diaconus lib. XXI. et Platina in Gregorio III. Latini enim tribuunt Gregorio III. hoc factum, quoniam is Gregorii II. sententiam confirmavit. Porro sententiam Gregorii II. in synodo Episcoporum latam fuisse, testatur Joannes Zonatas Græcus auctor, in vita Leonis Isaurici, cujus hæc sunt verba, tom. III. Annalium : Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, illos una cum imperatore synodico anathemate obstrinxit, et vectigalia, quæ ad id usque tempus imperio inde pendebantur, inhibuit, inito cum Francis fœdere. Itaque tota illa synodus Gregorio Pontifici assensit, totque sunt ejus rei testes, quot in eamdem synodum Episcopi convenerunt.

Deinde post annos circiter trecentos, cum Gregorius VII Pontifex, Henricum IV. imperatorem sæpius admonitum excommunicavit, et imperio regnoque privavit ; non id occulte, et solo suo arbitratu, sed in synodo Romana, ad quam, plurimi Episcopi undique convenerant, omnibus consentientibus et laudantibus, publice, et solemni ritu ac cæremonia fecit : de hac synodo scribitur in lib. VII. Registri Gregorii VII. actam esse anno Domini 1080, anno septimo ejusdem Gregorii, atque ad eam synodum convenisse Archiepiscopos, et Episcopos, nec non Abbates, et diversorum ordinum Clericorum, et Laicorum innumerabilem multitudinem.

His addi debent alia quinque concilia habita a successoribus Gregorii VII videlicet Beneventanum a Victore III ; Placentinum ab Urbano II ; Romanum a Paschale II ; Coloniense a Gelatio II; Remense a Callisto II. in quibus confirmata est sententia Gregorii VII. Vide de his Conciliis infra cap. 9.

Præterea cum Urbanus II. Pontifex Philippum I Francorum regem, ob repudiatam legitimam uxorem, et aduiteram in matrimonium acceptam, et admonitum obedire recusantem, excommunicaret, et coronam regni privaret ; id fecit in concilio frequentissimo Claramontano, ut testis est Sigebertus, in Chronico anni 1095. et clarius idem refert Matthæus Paris in Villielmo II ad annum 1095. Sed quod cum excommunicatione intelligeretur privatio regiæ dignitatis, potest ex Ivone Episcopo Carnotense, qui in epist. 28. ad Urbanum II Papam, sic loquitur : « Qui ad vos venturi sunt in calliditate ingenioli sui, et venustate linguæ impunitatem flagitiis impetraturos regi a sede Apostolica promiserunt, hac ratione ex parte usuri, regem cum regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis, eumque ab anathemate absolvatis. » Intelligi potest etiam ex historicis, qui testantur, vetitum fuisse ab Urbano Pontifice, ne diadema regium Philippo excommunicato imponeretur

Vide Chronicum Joan. Naucleri, Gener. 37. Paulum Æmilium lib. III. in Rege 38. Papirium Massonium, Annal. lib. III. Adde etiam quod scribitur in Summario, sive Compendio historiarum Francicarum Nicolai Vignerii, toto tempore quo Philippus sub anathemate vixit, in publicis scripturis non fuisse positum de more, regnante Philippo, sed, regnante Christo ; quia videlicet regem excommunicatum pro rege populus non habebat.

Adhæc, Innocentius III. Pontifex anno 1215, concilium generale Lateranense, quod jure maximum dici solet, convocavit : adfuerunt enim cum ipso summo Pontifice Patriarchæ Orientales duo per se, Constantinopolitanus et Hierosolymitanus : duo per Legatos, Alexandrinus et Antiochenus : Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringentiduodecim, abbates, priores conventuales octingenti, legati imperatorum Occidentis et Orientis, regum vero, Hierosolymæ, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, et Cypri. In hoc igitur orbis Christiani celeberrimo conventu editus est canon, qui est ordine tertius, adversus hæreticos in hæc verba : « Excommunicamus, et anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam orthodoxam Catholicam fidem, quam superius exposuimus etc. » Et infra : « Si vero dominus temporalis admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, et comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, et terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis sine ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent, salvo jure domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus lege servata circa eos, qui non habent dominos principales. » Quid hic Barclaius diceret ? si hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, ubi obsecro eam inveniemus ? et si est (ut verissime est) qui eam audire contemnit, ut Barclaius fecit, an non ut ethnicus, et publicanus, et nullo modo Christianus, et pius habendus erit ? si non habet summus Pontifex potestatem in terris, disponendi de temporalibus usque ad depositionem principum eorum, qui vel ipsi hæretici sunt, vel hæreticis quoquo modo favent, cur in editione hujus canonis nullus ex tanto numero reclamavit ? cur ne unus quidem ex tot imperatorum, et regum oratoribus mutire ausus est ? Nondum videlicet parasiti principum temporalium exorti fuerant, qui, ut regna temporalia stabilire videantur, regnum æternum iis, quibus adulantur, eripiunt.

Sed addamus et Lugdunense concilium. Ergo Innocentius IV. Pontifex anno salutis 1245. Lugduni generale concilium celebravit, in quo præter Archiepiscopos undique evocatos, interfuerunt etiam Balduinus imperator Orientis cum aliis multis principibus. Sanctum quoque Ludovicum Francorum regem eo tempore Lugduni fuisse, et Pontifici adfuisse, testantur Æmilius et Naucleras. Atque in conventu illo, Ecclesiam universam sine dubio repræsentante, lata est sententia in Fridericum II imperatorem in hæc verba : « Nos itaque super præmissis, et quam pluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris, et sancto concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Jesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris nobisque in B. Petri persona dictum sit : *Quodcumque ligaveris super terram, ligatum erit et in cœlis*, memoratum principem, qui se imperio, et regnis, omnique honore, et dignitate reddidit indignum, quique propter suas iniquitates, a Deo ne regnet, vel imperet est abjectus, suis ligatum peccatis, et abjectum, omnique honore et dignitate privatum a Domino ostendimus, et denunciamus ; et nihilominus sententiando privamus; omnes qui ei fidelitatis juramento teneantur adstricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolventes, auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tamquam imperatori pareat, et intendat : decernendo quoslibet, qui ei deinceps velut imperatori, vel regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu favorem, ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere. Illi autem ad quos in eodem imperio, imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. De præfato Siciliæ regno providere curabimus, cum eorundem fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire. Hæc sententia est summi Pontificis toto approbante concilio, hoc est, tota consentiente et laudante Christianorum præsulum universitate : et tamen audet unus nescio qui contra disputare, et librum suum in lucem edere, atque imperitorum oculos fascinare. Quod si singula per se concilia Catholicæ Ecclesiæ, præsertim cum in iis

præsidet Summus Pontifex, fidem amplissimam faciunt, ut nemini fas sit contra sentire: quanta temeritas esset, si quis decem conciliis frequentissimis, simul junctis, contradicere auderet? Nam etiam si concilia ista diversis locis, et temporibus habita sint, tamen facile possunt ante oculos mentis omnia simul constitui, et ex omnibus unum maximum, et numerosissimum fieri, ubi simul conspiciantur Gregorius VII., Victor III., Urbanus II., Paschalis II., Gelasius II., Callixtus II., Innocentius III. et Innocentius IV. sanctissimi omnes doctissimique Pontifices, apostolica potestate, reges hæreticos, vel hæreticorum patronos excommunicantes, atque a regni solio deponentes; et simul omnes præsules Ecclesiarum cum Legatis omnium fere principum sententias tantorum Pontificum, ut justissimas approbantes, et collaudantes. Certe si Barclaius, aut quicumque illi similis est, in ejus modi conventum introduceretur mirum est, si loqui auderet, immo si non continuo obmutesceret. Sanctus Augustinus lib. I, in Julianum cap. 2, concilium Palæstinum Episcoporum quatuordecim, satis magnæ auctoritatis futurum existimavit ad unius Juliani audaciam comprimendam; cur igitur non multo magis valeant ad unius Barclaii temeritatem damnandam Episcopi supra mille, qui in decem conciliis convenerunt? Hanc igitur sententiam Ecclesiæ Catholicæ, quam in meis Disputationibus de summo Pontifice, cum juvenis adhuc essem breviter attigeram, cogor nunc adversus Gulielmum Barclaium senex defendere: quem sane laborem ab homine, qui se Catholicum profitetur, mihi adferendum, suspicatus numquam fuissem. Nam eos, qui foris sunt, et assidue contra me scribunt, nihil moror.

CAPUT PRIMUM.

De Excusatione Barclaii.

His ergo quasi prolegomenis præmissis, venio ad librum Barclaii. Is in primo capite totus est in se excusando et purgando, quod in hac quæstione de potestate Papæ scripserit, quod scripsit ac primum probat, licuisse sibi sententiam suam dicere, quia multi alii Catholici id fecerunt.

« Si complures, inquit, tum theologi, tum jureconsulti, alii post alios in eamdem hanc quæstionem excutiendam incubuerunt, nec priorum de ea judicium sequentium scriptorum sententiis præjudicavit; cur non et ego aliquem indagandæ veritatis locum (quandoquidem in eo studio ætatem consumpsi) meo mihi quodammodo jure vindicem? »

At quanti momenti sit hæc ratio, vel ex eo potest intelligi, quod ne suo quidem hæredi, aut amico singulari persuasit. Cur enim hæres ipsius, aut quicumque fuit, qui librum ejus edidit, qui certe amicissimus fuit, et nomen suum, et typographi et loci, in quo liber editus est, silentio involvendum censuit, nisi quia non sine causa existimavit, non licuisse auctori impune scribere quod scripsit? Nam alioqui hæreticorum omnium errores excusari possent. Ergo licuit Catholicis scriptoribus, qui consentiunt in re, disputare de modo: non licuit Barclaio adversus omnes alios scriptores, atque adversus omnes conciliorum etiam generalium sententiam, negare omnino potestatem summi Pontificis in temporalibus: quemadmodum licuit, et licet scholasticis doctoribus, qui confitentur in Deo unitatem essentiæ cum trinitate personarum, multa disputare de attributis essentiæ divinæ, et personarum constitutione: sed non licuit Arianis veteribus, et novis, vel essentias Dei scribendo multiplicare, vel Trinitatem confundere. Pari ratione, licuit, et licet Catholicis doctoribus, qui consentiunt de substantia septem sacramentorum, disputare de multis, quæ ad fidei fundamenta non pertinent; non tamen licet, nec licuit sectariis Lutheranis et Calvinistis tam multa scribere, contra substantiam et numerum sacramentorum: quod idem de aliis fidei dogmatibus dici potest. Subjungit Barclaius:

« Monendus in primis lector est, omni me reverentia, et benevolentia Sedem illam prosequi: nec id aut hic, aut alibi agere, ut debitæ potestatis et dignitatis aliquid decedat Vicario Christi, et successori sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. »

At hoc videtur simile esse ei, quod scribit S. Marcus cap. XV. *Percutiebant caput ejus arundine, et ponentes genua adorabant eum*: et quod scribit S. Joan. cap. XIX. *Veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judæorum, et dabant ei alapas.* Sic enim Barclaius omni reverentia, et benevolentia prosequitur Apostolicam Sedem, sed interim potestatem ejus fere dimidiat, et addit postea:

« Eos itaque obsecro qui ante me bono, ut opinor, animo scripserunt, ne indigneutur, aut succenseant, si ab illorum opinione recessero: neque enim (ut cum sancto Augustino loquar epist. III.) quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, et laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, etc. »

At ego non indignor, neque succenseo, quod a mea opinione, vel Barclaius, vel alius quicumque recesserit: sed illud æquo animo ferre non possum, quod a communi Scriptorum sententia in re tam gravi, imo etiam conciliorum universalium sensu, et consensu ullus recedat. Et quamvis non debeamus libris doctorum, quantumvis Catholicorum, et laudatorum hominum eam reverentiam, quam Scripturis sanctis debemus: tamen negari non potest, quin communi scriptorum sententiæ multum omnino tribui debeat, ut a temeritate excusari non possit, qui contra torrentem doctorum, ut dici solet, scribendo nititur. Nam ipse idem sanctus Augustinus, qui scripserat, disputationes quorumlibet hominum nullo modo æquandas esse auctoritati Scripturarum divinarum; Juliani temeritatem arguit, quod se auderet opponere undecim scriptoribus Catholicis, quorum verba et sententias diligenter expendit lib. I. cap. 2. et lib. II. cap. ult. adversus Julianum.

Deinde Barclaius ad rem propius accedens refert duas Catholicorum sententias. Alteram, quam plerique Canonistarum sequuntur, quod in summo Pontifice sit potestas utraque spiritualis, et temporalis, ut Christi Vicarius est. Alteram, quæ theologis fere communis est, quod potestas summi Pontificis, ut Christi Vicarius est, spiritualis propric, ac per se sit, sed tamen per eam disponere possit de temporalibus, ut ad spiritualia ordinantur. Tum sententiam suam, pro qua nullum Catholicum scriptorem citat, ita proponit:

« Mihi vero, inquit, neutra istarum opinionum, quantum ad temporalem potestatem, satis firma visa est; » et paulo infra: « Theologi itaque isti Canonistarum opinionem probissime refellunt, sed pace ipsorum dicam, nec ipsi melius sentiunt. »

Hæc ille, qui satis aperte se prodit, tamquam alterum Ismaelem e regione universorum fratrum suorum fixisse tabernaculum, ut manus ejus contra omnes essent. Genes. XVI. Extremam partem primi capitis totam consumit in refutatione, vel potius irrisione Bozii, qui cum se theologum profiteatur, Canonistarum opinioni adhærere maluit. De qua re nihil habeo quod dicam: nam Bozii opinionem, neque refutare, neque defendere statui; sed id tantum, in quo Catholici omnes conveniunt, et in quo a Barclaio omnes dissidemus, meque ipse ab ejusdem Barclaii objectionibus propugnare decrevi.

CAPUT II.

Excutitur principium sive fundamentum doctrinæ Barclaii.

In secundo capite Barclaius fundamenta jacere aggreditur doctrinæ suæ: quorum unum, ac forte primarium est, potestatem ecclesiasticam et politicam jure divino distinctas et separatas esse, ut, quamvis ambæ a Deo sint, utraque suis terminis conclusa in alterius fines invadere suo jure nequeat, neutrique in alteram imperium sit. Ad probandum hoc principium adducit can. Duo sunt, et, Cum ad verum, dist. 96. cap. Novit, de Judiciis, cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, sanctum Bernardum lib. I, de Consideratione, Joann. Driedonem lib. II, de Libertate Christiana, cap. 2, et Hosium Cordubensem Episcopum, apud Athanasium in epist. ad solitariam vitam agentes.

Atqui hoc principium, sive fundamentum in ultima particula falsum omnino esse contendimus, in illis videlicet ultimis verbis: Neutrique in alteram imperium sit. Siquidem affirmamus, Ecclesiasticam potestatem, distinctam quidem esse a politica, sed ea non modo longe nobiliorem, verum etiam ita superiorem esse, ut eam dirigere et corrigere, et in certis casibus, in ordine videlicet ad finem spiritualem et vitam æternam, eidem imperare possit.

Neque ultima illa particula, videlicet: Neutrique in alteram imperium sit, invenitur in testimoniis allegatis sive ex canonibus, sive ex doctoribus. In can. Duo sunt, qui desumptus est ex epist. Gelasii Papæ primi, ad Anastasium imperatorem, hæc habentur: Duo sunt quippe, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas: in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regiminibus hominum in divino sunt reddituri examine rationem, et infra: Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Dr. Eduardo Valverde y Tellez

præsidet Summus Pontifex, fidem amplissimam faciunt, ut nemini fas sit contra sentire: quanta temeritas esset, si quis decem conciliis frequentissimis, simul junctis, contradicere auderet? Nam etiam si concilia ista diversis locis, et temporibus habita sint, tamen facile possunt ante oculos mentis omnia simul constitui, et ex omnibus unum maximum, et numerosissimum fieri, ubi simul conspiciantur Gregorius VII., Victor III., Urbanus II., Paschalis II., Gelasius II., Callixtus II., Innocentius III. et Innocentius IV. sanctissimi omnes doctissimique Pontifices, apostolica potestate, reges hæreticos, vel hæreticorum patronos excommunicantes, atque a regni solio deponentes; et simul omnes præsules Ecclesiarum cum Legatis omnium fere principum sententias tantorum Pontificum, ut justissimas approbantes, et collaudantes. Certe si Barclaius, aut quicumque illi similis est, in ejus modi conventum introduceretur mirum est, si loqui auderet, immo si non continuo obmutesceret. Sanctus Augustinus lib. I, in Julianum cap. 2, concilium Palæstinum Episcoporum quatuordecim, satis magnæ auctoritatis futurum existimavit ad unius Juliani audaciam comprimendam; cur igitur non multo magis valeant ad unius Barclaii temeritatem damnandam Episcopi supra mille, qui in decem conciliis convenerunt? Hanc igitur sententiam Ecclesiæ Catholicæ, quam in meis Disputationibus de summo Pontifice, cum juvenis adhuc essem breviter attigeram, cogor nunc adversus Gulielmum Barclaium senex defendere: quem sane laborem ab homine, qui se Catholicum profitetur, mihi adferendum, suspicatus numquam fuissem. Nam eos, qui foris sunt, et assidue contra me scribunt, nihil moror.

CAPUT PRIMUM.

De Excusatione Barclaii.

His ergo quasi prolegomenis præmissis, venio ad librum Barclaii. Is in primo capite totus est in se excusando et purgando, quod in hac quæstione de potestate Papæ scripserit, quod scripsit ac primum probat, licuisse sibi sententiam suam dicere, quia multi alii Catholici id fecerunt.

« Si complures, inquit, tum theologi, tum jureconsulti, alii post alios in eamdem hanc quæstionem excutiendam incubuerunt, nec priorum de ea judicium sequentium scriptorum sententiis præjudicavit; cur non et ego aliquem indagandæ veritatis locum (quandoquidem in eo studio ætatem consumpsi) meo mihi quodammodo jure vindicem? »

At quanti momenti sit hæc ratio, vel ex eo potest intelligi, quod ne suo quidem hæredi, aut amico singulari persuasit. Cur enim hæres ipsius, aut quicumque fuit, qui librum ejus edidit, qui certe amicissimus fuit, et nomen suum, et typographi et loci, in quo liber editus est, silentio involvendum censuit, nisi quia non sine causa existimavit, non licuisse auctori impune scribere quod scripsit? Nam alioqui hæreticorum omnium errores excusari possent. Ergo licuit Catholicis scriptoribus, qui consentiunt in re, disputare de modo: non licuit Barclaio adversus omnes alios scriptores, atque adversus omnes conciliorum etiam generalium sententiam, negare omnino potestatem summi Pontificis in temporalibus: quemadmodum licuit, et licet scholasticis doctoribus, qui confitentur in Deo unitatem essentiæ cum trinitate personarum, multa disputare de attributis essentiæ divinæ, et personarum constitutione: sed non licuit Arianis veteribus, et novis, vel essentias Dei scribendo multiplicare, vel Trinitatem confundere. Pari ratione, licuit, et licet Catholicis doctoribus, qui consentiunt de substantia septem sacramentorum, disputare de multis, quæ ad fidei fundamenta non pertinent; non tamen licet, nec licuit sectariis Lutheranis et Calvinistis tam multa scribere, contra substantiam et numerum sacramentorum: quod idem de aliis fidei dogmatibus dici potest. Subjungit Barclaius:

« Monendus in primis lector est, omni me reverentia, et benevolentia Sedem illam prosequi: nec id aut hic, aut alibi agere, ut debitæ potestatis et dignitatis aliquid decedat Vicario Christi, et successori sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. »

At hoc videtur simile esse ei, quod scribit S. Marcus cap. XV. *Percutiebant caput ejus arundine, et ponentes genua adorabant eum*: et quod scribit S. Joan. cap. XIX. *Veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judæorum, et dabant ei alapas.* Sic enim Barclaius omni reverentia, et benevolentia prosequitur Apostolicam Sedem, sed interim potestatem ejus fere dimidiat, et addit postea:

« Eos itaque obsecro qui ante me bono, ut opinor, animo scripserunt, ne indigneutur, aut succenseant, si ab illorum opinione recessero: neque enim (ut cum sancto Augustino loquar epist. III.) quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, et laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, etc. »

At ego non indignor, neque succenseo, quod a mea opinione, vel Barclaius, vel alius quicumque recesserit: sed illud æquo animo ferre non possum, quod a communi Scriptorum sententia in re tam gravi, imo etiam conciliorum universalium sensu, et consensu ullus recedat. Et quamvis non debeamus libris doctorum, quantumvis Catholicorum, et laudatorum hominum eam reverentiam, quam Scripturis sanctis debemus: tamen negari non potest, quin communi scriptorum sententiæ multum omnino tribui debeat, ut a temeritate excusari non possit, qui contra torrentem doctorum, ut dici solet, scribendo nititur. Nam ipse idem sanctus Augustinus, qui scripserat, disputationes quorumlibet hominum nullo modo æquandas esse auctoritati Scripturarum divinarum; Juliani temeritatem arguit, quod se auderet opponere undecim scriptoribus Catholicis, quorum verba et sententias diligenter expendit lib. I. cap. 2. et lib. II. cap. ult. adversus Julianum.

Deinde Barclaius ad rem propius accedens refert duas Catholicorum sententias. Alteram, quam plerique Canonistarum sequuntur, quod in summo Pontifice sit potestas utraque spiritualis, et temporalis, ut Christi Vicarius est. Alteram, quæ theologis fere communis est, quod potestas summi Pontificis, ut Christi Vicarius est, spiritualis propric, ac per se sit, sed tamen per eam disponere possit de temporalibus, ut ad spiritualia ordinantur. Tum sententiam suam, pro qua nullum Catholicum scriptorem citat, ita proponit:

« Mihi vero, inquit, neutra istarum opinionum, quantum ad temporalem potestatem, satis firma visa est; » et paulo infra: « Theologi itaque isti Canonistarum opinionem probissime refellunt, sed pace ipsorum dicam, nec ipsi melius sentiunt. »

Hæc ille, qui satis aperte se prodit, tamquam alterum Ismaelem e regione universorum fratrum suorum fixisse tabernaculum, ut manus ejus contra omnes essent. Genes. XVI. Extremam partem primi capitis totam consumit in refutatione, vel potius irrisione Bozii, qui cum se theologum profiteatur, Canonistarum opinioni adhærere maluit. De qua re nihil habeo quod dicam: nam Bozii opinionem, neque refutare, neque defendere statui; sed id tantum, in quo Catholici omnes conveniunt, et in quo a Barclaio omnes dissidemus, meque ipse ab ejusdem Barclaii objectionibus propugnare decrevi.

CAPUT II.

Excutitur principium sive fundamentum doctrinæ Barclaii.

In secundo capite Barclaius fundamenta jacere aggreditur doctrinæ suæ: quorum unum, ac forte primarium est, potestatem ecclesiasticam et politicam jure divino distinctas et separatas esse, ut, quamvis ambæ a Deo sint, utraque suis terminis conclusa in alterius fines invadere suo jure nequeat, neutrique in alteram imperium sit. Ad probandum hoc principium adducit can. Duo sunt, et, Cum ad verum, dist. 96. cap. Novit, de Judiciis, cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, sanctum Bernardum lib. I, de Consideratione, Joann. Driedonem lib. II, de Libertate Christiana, cap. 2, et Hosium Cordubensem Episcopum, apud Athanasium in epist. ad solitariam vitam agentes.

Atqui hoc principium, sive fundamentum in ultima particula falsum omnino esse contendimus, in illis videlicet ultimis verbis: Neutrique in alteram imperium sit. Siquidem affirmamus, Ecclesiasticam potestatem, distinctam quidem esse a politica, sed ea non modo longe nobiliorem, verum etiam ita superiorem esse, ut eam dirigere et corrigere, et in certis casibus, in ordine videlicet ad finem spiritualem et vitam æternam, eidem imperare possit.

Neque ultima illa particula, videlicet: Neutrique in alteram imperium sit, invenitur in testimoniis allegatis sive ex canonibus, sive ex doctoribus. In can. Duo sunt, qui desumptus est ex epist. Gelasii Papæ primi, ad Anastasium imperatorem, hæc habentur: Duo sunt quippe, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas: in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regiminibus hominum in divino sunt reddituri examine rationem, et infra: Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Dr. Eduardo Valverde y Tellez

Hæc ibi, ubi non solum non habetur, quod Barclaius dicit, neutri in alteram imperium esse; sed habetur omnino contrarium: nam si Pontifex redditurus est Deo rationem pro regiminibus hominum, certe dirigere, debet ea regimina, et si forte deviant, corrigere, atque in viam reducere. Quomodo autem potest dirigere et corrigere humana regimina, si nullum in ea imperium habet?

Pari ratione in canone, Cum ad verum, qui ex epist. Nicolai Papæ primi, ad Michaelem imperatorem, sumptus est, non habentur illa verba: Neutri in alteram imperium esse. Hæc enim sunt verba Pontificis Nicolai: Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorum usurpavit: quoniam mediator Dei et hominum homo Christus Jesus actibus propriis, et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit.

Hic quoque nullo verbo indicatur, neutram potestatem in alteram habere imperium, sed solum discretas esse actibus, dignitatibus et officiis. Et quoniam idem Nicolaus, paulo post subjungit, Christianos imperatores egere Pontificum ministerio pro æterna vita; et contra Pontifices uti legibus imperialibus pro cursu tantum vitæ temporalis: apertissime indicatur finem potestatis pontificiæ, superiorem esse fini potestatis politicæ, ac per hoc potestatem Pontificum, imperium habere super politicam potestatem, quatenus opus est ut potestas politica non impediat adeptionem vitæ æternæ, ad quam a pontificia potestate dirigenda est. Sic etiam in cap. Novit, de judic. et in cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, quæ sunt Innocentii III. Pontificis, nihil omnino habetur, unde colligi possit, politicam potestatem spirituali, sive Ecclesiasticæ potestati non esse subjectam: alioqui non decrevisset idem Pontifex in concilio Lateranensi generali cap. 3. posse principes sæculi per Apostolicam Sedem principatu privari, si negligentes essent in purgandis terris suis ab hæretica labe, et admoniti ab Episcopis, non obedirent. Neque idem ipse Othonem IV. imperatorem deposuisset, si existimasset, potestati Ecclesiasticæ nullum imperium esse in politicam potestatem. S. quoque Bernardus in 1. lib. de Consid. dicit quidem, Pontificis potestatem esse in peccata, et spiritualem; sed idem S. Bernardus lib. III. de Consid. c. 4. utrumque gladium spiritualem, et materialem dicit esse Ecclesiæ: quæ sane non diceret, nisi crederet gladium materialem gladio spirituali esse subjectum. Porro de sententia Joan. Driedonis, nulla dubitatio esse potest: nam dicit etiam politicam ecclesiasticæ adeo esse debere subjectam, ut possit Pontifex in certis casibus in ordine ad vitam æternam reges, et principes regnis suis, dominiisque privare, ut nos supra allatis verbis ipsius indicavimus. Denique Hosii Episc. Cordubensis verba, a S. Athanasio commemorata, distinctionem officiorum utriusque potestatis demonstrant, æqualitatem non demonstrant: « Tibi Deus, inquit, imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita et tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius sias: *Date*, scriptum est, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ Dei Deo*. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thimiamatum, et sacrorum potestatem habes imperator. » Hæc ille, qui non repugnat S. Gregorio Nazianzeno, qui oratione ad populum timore perculsum, et præsidem irascentem apertissime docet, Ecclesiasticam potestatem ita se habere ad politicam, ut anima se habet ad corpus: animam autem præesse corpori illudque regere eique imperare nemo unquam in dubium revocavit.

Pergit deinde Barclaius, et Bozium exagitat, ejusque responsiones, et disputationes, refellit: quæ ipsi Bozio integra relinquo; non enim defendenda suscepi, nisi ea, quæ causam communem, vel meam particularem attingunt: quale est illud quod in extremo capite Barclaius dicit, non posse unam potestatem alteri subordinari, et subjectam esse, nisi dignitas et officium, quod est in subordinato, sit etiam in subordinante. Nam subjectionem, et subordinationem potestatis politicæ ad ecclesiasticam, omnes Catholici docemus: sed non omnes admittimus quod Barclaius inde colligit: Hæc enim subordinatio duobus modis potest intelligi: uno modo, ut potestas quæ est in subordinato, derivetur a subordinante, qualis est potestas Vicarii, quæ derivator ab eo, cujus est Vicarius, et legati, quæ derivatur a principe, qui eum legavit, et judicis, sive præsidis, quæ derivatur a rege: et tunc sine dubio potestas subordinantis includit potestatem subordinati: altero modo, ut una non

derivetur ab altera, sed ob id solum subjecta, et subordinata sit alteri, quia finis unius subjicitur, et subordinatur fini alterius, qualis est subordinatio, et subjectio variarum artium ad artem regendi populos, quæ regia dici potest. Vere enim dixit poeta:

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius, cœlique meatus
Describent radio, et surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes.

Ars enim regendi populos distincta est ab artibus, sculptoria, oratoria, astronomica, et aliis similibus, neque una derivatur ab alia, neque una proprie alteram includit; et tamen omnes subordinantur, et subjectæ sunt arti regendi populos, ut possit rex omnes dirigere ad communem populi utilitatem, et nisi parcant, exterminare de regno suo, vel removere quoslibet artifices, et alios substituere, quoniam fini artis regiæ subjiciuntur, et subordinantur fines artium cæterarum. Jam igitur si subjectio et subordinatio potestatis politicæ ad ecclesiasticam intelligatur priore modo, utique sequitur, ut potestas politica conjuncta sit ecclesiasticæ; neque video quo modo id non repugnet verbis Gelasii, Nicolai, et Innocentii summorum Pontificum; necnon Hosii, Bernardi, Driedonis; sed si intelligatur posteriore modo, ut nos eam intelligimus, tum ratio, et exempla Barclaii nihil omnino concludunt: quemadmodum enim ars regia non includit artem sculptoriam, neque sculptoria derivatur a regia, et tamen ars regia imperat sculptoriæ, eamque subjectam, et subordinatam habet, et potest ac debet rex sculptori jubere, ut non sculpat statuas obscœnas, ne corrumpatur juventus; neque ex auro, vel argento, ut ea metalla serventur ad usum magis necessarium; neque statuas suas nimis magno pretio vendat, ad coercendam avaritiam: sic ars ecclesiastica regendi animas, quæ est ars artium, et præcipue residet in Papa, non includit necessario artem regiam, neque necesse est, ut omnia regna deriventur ab Ecclesia; et tamen quia finis ejus est vita æterna, ad quam subordinantur omnes alii fines; subjecta, et subordinata est illi ars politica regendi populos, et potest ac debet Summus Pontifex regibus imperare, ut non abutantur potestate regia ad Ecclesiam evertendam, ad hæreses et schismata fovenda, ad perniciem denique æternam animæ suæ, et populorum sibi subjectorum; et si non obtemperent, cum admoniti fuerint, potest eos de Ecclesia per censuram excommunicationis ejicere, et populos a juramento fidelitatis absolvere, denique etiam eos regno exuere, et regia potestate privare.

CAPUT III.

Potestatem Summi Pontificis in temporalibus, non esse rem dubiam, neque ab opinionibus doctorum solum pendere.

In tertio capite contendit Barclaius, de potestate summi Pontificis in temporalibus nihil certi haberi, sed rem totam inter theologos, et Canonistas libere disputari.

« Ingens, inquit, theologos inter, et Canonistas, et utrorumque inter se de hac re dissensio, dum hi directam, alii indirectam potestatem astruunt, facit, ut quæstio hæc de temporali potestate Papæ dubia et incerta, ac tota in hominum opinione posita videatur: ac proinde solutionis ejus veritatem lumine rationis et disserendi subtilitate esse pervestigandam. » Hæc ille.

At magnum est discrimen inter quæstionem an sit, et quid sit, vel, quomodo sit. Deum esse ne Pagani quidem in dubium revocare solebant; tamen de natura deorum plurimæ erant apud Philosophos opiniones. Deum esse trinum, et unum, nullus Catholicus negat, sed omnes firmissima fide tenent: et tamen, quot sunt inter Scholasticos theologos de constitutione personarum, de relationibus, de notionibus opiniones? Sic igitur de potestate in temporalibus, quod ea sit in Papa, non opinio, sed certitudo apud Catholicos est: quamvis non desint altercationes, quid sit, et qualis ea potestas, id est, an sit per se, et proprie temporalis: an potius ipsa quidem spiritualis sit, sed per quamdam necessariam consequentiam, et in ordine ad spiritualia de temporalibus disponat. Quare non recte colligit Barclaius dum sic ratiocinatur:

« Dissensio est inter theologos, et Canonistas, dum hi directam, illi indirectam potestatem astruunt, ergo quæstio de temporali potestate Papæ dubia et incerta, ac tota in opinione hominum posita est. »

Esse autem rem certam, et exploratam,

posse Pontificem Maximum justis de causis de temporalibus judicare, atque ipsos temporales principes aliquando deponere; probamus.

1. Primum ex communi consensu Scriptorum, quorum verba initio disputationis attulimus : quod enim communi consensu Doctores variis in locis, et temporibus docent, in Ecclesia universa sentire, et docere censetur : ideo enim posuit Deus in Ecclesia Pastores, et Doctores, ut dicitur ad Ephes. IV. ut eos populi tamquam duces sequantur neque ab eis recedant, nisi forte videant unum aliquem novi aliquid contra doctrinam communem invehere, ut hoc tempore Barclaius fecit.

2. Secundo probamus per Extravagantem, Unam sanctam, de majorit. et obedientia, ubi docemur, gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati : et quod si deviat terrena potestas, judicabitur a spirituali ; si deviat spiritualis minor, a suo superiore ; si vero suprema, a solo Deo poterit judicari. Neque obstat quod definitio hujus decretalis videtur esse revocata a Clemente V, in Extravaganti, Meruit, de privilegiis. Neque enim Clemens V. Extravagantem Bonifacii revocavit, sed antiquam obligationem declarasse, quam habent homines ad obediendum, et subjacendum Apostolicæ Sedi.

3. Tertio probamus ex conciliis supra allatis, quorum duo postremo generalia fuerunt : quomodo enim potest in dubium revocari, et a sola hominum opinione pendere, quod generalia, catholica legitimaque concilia probant? Posse autem per summum Pontificem deponi principes temporales, quando Ecclesia necessitas id postulat, ac per hoc temporalem principum potestatem spirituali potestati Pontificum subjectam, et subordinatam esse, concilia illa decem, ac præsertim duo postrema Lateranense et Lugdunense apertissime docent.

4. Quarto, probamus ex divinis literis, quemadmodum id probat Gregorius VII. in epist. 21. libri octavi. Nam in Scripturis et traditione manifestissime reperimus fundatum Primatum Ecclesiasticum Romani Pontificis, quo primatu amplissima potestas continetur regendi, ligandi, et solvendi quoscumque, etiam reges et imperatores : id quod neque Barclaius, neque ullus Catholicus negat. Ex hoc autem principio satis aperte colligitur, esse in Romano Pontifice potestatem temporalia disponendi, usque ad ipsorum regum, et imperatorum depositionem : nam per ipsam spiritualem potestatem potest summus Pontifex ligare principes sæculares vinculo excommunicationis; potest per eamdem solvere populos a juramento fidelitatis et obedientiæ ; potest obligare eosdem populos sub excommunicationis pœna, ut regi excommunicato non pareant, atque ut alium sibi eligant regem. Præterea cum finis spiritualis regiminis sit adeptio æternæ vitæ, qui est finis supremus, et ultimus, cui omnes alii subordinantur fines ; certe necesse est, ut spirituali potestati supremi hierarchæ ecclesiastici subjiciatur, et subordinetur omnis sæcularis potestas quam ille dirigere debet, et si deviat corrigere, et judicare, ac demum efficere ne impediat salutem populi Christiani. Atque hæc est ratio cur, et Gregorius VII. et Innocentius IV. in depositione imperatorum, ut ostenderunt jure se id facere, verba Domini allegaverint : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ;* et : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, Matt. XVI. et : *Pasce oves meas* (1), Joan. XVI. nimirum ut significarent potestatem suam disponendi de temporalibus, quando id requirit salus animarum, Religionis incolumitas, Ecclesiæ conservatio ; non pendere ad incertis hominum opinionibus, sed ab ordinatione divina Christi regis æterni, et Pontificis Maximi, qui et super omnia Deus est benedictus in sæcula, teste Apostolo ad Roman. XI.

Sed videamus, quid contra hæc Barclaius objiciat.

1. Primum argumentum ejus hoc est : « Absurdum, et iniquum est dicere, principes Ethnicos duriore, et deteriore conditione ad Ecclesiam esse receptos, quam homines privatos : vel Papam habere majorem nunc potestatem in principes politicos Christianos, quam olim B. Petrus, et cæteri Apostoli in quemlibet privatum hominem Ecclesiæ filium : at hi nullum jus, et potestatem temporalem habuerunt tunc temporis in Christianos laicos : ergo nec Papa in principes sæculares potestatem ullam temporalem nunc habet. »

Respondeo : Assumptio argumenti falsa

(1) Matth. XVI, 19 ; Joan. XXI, 17.

Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel est, et Scripturis sanctis omnino contraria : primum enim jus habebant Apostoli percipiendi ex bonis temporalibus laicorum. Id probat Apostolus I ad Cor. cap. IX. dicens : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi : nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Ita, et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere. Deinde, potuerunt Apostoli jubere, ut Christiani in causis civilibus judices Christianos constituerent, nec ad judicia gentilium magistratuum accederent : sic enim mandat Apostolus I ad Cor. VI. dicens : *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari, apud iniquos, et non apud Sanctos? nescitis quia Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Quare si poterant Apostoli ordinare judicia in causis civilibus ; et mandare laicis, ut ministros Evangelii suis facultatibus sustentarent : quomodo nullum jus habebant in bona temporalia laicorum?

2. At inquit Barclaius : « Certo certius est, Ecclesiasticam potestatem fuisse omnino separatam a politica tempore Apostolorum, et hanc totam penes Ethnicos principes extra Ecclesiam fuisse, adeo ut ipsi Apostoli in potestate temporali Ethnicorum fuerint ; idque Albertus Pighius, et Robertus Bellarminus, aliique theologi insignes ingenue fatentur. »

Respondeo : Ecclesiastica potestas nunc etiam separata est a politica : non enim eadem, sed diversa est potestas pontificum, et regum. Sed quoniam, ut supra diximus, potestas Ecclesiastica, quæ spiritualis est, præest potestati politicæ temporali, et eam dirigere debet ad finem supremum æternæ vitæ : ideo potest in ordine ad spiritualia disponere de bonis temporalibus. Verum autem est Apostolorum tempore, politicam potestatem, non quamcumque, sed regiam, sive imperatoriam, fuisse apud ethnicos totam, quia nulli tunc erant reges, aut imperatores Christiani ; sed ex hoc nihil aliud sequitur, nisi potestatem ecclesiasticam eo tempore non habuisse paratam executionem, præsertim in temporalibus, ut hoc tempore habet : ipsos vero Apostolos fuisse in potestate temporali principum Ethnicorum scripsi olim cum Alberto Pighio, et aliis nonnullis : sed postea recognoscens, et expendens diligentius libros meos, censui, Apostolos de facto subjectos fuisse principibus illis, non de jure ; ut in Recognitione mea posui.

3. At inquit Barclaius : « Non venit Christus solvere legem, sed adimplere, nec naturæ et gentium jura tollere, aut quemquam temporali rerum suarum dominio excludere. Itaque sicut ante eum reges politica potestate subditis præerant, ita etiam postea quam advenit, et a nobis deinde in cœlos recessit, eam ipsam potestatem apostolica doctrina confirmatam, nullaque ex parte debilitatem retinuerunt. Si itaque Petrus, cæterique Apostoli, antequam Christum sequerentur, temporali principum Ethnicorum ditioni, et jurisdictioni subjiciebantur, quod negari non potest, nec Dominus ullibi diserte, et nominatim juris obligatione liberavit ; consequitur necessario, mansisse eos sub eodem jugo, etiam post Apostolatum.

Respondeo : Christus non venit legem solvere, sed adimplere : ideo non sustulit jura gentium, et naturæ, sed perfecit : non privavit reges et principes dominio, aut jurisdictione, sed eorum jurisdictionem, et dominia ordinavit : nam et in ipsa Ecclesia reges et principes sunt non minore præditi potestate politica, quam Ethnici essent : hoc solum accessit, quod præposuit illis Pastorem magnum, qui vice sua fungeretur in terris, a quo dirigerentur, si forte a via, quæ ducit ad regnum cœlorum, eos aberrare contingeret : quod beneficium Dei inter potissima debet agnosci a fidelibus omnibus ; sed a nullis magis, quam a regibus, et principibus, qui quo sunt in loco sublimiore, eo magis obnoxii sunt casui graviori, et tanto magis egent Episcopo, et Pastore animarum suarum, ut eleganter, et copiose admonuit Reginaldus Polus Cardinalis, in dialogo de Pontifice Maximo : quod autem Christus non liberaverit nominatim et expresse Petrum et Apostolos ab obligatione, qua tenebantur Ethnicis principibus, videtur omnino Evangelio repugnare : siquidem Matth. XVII. Christus solvit didrachma pro se et Petro, ob scandalum vitandum : nam aliaqui neque se, neque Petrum ad id vectigal solvendum obligatos fuisse demonstravit illis verbis :

censum? a filiis suis, an ab alienis? et respondente Petro, *ab alienis*, dixit illi Jesus : *ergo liberi sunt filii* (1) : quibus verbis declaravit, se, quod filius esset Regis omnium regum, immunem esse ab omni tributo, et censu : et quoniam cum filius regis immunis est, ipsa quoque ejus familia censetur immunis ; ideo Petrus et Apostoli, qui ad familiam Christi, ipsius beneficio, pertinebant, immunes quoque esse debebant : sed de hac re alibi scripsimus copiosius.

4. Sed non quiescit Barclaius, addit enim : « Sed et eos aliorum civium instar principibus subditos extitisse, ex ipsorum doctrina et factis apparet : quippe id illis exprobrari non potest, quod Christus Scribis, et Pharisæis improperat, aliud eos fecisse, aliud docuisse. Docuerunt autem Christianos subjectionem, et obedientiam, de qua loquimur, regibus et principibus exhibendam : qua de causa Paulus ipse ad Cæsarem appellavit, et jussit Christianos omnes subjectos esse temporali potestati Ethnicorum, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. »

Respondeo : Apostoli sine dubio non fuerunt similes Pharisæorum, qui aliud docebant, aliud faciebant ; non ideo de jure subjecti erant instar aliorum civium temporalibus potestatibus, cum essent ipsi constituti a Deo principes super omnem terram, ut legimus in Psal. XLIV., quamvis enim principatus ille spiritualis esset, non temporalis ; tamen verus principatus erat, et temporali principatu longe nobilior. Porro S. Paulus appellavit ad Cæsarem, ut ad judicem præsidis Judææ, et Hebræorum, qui injuste illum opprimebant : alioqui enim causa illa, quæ spiritualis erat, videlicet de Resurrectione Christi, et cæremoniis legis Mosaicæ, ad principem Ethnicum jure pertinere non poterat. Vide Acta Apostolorum c. XXI., XXII., XXIII., XXIV., XXV. et XXVI. Idem vero Paulus ad Rom. XIII. universalem doctrinam tradidit de obedientia inferiorum ad superiores, cum ait : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* : quam postea doctrinam applicavit in particulari ad obedientiam, quam debent subditi principibus temporalibus ; et tandem concludit : *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem* (2). Quare si quis probet, se non esse jure subditum alicui potestati, non tenebitur hac Apostolica sententia, etiam si forte de facto, vel ad scandalum vitandum subditum illum esse oporteat.

5. Subjungit Barclaius : « Nam quod quidam dicunt, B. Paulum non de potestate temporali sæcularium principum illic loqui, sed de potestate in genere, ut quisque suo superiori obediat, laicus laico, ecclesiasticus ecclesiastico ; mera cavillatio est, et responsum viris doctis, ac theologis indignum : nulla siquidem tunc temporis alia, quam politica, et temporalis potestas vulgo ab hominibus agnoscebatur. »

Respondeo : In verbis Apostoli, ut paulo ante diximus, quædam sunt sententiæ generales, quædam particulares. Quis enim inficiari potest, illam esse sententiam generalem : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* ? Item illam : *Non est potestas nisi a Deo* ? et illam : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* ? At Apostolus subjungens : *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali* ; et infra : *Si male egeris, time, non enim sine causa gladium portat* : videtur omnino, per sublimiores potestates, intelligi voluisse principes politicos. Ita est, per sublimiores potestates, politicos principes intelligi voluit, sed non solos : maluit enim doctrinam suam Apostolus generalibus verbis concipere, et proponere, ut pluribus prodesset, unde alibi monet, ut filii parentibus obediant ; uxores viris, servi dominis ; et populi præpositis suis Ecclesiasticis. Nam quod Barclaius dicit, nullam tunc temporis agnitam fuisse vulgo hominibus potestatem, nisi politicam et temporalem ; sententia est prorsus indigna homine docto, et jureconsulto. Siquidem notissima semper fuit potestas patria, potestas herilis, potestas maritalis, potestas magistri in discipulos, potestas denique ecclesiastica : quæ omnes potestates a politica (si proprie loqui velimus) apertissime distinguuntur. Ac de potestate ecclesiastica, nonne idem Apostolus frequentissime meminit ? Certe sic loquitur, II Cor. X : *Nam et si amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem, non erubescam*, et c. XIII. *Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi*, et ad Hebr. XIII. *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (3).

(1) Matth. XVII, 24. — (2) Rom. XIII, 1, 7. — (3) II Cor. X, 8, 10 ; Heb. XIII, 17.

6. Addit Barclaius testimonium S. Augustini, in expositione quarumdam propositionum epist. ad Roman. Ex quo testimonio colligit Barclaius, primo, Christianæ Religionis professionem non eximere quemquam a temporalis potestatis subjectione. Secundo, Apostolos, et ipsum sanctum Petrum, ethnico Magistratui subjectos fuisse. Tertio, non licuisse primis illis Christianis ab ethnicorum Principum imperio deficere, et alios sibi principes constituere, etiam si vires illis ad perficiendum suppetissent. Quarto, Augustinum intellexisse verba Apostoli de potestate temporali tantum. Quinto, Augustinum seipsum includere in numero eorum, quos Apostolus jubet subjectos esse debere potestatibus temporalibus. Ex quo sequitur, ut etiam Episcopi, et Clerici omnes subditi esse debeant iisdem temporalibus potestatibus. Sexto, duplex esse officium subditorum : unum, ut obediant regi, quando nihil jubet contra Deum : alterum, ut non obediant regi, quando contrarium jubet Deus.

Respondeo : S. Augustinus vere docet Christianæ Religionis professionem non eximere quemquam a temporalis potestatis subjectione : idque rectissime colligit ex verbis Apostoli, neque nos contradicimus. Sed ex hoc non sequitur S. Petrum, et Apostolos cæteros subjectos fuisse de jure temporalibus potestatibus ; neque hoc S. Augustinus dicit : nam etiamsi non eximebat Apostolos ab illa subjectione professio Christianæ Religionis, eximebat tamen Principatus apostolicus, qui sublimior est omni Principatu temporali. An autem licuerit Christianis deficere ab Ethnicis imperatoribus, infra suo loco tractabimus : interim hoc solum dicimus, id non colligi ex verbis Augustini, vel Apostoli : docet enim S. Augustinus ex Apostolo, Christianos debere obedientiam temporalibus principibus, dum videlicet, cum potestate imperant : non autem si a principatu excidant. Utrum autem licuerit Christianis imperium ethnicis abrogare, neque Apostolus, neque Augustinus hoc loco definit. Illud vero falsum est, S. Augustinum intelligere hunc locum Apostoli de temporali potestate tantum : nusquam enim habetur apud Augustinum, neque apud Apostolum particula, tantum, et nos habemus S. Joannem Chrysostomum cum Theodoreto, et Theophilacto, qui exponunt de potestate in genere : et S. Anselmum, qui exponit de potestate Ecclesiastica, et temporali, et S. Bernardum epist. XLII. et CLXXXIII. qui exponit etiam de utraque. Quod autem S. Augustinus se ipse numeret inter eos, qui jubentur obedire temporalibus potestatibus : non cogit, ut inde colligamus, Episcopos, et Clericos non esse exemptos a potestate seculari : nam cum dicit : Cum constemus ex anima, et corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ hujus vitæ utamur, oportet, nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus : ostendit, omnes homines egere legibus, et magistratibus politicis, sine quibus hæc vita tranquille duci non potest. Quemadmodum etiam Nicolaus Papa, in epist. ad Michaelem, scribit, ipsos etiam Pontifices uti legibus imperialibus pro cursu rerum temporalium : omnes enim observare debent hujusmodi leges, sed non omnes vi legum ipsarum, sed aliqui vi legum, aliqui vi legum, aliqui vi rationis.

7. Pergit Barclaius, et ait : « Quid indignius, et iniquius dici potest, quam Principes Christi fidem profitentes duriori jugo pressum iri, quam singulos de multitudine ? At privati homines quando in spiritualem Ecclesiæ ditionem concedebant, nihil patrimonii, aut juris temporalis amittebant, exceptis rebus illis, quas sponte obtulerant, ut ex Actis Apostolorum patet : similiter ergo, et Principes, ubi Christo nomen dabant, jus suum temporale, imperium dico, et potestatem politicam, integram, et intactam retinebant. »

Respondeo : Privati homines cum in Ecclesiam admittuntur, non amittunt quidem patrimonia, aut alia temporalia jura : possunt tamen per Ecclesiam cogi, ut Parochos suos alant, et, ut Apostolus loquitur, seminantibus spiritualia, concedant, ut carnalia metant ; ad quæ ante fidem susceptam minime tenebantur : possunt quoque in poenam variorum criminum, non solum cogi in foro interiore a confessariis, ut elecmosynis redimant peccata sua : sed etiam ab Episcopis in foro exteriore mulctari pœna pecuniara, vel etiam carceribus mancipari, ut ex concilio Trident. sess. XXV. cap. III. perspicuum est. Pari ratione Principes temporales cum ad familiam Christi veniant, neque Principatum, neque jurisdictionem suam amittunt ; sed subjiciuntur ei, quem Christus super familiam suam constituit, ut ab eo regantur, et dirigantur in ea via, quæ ducit ad vitam.

8. « Nec juvat, addit Barclaius, adversariorum causam, dicere, Apostolos ideo non habuisse temporalem potestatem in sui sæculi Principes, qua nondum facti erant Christiani: secundum illud, *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* I Corinth. v. Papam vero nunc illam potestatem habere, quia facti sunt Christiani, et filii Ecclesiæ, cujus ipse supremus Princeps, et caput in terris est, atque omnium Christianorum Pater: et rectum naturæ, et rationis ordinem postulare, ut filius patri, non pater filio subjiciatur. Hæc, inquam, adeo nihil ratio est, ut mirum sit, locum ei aliquem a viris doctis datum esse: nam illa subjectio spiritualis, per quam Principes facti sunt filii Papæ, penitus distincta, et separata est a subjectione temporali, ita ut altera alteram non sequatur. Sed quemadmodum Præses, vel Consul interea dum magistratum gerit, potest se in adoptionem alio dare, atque ita in familiam Patris adoptivi, et patriam potestatem transire, cum tamen per illum actum legitimum nec fasces consulares, nec aliud quicquam jure magistratus sibi competens in adoptantem transferat. »

Respondeo: Mirum est quam facile Barclaius de scriptis hominum doctorum pronunciet: cum optimo jure in ipsum retorqueri possit, ejus responsiones atque similitudines, adeo nihili esse, ut vix credibile sit eas auctori suo satisfacere potuisse. Siquidem illa similitudo filio adoptivo, qua tota ejus responsio nititur, nihil omnino facit ad rem: potestas præsidis, sive consulis, non solum distinctæ et separatæ sunt; sed etiam prior posteriore inferior est; et si pater potestate patria abutatur, potest per præsidem, sive consulem ac multo magis per regem, et principem corrigi, et in certis casibus potestate sua privari: cum e contrario si præses, aut consul, aut princeps potestate sua politica abutatur, non possit a patre adoptivo, vel etiam naturali pro imperio corrigi, et multo minus potestate sua privari. Jam vero potestas summi Pontificis spiritualis, et supernaturalis, et regat temporali, et terrena potestate sublimior, atque major non debuit conferri cum potestate humana Patris adoptivi erga filium præsidem, aut consulem, id est, cum potestate inferiore erga superiorem: sed cum potestate principis, aut præsidis erga potestatem patriam civium privatorum, id est, cum potestate superiore erga inferiorem. Ex quo sequitur, ut quamvis potestas Papæ, et regis distinctæ sint, et separatæ, et non necessario alia aliam sequatur: tamen cum in eodem Ecclesiæ corpore inveniuntur, potestas Papæ ita eminet, ut regiam potestatem dirigere, et corrigere; non ab illa dirigi, vel corrigi debeat, aut possit. Itaque tota deceptio Barclaii in eo posita est, quod spiritualem, et supernaturalem paternitatem summi Pontificis erga reges, et principes Christianos, nihilo sublimiorem esse censuit paternitate humana, et civili hominis privati erga filium adoptivum; quæ manifesta, et puerilis hallucinatio est.

9. « Hunc accedit, inquit Barclaius, quod florente plurimum Republica Christiana tum multitudine credentium, tum sanctimonia Pontificum, tum eruditione, et exemplis Doctorum, atque a malis interim Principibus Christianis vexata, atque jactata, nulla de hoc Principato, et jurisdictione temporali in Principes sæculares, non dicam expressa, et manifesta declaratio, sed ne levissima quidem menti facta sit. »

Respondeo: Quærere possem a Barclaio, unde factum sit, quod in testamento veteri tot sæcula transierint, antequam Pontifex regem deponi, et alium substitui jusserit: quod factum est cum Joiada Pontifex Athaliam reginam, non solum deponi, sed et interfici mandavit, et Joas regem substituit IV Regum XI. Item cum post divisionem regni Salomonis in regnum Israel, et regnum Juda, inter reges Israel nullus fuerit pius, sed omnes impii, et idololatræ; cur aliis multis toleratis Propheta Domini unxerit Jehu in regem, et jusserit, ut regem Joram, cui fidelitatem juraverat, interficeret: quod ille continuo fecit, et laudatus a Deo fuit, ut habemus IV Reg. IX et X. Responderet, opinor, sic placuisse Deo, cujus judicia inscrutabilia sunt. Eodem igitur modo Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, non semper exerit potestatem suam, sed pro loco, et tempore, ut a Spiritu Christi admonetur, et ducitur. Et quidem primis trecentis annis Ecclesia Christiana, non habuit reges Christianos, nisi paucissimos, ut Lucium in Britannia, et Donaldum in Scotia, qui cum pii essent, non erant causa, cur Ecclesia potestatem suam in illos exerceret. Successerunt postea reges, aut valde pii, et religiosi, ut Constantinus magnus. Constans ejus filius, Jovianus, Valentinianus, Gratianus, Theodosius, Honorius et alii: aut valde impii, et blasphemi, ut Constantinus, Julianus, Valens, Theodoricus, Totila, Gensericus, Hunericus et alii. Erga priores Ecclesia benevolentiam ostendere debuit, non severitatem: erga posteriores, quoniam potentissimi erant, severitatem ostendere nihil profuisset, ideo patientia potius adhibenda fuit, quam auctoritas. Sed cum temporibus Gregorii II Pontificis, Italici populi egre ferrent imperium Leonis Isaurici, hæretici, et persecutoris; et prompti essent ad jugum nefarii principis excutiendum, si Pontifex juberet, vel annueret, tum demum opportunum visum est Apostolicæ Sedi auctoritatem suam exerere; quando videlicet non frustra exereret. Sic etiam non ante Pontifex Zacharias de Childerico rege deponendo, et Pipino ad regnum evehendo cogitavit, quam populus, et Proceres Franci id expeterent, neque enim prudens consilium Pontificis fuisset, si inviti populo, et proceribus, regem illorum quamvis ineptum, et ignavum exauctorare tentasset. Quod si Barclaius tanti facit silentium annorum septingentorum, cur non majoris facere debemus nos verba, et exempla annorum nongentorum? nam Pontifices, et Scriptores Ecclesiæ prioris temporis, ut non affirmarunt, ita etiam non negarunt, esse in Apostolica sede potestatem aliquam disponendi de temporalibus, in ordine saltem ad spiritualia: Pontifices autem, et scriptores posterioris temporis, diserte pronunciarunt, eam potestatem Ecclesiæ non deesse. Ecclesia certe eadem est, neque adversus eam portæ inferi unquam prævalebunt; neque desunt Ecclesiæ temporis posterioris homines doctrina, et sanctitate illustres. Quare non recte de Ecclesia Christi sentit, qui nihil admittit, nisi quod expresse in veteri Ecclesia scriptum, aut factum esse legit, quasi Ecclesia temporis posterioris, aut desierit esse Ecclesia, aut facultatem non habeat explicandi, et declarandi, constituendi etiam, et jubendi, quæ ad fidem, et mores Christianos pertinent.

10. Adducit Barclaius S. Gregorium, qui in ep. 61, lib. II, vocat se famulum indignum imperatoris, et dicit, imperatori cœlitus datam esse potestatem super omnes homines: ubi notat illud, omnes, comprehendere etiam Papam, si Papa est homo, et ne quis forte respondeat, S. Gregorium ex humilitate ita esse locutum, citat illud ex S.

(1) Rom. XIII, 1

Augustino serm. 29, de verbis Apostoli: « Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras. » Denique addit verba S. Gregorii, in fine illius epistolæ: « Utrobique ergo quæ debui exolvi, qui et imperatori obedientiam præbui, et pro Deo, quod sensi minime tacui. »

Respondeo: S. Gregorius non solius imperatoris: sed omnium fidelium servum se nominabat, cum initio epistolarum suarum adscriberet, Gregorius servus servorum Dei. Et Joannes Diaconus, lib. IV Vitæ S. Gregorii cap. 38, testatur, a S. Gregorio vocari solitos fratres omnes Sacerdotes, filios, omnes clericos; Dominos, omnes laicos; nec tamen, opinor, Barclaius concedet, S. Gregorium omnibus laicis fuisse subjectum. Porro quod scribit S. Gregorius datam fuisse potestatem imperatori cœlitus, non significat, imperatoriam potestatem esse immediate a Deo; sed esse a Deo in eo sensu, quo dicit Apostolus, ad Roman. XIII: *Non est potestas nisi a Deo.* Omnis enim potestas a Deo est; sed aliqua immediate, ut Mosis, ut S. Petri, ut S. Pauli: aliqua mediante consensu hominum, ut potestas regum, consulum, tribunorum: nam (ut S. Thomas docet in 2, 2, quæst. 10, art. 10 et quæst. 12, art. 2, dominia, et principatus humani de jure humano sunt, non de jure divino. Quod addit S. Gregorius, super omnes homines, intelligitur super omnes homines romano imperio subditos; alioqui potestas Mauritii imperatoris fuisset etiam super Antipodas, super Garamantas, et Indos, et tamen non fuit super vicinos Persas, vel Scytas, nec super Germanos, aut Francos, aut Hispanos, aut alios innumerabiles: proinde poterat Barclaius omittere illam consecutionem, ergo super Papam, si homo est. Neque mentitus est ex humilitate B. Gregorius, cum servum se dixit eorum, quibus subjectus non erat; servus enim dicitur, qui servit aliorum utilitati, sive id faciat obediendo, sive imperando: nam et Apostolus, servum se fuisse scribit Corinthiorum, super quos tamen potestatem a Christo accepisse se dicit, II Cor IV et XIII. Denique quod attinet ad obedientiam, quam exhibuisse scribit S. Gregorius imperatori; dico eam fuisse coactam, et de facto, non de jure præstitam: nam idem S. Gregorius

in explicatione Psal. CI de Mauritio imperatore scribit hæc verba. In tantum autem suæ temeritatis extendit vesaniam, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, et in Domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet.

Pergit Barclaius, et exclamat : « O divinum Antistitem, et sententiam nullis non sequentium sæculorum Pontificibus inculcandam. Sed proh numen ; quo benigna illa, et humilis confessio a nostris sæculis exulavit; cui paulatim succrevit hæc minax, et fastuosa adversus reges, et imperatores oratio. Nos in supremo justitiæ throno collocati, supremum in omnes reges, et principes universæ terræ, cunctosque populos, gentes, et nationes, non humana, sed divina institutione nobis traditam potestatem obtinentes, declaramus, jubemus, præcipimus etc., quæ verba falsa, et inania, vel ex eo esse patet, quod Papa in principes, et populos infideles, qui multitudine Christianos superant, neque temporalem, neque spiritualem potestatem habeat, ut Bellarminus in libris de Romano Pontifice firmissima ratione ostendit. »

Respondeo : Hanc inanem exclamationem, et humilis confessionis laudationem S. ipse Gregorius refellit in eo privilegio, quod Monasterio S. Medardi concessit, quodque subscriptum ab ipso Gregorio, multisque Episcopis legitur lib. XIII Epistolarum post epistol. 31, in eo siquidem privilegio ita loquitur. Si quis autem regum, antistitum, judicum, vel quarumcumque sæcularium personarum, hujus Apostolicæ auctoritatis, et nostræ præceptionis decreta violaverit, aut contradixerit, vel fratres inquietaverit, vel conturbaverit, aut aliter ordinaverit, cujuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo privetur, et ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, a consortio Christianitatis, et corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur. Et supra dixerat, auctoritate divina, vice B. Petri Apostolorum Principis se statuere. Iisdem verbis utitur S. Gregorius in alio simili privilegio, quod habetur lib. XI epist. 10, quæ est ad Senatorem Abbatem. Itaque humilis ille servus servorum Dei eminentiam suæ dignitatis non ignoravit, cum divina auctoritate, vice Principis Apostolorum, omnibus regibus cujuscumque dignitatis, et sublimitatis essent, sub interminatione privationis proprii honoris imperare non timuit, ut præceptionis suæ decreta violare non auderent. Quid igitur est in Bullis Pii V et Sixti V (has enim bullas notat in margine) quas minaces, et fastuosas appellat Barclaius, quod non sit in privilegio illo ab humili Gregorio dato? Pius et Sixtus dicunt, potestatem divina institutione sibi traditam : et Gregorius dicit, auctoritate divina se præcipere. Illi dicunt, super omnes reges se potestatem habere : iste dicit, si quis regum, vel quarumcumque sæcularium personarum, etc. Illi dicunt, jubemus, præcipimus : Iste dicit, si quis regum etc., hujus Apostolicæ auctoritatis, et nostræ præceptionis decreta violaverit. At, inquit, verba illa Pii V et Sixti V falsa, et inania esse, vel ex eo patet, quod Papa in principes infideles neque temporalem, neque spiritualem potestatem habet. Respondeo : Si falsa et inania sunt ista verba, multo magis falsa, et inania erunt verba S. Gregorii, in epist. 61, lib. II, a Barclaio supra citata, et laudata, ubi S. Gregorius dicit, Mauritio imperatori, datam esse a Deo super omnes homines potestatem : constat enim imperatoris Mauritii potestatem non fuisse super omnes homines, cum non fuerit nisi super homines Romano imperio subditos, quod imperium eo tempore ne tertiam quidem hominum partem continebat; quemad modum igitur verba S. Gregorii de potestate Mauritii super omnes homines, intelligi debent de omnibus hominibus, qui romano imperio subjecti erant : sic etiam verba Pontificum de potestate super omnes reges, et populos, intelligi debent de omnibus regibus, et populis, qui sunt in Ecclesia Catholica, quæ toto terrarum orbe diffusa est : sic enim debere intelligi verba illa, docent verba præcedentia. Pius enim V initio Bullæ scribit, unicam esse veram Ecclesiam Dei, eamque totam S. Petro ejusque successoribus esse commissam, atque inde colligit, summum Pontificem potestatem habere super omnes reges, et populos, qui videlicet ad Ecclesiam pertinent, quæ in universo mundo est. Sixtus vero V dicit, sibi curam incumbere Ecclesiarum omnium, populorum, et gentium ; ubi non dicit, se habere potestatem in omnes populos et gentes; sed in ecclesias quæ sunt in omnibus populis, et gentibus. Similis locutio invenitur apud S. Bernardum in lib. III de Consid. cap. 1, ubi dicit, totum orbem terrarum ad curam summi Pontificis pertinere : « Ita, inquit, tu hæres, et orbis hæreditas » et; « orbe illi exeundum est, qui forte voluerit explorare, quæ non ad tuam pertinent curam »; et tamen ibidem dicit, Papam non esse dominum orbis; sed orbem totum ad eum pertinere, quia debet fideles pascere, eisque cum potestate præesse, et infidelium conversioni studium, et diligentiam adhibere, ut Apostoli faciebant. S. quoque Thomas in. 2. 2. quæst. 12, art. 2, dicit, Papam habere potestatem super fideles, et infideles, qui fidem aliquando susceperunt : non autem super eos, qui fidem numquam susceperunt, juxta illud Apostoli I Corinth v. *Quid ad me de his qui foris sunt judicare* (1)? quos auctores, et multos alios ego secutus sum in loco quem Barclaius notavit, videlicet lib. v de Pontifice cap. 2. Neque his repugnat quod supra docuimus cum S. Thoma, posse a Summo Pontifice privari quoscumque infideles a dominio quod habent super fideles : nam etiam si absolute non pertineat ad Pontificem de his qui foris sunt judicare, neque habeat Pontifex in illos ordinariam potestatem, cum ad gregem sibi commendatum non pertineant, nisi in potentia; tamen in ordine ad conservationem fidelium habet a Deo, auctoritatem privandi principes infideles dominio, quod habent super fideles, ut idem S. Thomas docet 2. 2. quæst. 10, art. 10.

Addo postremo, verba Pii V, non esse ita fastuosa, et minacia, ut Barclaius dicit : hæc enim sunt ipsius verba in Bulla excommunicationis Elizabethæ prætensæ Angliæ reginæ : « Regnans in excelsis, cui data est omnis in cœlo, et in terra potestas, unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris, videlicet Apostolorum Principi Petro, Petrique successori Romano Pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc unum super omnes gentes, et omnia regna principem constituit, qui evellat, destruat, dissipet, disperdat, et plantet, et ædificet, ut fidelem populum mutuæ charitatis nexu constrictum in unitate spiritus contineat, salvumque, et incolumem suo exhibeat Salvatori : quo quidem in munere obeundo, nos ad prædictæ Ecclesiæ gubernacula, Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus etc. » Et infra : « Illius itaque auctoritate suffulti, qui nos in hoc supremo justitiæ throno (licet tanto onori impares) voluit collocare, de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, prædictam Elizabetham hæreticam, et hæreticorum fautricem, eique adhærentes in prædicti anathematis sententiam incurrisse, esseque a Christi corporis unitate præcisos : quin etiam ipsam prætenso regni prædicti jure; necnon omni, et quocumque dominio, dignitate, privilegioque privatam etc. » Porro Bulla Sixti V, ita incipit : « Ab immensa æterni regis potentia, B. Petro, ejusque successoribus tradita auctoritas omnes terrenorum Regum, et Principum supereminet potestates, stabilique in petra consistens, nec ullis adversitatibus, vel etiam secundis flatibus a recto deflexa incoccussa profert in omnes judicia. » Et infra : « Itaque in præexcelso hoc solio, et in plenitudine potestatis, quam ipse rex regum, et Dominus Dominantium, nobis licet indignis, tribuit, constituti auctoritate Dei omnipotentis, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, et nostra, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, pronunciamus, et declaramus, etc. » Quare sententia quam Barclaius recitat, non habetur ad verbum in Bullis Pii V, vel Sixti V. Sed eam ipse variis ex locis ita construxit, ut ad invidiam conflandam aptissimum esse judicavit. Omitto cætera, quæ sunt in hoc tertio capite : quia non argumenta, vel rationes; sed maledicta sunt, et convicia adversus Pontifices : illum enim imitari volumus, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, I Petri II.

CAPUT IV.

De falsa causa originis temporalis potestatis Pontificiæ a Barclaio assignata.

In quarto capite disserit Barclaius de origine temporalis potestatis pontificiæ : quasi jam exploratum esset, divino jure sola spiritualia ad Summum Pontificem pertinere. Sed quoniam id neque exploratum, neque verum est, facile potuissem totum hoc caput silentio præterire, ut quod ad rem non faciat, vel certe solido fundamento careat. Videa-

(1) I Corinth. V, 12.

mus tamen quid sit, quod hoc loco adfert Barclaius.

« Duas res, inquit, potissimum invenio, quæ ansam Pontificibus tantam potestatem arrogandi videntur præbuisse. Una est ingens ille honor, qui ut par erat, a principibus, et populis Christianis summo animarum Pastori deferebatur, et deferri adhuc debet, atque etiam præjudicata sanctitatis opinio de Sede illa beatorum Apostolorum Petri, et Pauli. » Et infra : « Alteram tantæ jurisdictionis temporalis captandæ ansam præbuit gladius excommunicationis. »

Respondeo : Frustra quærit Barclaius unde tanta potestas Summis Pontificibus accesserit, cum ratio sit in promptu, quam et Doctores communi consensu, et Ipsa generalia concilia tradiderunt, summa videlicet spiritualis potestas divinitus collata Apostolo Petro, ejusque successoribus super omnem Ecclesiam, ex ea siquidem manifeste sequitur, ut in ordine ad spiritualia, et vitam æternam, possit Summus Pontifex de temporalibus quoque disponere, ut capite superiore explicatum est. Quod autem Barclaius dicit, ex honore maximo, qui Summis Pontificibus deferebatur, et præjudicata sanctitate illius Sedis, captasse ansam Pontifices arrogandi sibi potestatem temporalem super reges et principes ; falsum esse constat ex iis, quæ supra Barclaius ipse scripsit : siquidem honor maximus, et præjudicata sanctitas non defuit primis mille annis, immo tunc maxime viguit : et tamen Barclaius contendit, primum fuisse Gregorium VII, qui sibi potestatem temporalem in reges, et principes usurpavit, post annum millesimum, et septuagesimum ab adventu Salvatoris. Dicet fortasse, primis illis annis fuisse Pontifices optimos, sed postea factos deteriores ad gloriam temporalis imperii aspirare cœpisse. At Gregorius VII vir sanctissimus fuit, nec solum innocentia vitæ, sed etiam miraculis claras ; cujus rei tot sunt testes, quot scriptores illius temporis, exceptis schismaticis, vel hæreticis : quemadmodum etiam Innocentius III. et IV. qui hac potestate præter cæteros usi esse videntur, Pontifices laudatissimi habiti sunt. Neque verum est Gregorium VII. fuisse primum, qui de temporali regno disponere cœpit : nam et Gregorius primus, et *secundus*, et alii Pontifices optimi, et laudatissimi ante Gregorium VII. hanc potestatem habere se testati sunt, ut paulo infra docebimus. Porro excommunicatio est quidem instrumentum, quo Pontifices plerumque uti solent ad coercendas hujus sæculi potestates : sed etiam sine isto instrumento non semel Pontifices maximi de temporalibus dignitatibus pro Ecclesiæ utilitate, et animarum salute disposuerunt ; ut cum Zacharias Childericum regem Francorum deponi mandavit, et Pipinum inungi, atque in solium exaltari jussit, et populos ab obedientia, et fidelitate Childerico præstita liberavit : et cum Hadrianus primus Carolo Magno regi Francorum dignitatem Patritiatus Romani contulit : et cum Leo III. eumdem Carolum, imperatorem Occidentis dixit. Quare verum non est, excommunicationis censuram ansam dedisse Pontificibus, ut potestatem temporalem sibi arrogarent.

Sed placet notare nonnulla, quæ in hoc capite Barclaius non sine magna temeritate effutiit.

1. Primum est illud : « Sed hic lector monendus est, sententiam illam omnium vocibus celebratam, excommunicationem omnem esse timendam ; cum hac exceptione intelligi debere, extra quam si manifeste constet esse injustam ; tunc enim nec curanda, nec timenda est, modo absit ab excommunicato contemptus, et præsumptio. »

Hanc Barclaii doctrinam damnant omnes boni Scriptores, qui distinguunt inter excommunicationem injustam, et nullam : et injustam quidem docent cum S. Gregorio esse timendam ; nullam autem, non esse timendam, nisi aliquando ob scandalum, quando videlicet nullitas excommunicationis nota non est. Ac ne singulos Doctores afferre necesse sit, audiamus Marlinum Navarrum, qui communem doctrinam hanc esse testatur. In Enchiridio cap. 27. num. 3. sic Navarrus loquitur : Sententia excommunicationis, quantumvis injusta, valet regulariter, et ob id Gregorius in cap. 1. 2. quæst. 3. dixit, timendam esse sive justa sit, sive injusta, et infra : Ubi glossa, et ubique Doctores aperte dicunt valere, et ligare excommunicationem injustam, et differre ab ea, quæ est nulla.

2. Alterum est in illis verbis : « Cujus generis excommunicationis illa videtur, quæ in subditos profertur, eo quod regi, vel principi suo excommunicato pareant in iis, quæ temporalis sunt jurisdictionis, et Dei mandatis non repugnant. »

Hujus doctrinæ temeritatem, vel ex eo possumus demonstrare, quod per eam damnatur sententia Innocentii IV. lata in Lugdunensi concilio : quæ potest enim major esse temeritas, quam damnare manifestæ injustitiæ sententiam Summi Pontificis, in generali concilio latam, et omnium consensu probatam ?

3. Tertium est in illis verbis : « Et vero Gregorius VII. partim publica offensa Henrici IV. imperatoris, partim privata injuria permotus, id juris dandi, et auferendi regna aperte sibi primus omnium asseruit. »

Atqui falsum omnino est, quod Gregorius VII. primus omnium sibi asseruerit jus dandi, et auferendi regna : jam enim supra numeravimus sex Pontifices, qui ante Gregorium VII. idem fecerunt, videlicet Gregorium primum, Gregorium secundum, Zachariam, Leonem tertium, Gregorium quartum, et Hadrianum secundum. Nam Gregorius primus privilegio supra citato apposuit illa verba : « Si quis autem regum, antistitum, etc. honore suo privetur. » Gregorius secundus imperatorem Leonem Isauricum vectigalibus Italiæ privavit, teste Zonora, Cedreno, et aliis. Zacharias Childericum a regno deposuit, et Pipinum in regnum exaltavit, testibus Annalibus Francorum antiquissimis, ubi sic legimus : « Data auctoritate sua (Zacharias) jussit Pipinum regem constitui. » Et infra : « Secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est. » Idem dicit Aimoinus, Eginarthus, Lambertus, Rhegino, Sigebertus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Abbas Urspengensis, Otho Frigensis et Albertus Chrantzius, quorum verba infra citabimus. Leo tertius a Græcis ad Francos imperium Occidentis transtulit, quod testimoniis historicorum, Pontificum, imperatorum et ipsorum principum electorum probavimus in lib. I. de Translatione imperii. Gregorius IV. decretorum Francorum, quo Lodovico Pio imperium auferebatur, auctoritate sua rescidit, et imperium Ludovico restituit, ut refert Marianus Scotus lib. III. Chronici, his verbis : « Ludovicus reginam Aquis obviam ei venientem jubente Papa Gregorio accepit : siquidem filii Ludovici non solum imperium patri abrogaverant, sed etiam Judithan uxorem ei ademerant, sed utrumque jubente Gregorio recepit. » Et Paulus Æmilius lib. II. de rebus gestis Francorum : « Lugduni, inquit, concilium Episcoporum, quo Ludovici imperatoris filii contraxerant, habitum, imperium patri abrogatum, quod

decretum mox a Gregorio Pontifice Maximo rescissum est. » Denique Hadrianus secundos plus ducentis annis Gregorio septimo antiquior, cum accepisset, imperium Ludovici junioris imperatoris a Carolo Calvo rege armis tentari, scripsit ad Carolum minaces litteras, teste Antonio lib. V. cap. 24. qui sic ait : In epistolis Papæ continebatur, ut regnum quondam Lotharii, quod Ludovico imperatori spirituali ejus filio, hæreditario ei jure debebatur, et quod ad eum post mortem ejusdem Lotharii rediit, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invaderet, nullus commoveret, nullus ad se conaretur inflectere : quod si quis præsumeret, non solum per snæ auctoritatis ministerium infirmaretur, verum etiam vinculis anathematis obligatus nomine Christianitatis privatus, cum Diabolo omnino locaretur. »

4. « Quartum est in verbis sequentibus : Verum enim nihil aliud Gregorius eo facto quam cruentas, et furiosas tragœdias excitavit, nec infeliciter destinata vi, et armis prohibitus perfecit. »

Hoc quoque falsum esse notissimum est, quoniam cruentas, et furiosas tragœdias non Gregorii decretum, sed Henrici inobedientia peperit : et quod potissimum optavit Gregorius, ut videlicet investituras Episcoporum de manibus laicorum eriperet, partim per se, partim per successores omnino perfecit. Siquidem Gregorii sententiam, et decretum confirmarunt omnes ejus successores, Victor tertius, Urbanus secundus, Paschalis secundus, Gelasius secundus, et Calixtus secundus, cujus tempore imperatoribus cedentibus pax inter Sacerdotium, et regnum facta est : sic enim scribit Abbas Urspergensis in Chronico anni 1122 : « Ipse in cujus manu cor regis est, omnem animositatem Augusti sub Apostolicæ reverentiæ obedientiam, causa matris Ecclesiæ etiam ultra spem plurimorum inflexit, » etc. Vide totum locum.

5. Quintum, et ultimum est in illis verbis, ubi magnifice laudat Hosium episcopum Cordubensem, quem vocat virum magnum et nobilissimum Confessorem : atque ex ejus sententia constare dicit, Ecclesiam primis temporibus, neque temporalem potestatem in principes habuisse, neque habere se credidisse : ac ne quidem ob hæresim, quod crimen gravissimum et perniciosissimum est.

Sed nos Hosium virum magnum aliquando fuisse scimus, sed turpissime postea la-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
INSTITUTO GENERAL DE HISTORIA

psum in Arianam hæresim non *ignoramus*. Id enim tradit Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, et in Apologia secunda; Hilarius in lib. de Synodis; Epiphanius hæresi 73; Sebadius in libro contra Arianos; Sulpitius lib. II. Sacræ historiæ; Socrates lib. II. cap. 26; Sozomenus lib. IV. cap. 5; Vigilius Martyr, in lib. V. adversus Eutychetem; denique Isidorus de viris illustribus in Gregorio Betico. Deinde Hosius quantumvis numquam lapsus fuisset, tamen non tanti faciendus est ab hominibus Catholicis, ut anteponatur conciliis generalibus, non uni, sed multis, et Doctoribus omnibus initio a nobis citatis, qui communi consensu docent, propter hæresim posse a Summo Pontifice principes deponi, ac principatu privari. Addo postremo verba Hosii nihil omnino adversus communem sententiam facere. Quid enim ille dixit? non licere Pontifici imperium gerere, ut neque imperatoribus Pontificatum. Sed etiam si Pontifex imperium non gerat, potest tamen per ipsam pontificalem potestatem imperatorem hæreticum ab Ecclesia arcere, ac ne Ecclesiæ noceat, imperium illi abrogare. Neque enim Zacharias rex erat, et potuit tamen regem deponere: neque Leo III. imperator erat, et tamen imperium ab una gente ad aliam transferre potuit. Imo si Papa rex aut imperator esset, non potest imperiali, aut regia potestate imperatorem aut regem deponere, quia par in parem non habet imperium: proinde quod facit Papa, facit Apostolica, id est, suprema spirituali potestate, ut Christi Vicarius, non ut Princeps terrenus. Ex his apparet quantum officiat lumini mentis pravus propriæ opinionis affectus: Barclaius enim amore captus opinionis suæ in verbis Hosii perspicue se id videre existimavit, cujus nos ne vestigium quidem cernimus.

CAPUT V.

De potestate in temporalia, quam indirecte theologi summo Pontifici tribuunt.

In quinto capite Barclaius explosa (ut ipse dicit) Canonistarum, et Bozii sententia, aggreditur refutare sententiam Theologorum, qui dicunt Papam habere potestatem in temporalia indirecte. Sed antequam ad ejus argumenta refellenda accedam, explicabo, breviter quid intelligamus per voces illas directe et indirecte; et quis sit auctor earum vocum. Igitur per voces directe, et indirecte, non intelligimus, ut aliqui per jocum dicunt, potestatem spiritualem esse in Pontifice directe, id est, juste, et legitime; temporalem autem indirecte, id est, injuste, et usurpative; sed potestatem Pontificiam per se, et proprie spiritualem esse, et ideo directe respicere, ut objectum suum primarium, spiritualia negotia; sed indirecte, id est, per ordinem ad spiritualia, reductive, et per necessariam consequentiam, ut sic loquamur, respicere temporalia, ut objectum secundarium, ad quod non convertitur hæc spiritualis potestas, nisi in casu, ut loquitur Innocentius tertius, in cap. Per venerabilem, Qui filii sunt legitimi: « In aliis, inquit, regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus »: quomodo etiam loquitur sanctus Bernardus, in lib. I. de Consideratione, cap. 3. « Sed, inquit, aliud est incidenter excurrere in ista (temporalia negotia) causa quidem urgente: aliud vero ultro incumbere istis, tamquam magnis dignisque tali. » Porro auctorem harum vocum habemus Innocentium IV. Pontificem doctissimum. Is enim explicans, cap. Novit, de Judiciis, Paragr., de feudo, dicit, Pontificem directe non judicare de feudis, secus autem indirecte ratione peccati. Eadem distinctione utitur Joannes de Turrecremata, Thomas Cajetanus, Petrus de Palude, Durandus, Franciscus Victoria, Dominicus a Soto, Martinus Ledesmius, Jacobus Simanca, Antonius Cordubensis, Martinus Navarrus, Ludovicus Molina, et alii.

Venio nunc ad argumenta Barclaii. Primum adfert argumentum, quo ego fueram usus adversus eos, qui potestatem Pontificis, simul pontificiam, et regiam, spiritualem, et temporalem esse volebant, reges autem temporales, non tam esse reges, quam executores pontificiæ potestatis, et voluntatis. Argumentum meum hoc fuit: Potestas regum terrenorum est a Deo, ut confitentur ipsimet Pontifices: S. Leo, epist. 38. ad Martianum; sanctus Gelasius, in epist. ad Anastasium; sanctus Gregorius, lib. II. epist. 61. Nicolaus, in epist. ad Michaelem: ergo vel potest summus Pontifex tollere executionem administrationis a regibus, et imperatoribus tamquam summus ipse rex, et imperator, vel non potest; si potest ergo est major rex

Christo, cum possit auferre, quod Christus dedit; si non potest, ergo non habet vere potestatem regiam in ipsos reges, et imperatores. Hoc argumentum ita retorquet Barclaius adversus meam, et Theologorum cæterorum sententiam.

1. « Aut potest summus Pontifex aliquo modo, hoc est, directe, vel indirecte auferre regibus, et imperatoribus regna, atque imperia, aliisque conferre; aut non potest: si potest, ergo est aliquo modo major Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert: minor enim vel par auferre non potest, quod a majore, vel æquali concessum est, ac ne Vicarius quidem ejus, qui concessit sine expresso Domini mandato (ne quis nobis reponat, Papam tamquam Christi Vicarium id facere, cum ipse nullum de ea re mandatum neque expressum, neque tacitum accepisse inveniatur); si non potest, ergo falsum est, quod dicunt, eum habere summam potestatem indirecte disponendi de omnibus rebus temporalibus Christianorum, et deponendi de solio reges, et imperatores, aliosque in eorum locum sufficiendi. » Hæc Barclaius.

Respondeo: Cum diximus ex Pontificum sententia regum terrenorum potestatem esse a Deo, non intelligimus, esse a Deo immediate, quomodo est a Deo potestas summi Pontificis; sed esse a Deo, quia Deus voluit esse in genere humano politicum regimen; et ideo instinctum quemdam naturalem dedit hominibus, ut elegant sibi Magistratus a quibus regantur: et præterea voluit Deus regimen politicum esse distinctum ab Ecclesiastico, ut expresse docuit Nicolaus Papa, in epist. ad Michaelem; et post eum Innocentius, in cap. Solitæ, de majorit. et obedient. et ante utrumque Gelasius, in epist. ad Anastasium. Ex his perspicuum est argumentum meum solidum esse, et argumentum Barclaii omnino infirmum: nam si in summo Pontifice esset potestas spiritualis, et temporalis directe, et esset Pontifex rex mundi, ut est Pontifex Ecclesiæ universæ, et reges cæteri essent meri executores temporalis jurisdictionis; certe posset Pontifex pro arbitrio suo privare quoslibet reges administratione, et executione jurisdictionis temporalis; et hoc modo posset tollere regimen politicum, vel confundere cum Ecclesiastico: et esset major Christo, cum posset tollere, vel confundere potestates, quas ille voluit esse, et esse distinctas. At si in summo Pontifice ponatur potestas spiritualis tantum directe, et temporalis indirecte, id est, in ordine solum ad spiritualia; non sequitur, posse Pontificem tollere, vel confundere politicum regimen, sed solum sequitur, posse Pontificem per spiritualem, atque Apostolicam eminentissimam suam potestatem dirigere et corrigere potestatem politicam, eamque, si opus sit ad finem spiritualem, uni Principi adimere, et alteri conferre. Atque ut respondeamus in forma ad argumentum, cum ille dicit: Aut potest summus Pontifex aliquo modo, hoc est, directe, vel indirecte auferre regibus, et imperatoribus regna, atque imperia aliisque conferre, aut non potest; respondeo, potest; cum ille colligit, si potest, ergo est aliquo modo major Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert: nego consecutionem, nam Deus non dedit immediate regnum huic aut illi; sed dicitur potestas regum esse a Deo, quia Deus voluit esse inter homines potestatem politicam, eamque distinctam ab Ecclesiastica: proinde cum Summus Pontifex transfert regnum ab uno ad alium, non tollit quod Deus dedit, sed ordinat, et dirigit: et quemadmodum Deus dat regna hominibus mediante consensu, et consilio hominum; et potest, ac solet ea mutare et transferre de gente in gentem, mediante consilio et consensu eorumdem hominum; ita potest majore ratione ea mutare, et transferre propter finem spiritualem per Vicarium suum generalem, quem constituit super totam familiam suam. At, inquit Barclaius, iste Vicarius non habet mandatum Domini, neque expressum, neque tacitum. Immo habet expressum, sed in genere: eo siquidem ipso quod factus est Pastor gregis totius, et præpositus toti familiæ, et caput vice Christi totius corporis Ecclesiæ, intelligitur habere mandatum regendi, et dirigendi, et corrigendi omnes oves totius gregis; omnes conservos, qui sunt in familia; et omnia membra, quæ sunt in corpore: neque excipiuntur imperatores, et reges, nisi velint excipi a numero ovium Christi, et servorum Christi, et membrorum corporis Christi.

2. Adfert deinde Barclaius alterum argumentum, quod ego proposui adversus eorum sententiam, qui tribuunt Summo Pontifici potestatem temporalem directe in omnia regna mundi: illudque retorquere conatur adversus meam, et aliorum Theologorum sententiam de potestate temporali indirecte, id est, in ordine ad spiritualia, sic autem loquitur:

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Sed aliud longe efficacissimum, quod ex eodem Bellarmini libro, et capite supra retulimus, hoc loco ad institutum nostrum optimo jure in hunc modum adaptabimus. Si verum est, Papam habere potestatem indirecte disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, aut eam habet jure divino, aut jure humano ; si jure divino, deberet id constare ex Scripturis, aut certe ex Apostolorum traditione : ex Scripturis nihil habemus, nisi datas Pontifici claves regni cœlorum : de clavibus regni terrarum nulla mentio fit : traditionem Apostolorum nullam adversarii proferunt. »

Respondeo : Habet Summus Pontifex jure divino potestatem disponendi de rebus temporalibus Christianorum in ordine ad finem spiritualem. Id vero constat ex Scripturis ; nam in clavibus regni cœlorum Apostolo Petro, pro se, et successoribus traditis, Matth. XVI. non intelliguntur quidem claves regni terrarum, de quibus nulla mentio facta est in Evangelio, quia non erat necessarium, ut Summus Princeps Ecclesiæ simul esset monarcha temporalis hujus mundi ; sed intelligitur potestas disponendi de temporalibus, quatenus ea juvant ad aperiendum fidelibus regnum cœlorum, vel impediunt atque obstant, ne fidelibus aperiatur regnum cœlorum.

3. « At, objicit Barlaius, Quod si dixerint neque expresso Dei verbo, neque traditione Apostolorum ad hujus potestatis confirmationem opus esse ; cum indirecte tantum, et ex quadam sequela Pontifici competat, tamquam inseparabilis quædam accessio, et appendix potestatis illius spiritualis, qua supremus animarum Pastor in omnes Christiani gregis oves præditus est. Nos rursus ab eis petemus aliquod ejus accessionis, et conjunctionis testimonium ex Scripturis, vel traditione Apostolorum ».

Respondeo : Jam dixi, potestatem, de qua loquimur, haberi expresse in Scripturis, sed generatim, non in particulari ; in illo videlicet cap. XVI. Matth. *Tibi dabo claves Regni cœlorum*, et Joan. XXI. *Pasce oves meas* (1) : atque ex iisdem istis testimoniis divinis colligi particularem illam accessionem, et conjunctionem potestatis disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia, ut non semel explicatum est. Neque verum est quod Barclaius subjungit, hanc tantam potestatem tum a Christo, tum ab Apostolis eorum successoribus alto silentio in Ecclesia tot sæculis fuisse prætermissam. Nam a Christo satis aperte significata est in locis citatis : et ab Apostolo etiam indicata, I Corinth. VI, cum ait : *Nescitis, quia et Angelos judicabimus ? quanto magis sæcularia* (2) ? et a successoribus Apostolorum Petri, et Pauli, Romanis videlicet Pontificibus, re ipsa demonstrata est in depositione regnum, et imperatorum, jam inde ab anno Domini septingentesimo nam ante illud tempus, vel defuit necessitas, vel opportunitas.

4. « Objicit rursus Barclaius : Si utraque potestas ab altera : spiritualis scilicet a temporali, et e contra, separari possit, locus erit sententiæ, qua quod directe fieri non permittitur, id nec indirecte fieri statuit : ita enim prudentes definierunt, quoties aliquid directe fieri prohibetur, id nec indirecte quidem, sive per consequentiam fieri posse ; nisi id quod prohibitum est, sequatur necessario ad aliud jure permissum, ita ut permissum sine prohibito non possit procedere, et nisi (ut cum Jureconsulto dicam l. 5. §. generaliter, de donatione inter vir. et uxor.) utriusque causa ita commixta sit, ut separari non possit. Unde eum, qui solus rem alienare non potest, ne credere quidem posse liti super ea motæ concluditur, juxta Panorm. in cap. dudum. 54, de elect. et cap. cum pridem, de pact. quod nimirum oblique, et indirecte hoc modo rem alienaret. Si igitur Papa, quatenus Papa nullam temporalem jurisdictionem directe habet in Christianos, quod illi concedunt, superiore juris sententia effici videtur, eum ne indirecte quidem habere posse. Quapropter ut suam hominibus sententiam persuadeant, debent ex Scripturis, aut Apostolorum traditionibus testimonium proferre, vel saltem docere, temporalem potestatem de qua loquuntur ita conjunctam esse cum spirituali, ut ab ea divelli, et separari, ut, inquam, spiritualis sine ea consistere nullo modo possit : quod quoniam præstare nequiverunt, nihil nisi opiniones incertas sunt sequuti, et rationes quæ non satis videntur concludere quod assumunt ».

Respondeo : De conjunctione et separatione Ecclesiasticæ potestatis, et politicæ, duplex potest esse quæstio ; una : An possit Ecclesiastica potestas esse sine politica, ita

(1) Matth. XVI, 19 ; Joan. XXI, 19. — (2) I Corinth. VI, 3.

ut nullus in Ecclesia sit princeps politicus ; et contra : An possit potestas politica inveniri in aliqua gente, ubi nullus sit Prælatus ecclesiasticus ; et hoc modo concedimus posse inveniri has potestates omnino separatas : primis enim temporibus Ecclesiæ fuit in terris Ecclesia sine ullo principe temporali Christiano, et fuerunt eodem tempore, et sunt etiam nunc aliqua regna infidelium, ubi nulli sunt Prælati Ecclesiastici. Altera quæstio esse potest : An possit dari summa potestas Ecclesiastica, sive spiritualis, quæ non habeat aliquo modo annexam potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia : et hoc modo negamus posse dari potestatem summam ecclesiasticam, sive spiritualem, quæ non habeat annexam potestatem temporalem aliquo modo, id est, in ordine ad spiritualia. Nam etiam illo tempore, quo nulli erant in Ecclesia Principes temporales, potuit Princeps Ecclesiasticus jubere fidelibus, ut de bonis temporalibus alerent ministros Sacramentorum : item, ut fideles dirimerent inter se lites civiles, et non adirent pro his rebus tribunalia infidelium : quorum utrumque docet Apostolus in priore ad Corinth. cap. VI. et IX. Potuit quoque Ecclesia non tolerare super se Principem infidelem, si is avertere conaretur fideles a cultu veri Dei, ut S. Thomas docet in 2. 2. q. 10. art. 10. Denique illo tempore deerat usus potestatis hujus in principes, quia nulli erant : sed potestas ipsa non deerat : aliud enim est potestas, aliud usus potestatis. Itaque fundamentum Barclaii de separatione harum potestatum omnino corruit, et eo ruente ruit totum ædificium argumentorum ipsius. Nam quod adducit ex jure civili, et canonico non facit ad rem, quia non admittimus separari posse omnino potestatem spiritualem a temporali ; et contrarium pro comperto habemus ; idque ex testimonio Scripturæ, et praxi Ecclesiæ. Barclaius autem assumit tamquam certa, et concessa, nos destitui testimonio Scripturæ, et potestates illas nullo modo esse conjunctas ; quæ nemo nostrum concedit ; imo etiam falsa esse contendimus. Accedit præterea, quod quando in Ecclesia sunt principes temporales, ut post primos ducentos, vel trecentos annos semper fuerant : tunc potestas ecclesiastica, et politica conjunctæ sunt adhuc stictiore vinculo ; quoniam princeps politicus subjectus est principi spirituali ut filius patri, et membrum capiti. Siquidem respublica politica, et spiritualis unam Ecclesiam faciunt, non duas : et illius unius Ecclesiæ caput est Vicarius Christi, Petrique successor. Quare si quid valerent argumenta Barclaii pro principibus qui fidem Christi numquam susceperunt, quod tamen non admittimus ; certe pro principibus Christianis, aut qui Christiani aliquando fuerunt, nihil prorsus valent. Sed de hac re plura suo loco dicenda sunt.

CAPUT VI.

Cur primis septingentis annis Summi Pontifices non deposuerunt reges hæreticos, vel apostatas.

In 6. cap. Barclaius producit tamquam argumentum insolubile, quod neque usus, neque exemplum, neque mentio ulla talis Pontificiæ potestatis annis circiter mille in Ecclesia fuerit : cum multi interea principes Christiani impie, crudeliter, perverse, et magno Ecclesiæ detrimento regnis, atque imperiis abuterentur. Deinde adfert solutionem ad hoc suum argumentum, quam ante annos viginti ad argumentum simile dedit Franciscus Romulus in Responsione ad Apologiam, quæ falso Catholica inscribebantur : et eam solutionem in toto capite, et sequentibus usque ad duodecim prolixe admodum, et magnis clamoribus odiosissime refellere nititur, ut in his sex capitibus non jureconsultum, aut theologum disputatorem ; sed tragicum declamatorem agere voluerit. Quare adscribam hoc loco responsionem integram Francisci Romuli, ut eam Barclaius refert, deinde respondebo ad singulas partes Barclaianæ confutationis. Sic igitur loquitur Franciscus Romulus in Apologia cap. 8 :

« Jam vero quod quarto loco adversarius objicit de majorum nostrorum consuetudine, qui Principes multos hæreticos passi sunt, ut Constantium, et Valentem, Arianos ; Anastasium Eutychianum ; Heraclium Monothelitam, et si qui sunt alii, ad rem nihil facit ; neque enim Ecclesia temere, et inconsiderate potestate sua debet abuti. Porro non raro accidit, ut tanta sit quorumdam regum cum improbitate, ac sævitia juncta potentia, ut Ecclesiastica censura, neque ad eos coercendos quicquam prosit, et Catho-

« Sed aliud longe efficacissimum, quod ex eodem Bellarmini libro, et capite supra retulimus, hoc loco ad institutum nostrum optimo jure in hunc modum adaptabimus. Si verum est, Papam habere potestatem indirecte disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, aut eam habet jure divino, aut jure humano ; si jure divino, deberet id constare ex Scripturis, aut certe ex Apostolorum traditione : ex Scripturis nihil habemus, nisi datas Pontifici claves regni cœlorum : de clavibus regni terrarum nulla mentio fit : traditionem Apostolorum nullam adversarii proferunt. »

Respondeo : Habet Summus Pontifex jure divino potestatem disponendi de rebus temporalibus Christianorum in ordine ad finem spiritualem. Id vero constat ex Scripturis ; nam in clavibus regni cœlorum Apostolo Petro, pro se, et successoribus traditis, Matth. XVI. non intelliguntur quidem claves regni terrarum, de quibus nulla mentio facta est in Evangelio, quia non erat necessarium, ut Summus Princeps Ecclesiæ simul esset monarcha temporalis hujus mundi ; sed intelligitur potestas disponendi de temporalibus, quatenus ea juvant ad aperiendum fidelibus regnum cœlorum, vel impediunt atque obstant, ne fidelibus aperiatur regnum cœlorum.

3. « At, objicit Barlaius, Quod si dixerint neque expresso Dei verbo, neque traditione Apostolorum ad hujus potestatis confirmationem opus esse ; cum indirecte tantum, et ex quadam sequela Pontifici competat, tamquam inseparabilis quædam accessio, et appendix potestatis illius spiritualis, qua supremus animarum Pastor in omnes Christiani gregis oves præditus est. Nos rursus ab eis petemus aliquod ejus accessionis, et conjunctionis testimonium ex Scripturis, vel traditione Apostolorum ».

Respondeo : Jam dixi, potestatem, de qua loquimur, haberi expresse in Scripturis, sed generatim, non in particulari ; in illo videlicet cap. XVI. Matth. *Tibi dabo claves Regni cœlorum*, et Joan. XXI. *Pasce oves meas* (1) : atque ex iisdem istis testimoniis divinis colligi particularem illam accessionem, et conjunctionem potestatis disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia, ut non semel explicatum est. Neque verum est quod Barclaius subjungit, hanc tantam potestatem tum a Christo, tum ab Apostolis eorum successoribus alto silentio in Ecclesia tot sæculis fuisse prætermissam. Nam a Christo satis aperte significata est in locis citatis : et ab Apostolo etiam indicata, I Corinth. VI, cum ait : *Nescitis, quia et Angelos judicabimus ? quanto magis sæcularia* (2) ? et a successoribus Apostolorum Petri, et Pauli, Romanis videlicet Pontificibus, re ipsa demonstrata est in depositione regnum, et imperatorum, jam inde ab anno Domini septingentesimo nam ante illud tempus, vel defuit necessitas, vel opportunitas.

4. « Objicit rursus Barclaius : Si utraque potestas ab altera : spiritualis scilicet a temporali, et e contra, separari possit, locus erit sententiæ, qua quod directe fieri non permittitur, id nec indirecte fieri statuit : ita enim prudentes definierunt, quoties aliquid directe fieri prohibetur, id nec indirecte quidem, sive per consequentiam fieri posse ; nisi id quod prohibitum est, sequatur necessario ad aliud jure permissum, ita ut permissum sine prohibito non possit procedere, et nisi (ut cum Jureconsulto dicam l. 5. §. generaliter, de donatione inter vir. et uxor.) utriusque causa ita commixta sit, ut separari non possit. Unde eum, qui solus rem alienare non potest, ne credere quidem posse liti super ea motæ concluditur, juxta Panorm. in cap. dudum. 54, de elect. et cap. cum pridem, de pact. quod nimirum oblique, et indirecte hoc modo rem alienaret. Si igitur Papa, quatenus Papa nullam temporalem jurisdictionem directe habet in Christianos, quod illi concedunt, superiore juris sententia effici videtur, eum ne indirecte quidem habere posse. Quapropter ut suam hominibus sententiam persuadeant, debent ex Scripturis, aut Apostolorum traditionibus testimonium proferre, vel saltem docere, temporalem potestatem de qua loquuntur ita conjunctam esse cum spirituali, ut ab ea divelli, et separari, ut, inquam, spiritualis sine ea consistere nullo modo possit : quod quoniam præstare nequiverunt, nihil nisi opiniones incertas sunt sequuti, et rationes quæ non satis videntur concludere quod assumunt ».

Respondeo : De conjunctione et separatione Ecclesiasticæ potestatis, et politicæ, duplex potest esse quæstio ; una : An possit Ecclesiastica potestas esse sine politica, ita

(1) Matth. XVI, 19 ; Joan. XXI, 19. — (2) I Corinth. VI, 3.

ut nullus in Ecclesia sit princeps politicus ; et contra : An possit potestas politica inveniri in aliqua gente, ubi nullus sit Prælatus ecclesiasticus ; et hoc modo concedimus posse inveniri has potestates omnino separatas : primis enim temporibus Ecclesiæ fuit in terris Ecclesia sine ullo principe temporali Christiano, et fuerunt eodem tempore, et sunt etiam nunc aliqua regna infidelium, ubi nulli sunt Prælati Ecclesiastici. Altera quæstio esse potest : An possit dari summa potestas Ecclesiastica, sive spiritualis, quæ non habeat aliquo modo annexam potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia : et hoc modo negamus posse dari potestatem summam ecclesiasticam, sive spiritualem, quæ non habeat annexam potestatem temporalem aliquo modo, id est, in ordine ad spiritualia. Nam etiam illo tempore, quo nulli erant in Ecclesia Principes temporales, potuit Princeps Ecclesiasticus jubere fidelibus, ut de bonis temporalibus alerent ministros Sacramentorum : item, ut fideles dirimerent inter se lites civiles, et non adirent pro his rebus tribunalia infidelium : quorum utrumque docet Apostolus in priore ad Corinth. cap. VI. et IX. Potuit quoque Ecclesia non tolerare super se Principem infidelem, si is avertere conaretur fideles a cultu veri Dei, ut S. Thomas docet in 2. 2. q. 10. art. 10. Denique illo tempore deerat usus potestatis hujus in principes, quia nulli erant : sed potestas ipsa non deerat : aliud enim est potestas, aliud usus potestatis. Itaque fundamentum Barclaii de separatione harum potestatum omnino corruit, et eo ruente ruit totum ædificium argumentorum ipsius. Nam quod adducit ex jure civili, et canonico non facit ad rem, quia non admittimus separari posse omnino potestatem spiritualem a temporali ; et contrarium pro comperto habemus ; idque ex testimonio Scripturæ, et praxi Ecclesiæ. Barclaius autem assumit tamquam certa, et concessa, nos destitui testimonio Scripturæ, et potestates illas nullo modo esse conjunctas ; quæ nemo nostrum concedit ; imo etiam falsa esse contendimus. Accedit præterea, quod quando in Ecclesia sunt principes temporales, ut post primos ducentos, vel trecentos annos semper fuerant : tunc potestas ecclesiastica, et politica conjunctæ sunt adhuc stictiore vinculo ; quoniam princeps politicus subjectus est principi spirituali ut filius patri, et membrum capiti. Siquidem respublica politica, et spiritualis unam Ecclesiam faciunt, non duas : et illius unius Ecclesiæ caput est Vicarius Christi, Petrique successor. Quare si quid valerent argumenta Barclaii pro principibus qui fidem Christi numquam susceperunt, quod tamen non admittimus ; certe pro principibus Christianis, aut qui Christiani aliquando fuerunt, nihil prorsus valent. Sed de hac re plura suo loco dicenda sunt.

CAPUT VI.

Cur primis septingentis annis Summi Pontifices non deposuerunt reges hæreticos, vel apostatas.

In 6. cap. Barclaius producit tamquam argumentum insolubile, quod neque usus, neque exemplum, neque mentio ulla talis Pontificiæ potestatis annis circiter mille in Ecclesia fuerit : cum multi interea principes Christiani impie, crudeliter, perverse, et magno Ecclesiæ detrimento regnis, atque imperiis abuterentur. Deinde adfert solutionem ad hoc suum argumentum, quam ante annos viginti ad argumentum simile dedit Franciscus Romulus in Responsione ad Apologiam, quæ falso Catholica inscribebantur : et eam solutionem in toto capite, et sequentibus usque ad duodecim prolixe admodum, et magnis clamoribus odiosissime refellere nititur, ut in his sex capitibus non jureconsultum, aut theologum disputatorem ; sed tragicum declamatorem agere voluerit. Quare adscribam hoc loco responsionem integram Francisci Romuli, ut eam Barclaius refert, deinde respondebo ad singulas partes Barclaianæ confutationis. Sic igitur loquitur Franciscus Romulus in Apologia cap. 8 :

« Jam vero quod quarto loco adversarius objicit de majorum nostrorum consuetudine, qui Principes multos hæreticos passi sunt, ut Constantium, et Valentem, Arianos ; Anastasium Eutychianum ; Heraclium Monothelitam, et si qui sunt alii, ad rem nihil facit ; neque enim Ecclesia temere, et inconsiderate potestate sua debet abuti. Porro non raro accidit, ut tanta sit quorumdam regum cum improbitate, ac sævitia juncta potentia, ut Ecclesiastica censura, neque ad eos coercendos quicquam prosit, et Catho-

licis populis, in quos principes irritati magis sæviunt, plurimum obsit. Quid enim, quæso, profuisset quondam Ecclesiæ, si tentasset, vel Ostrogothos reges in Italia, vel in Hispania Visegothos, aut Vandalos in Africa excommunicare, ac de solio deturbare, quamvis id facere optimo jure potuisset? Quod idem de Constantio, Valente, et aliis supra nominatis intelligi debet. Siquidem ea tunc erant tempora, ut potius ad martyrium subeundum Episcopi, quam ad Principes coercendos parati esse deberent. At ubi vidit Ecclesia suæ potestati locum aliquem aperiri, vel cum ipsorum Principum spirituali utilitate, vel certe sine detrimento, et pernicie populorum : non sibi defuit, ut exemplo paulo ante allata demonstrant. Sic enim Ecclesia Leonem Isauricum imperii parte, et Henricum quartum toto Imperio, et Childericum regno Franciæ spoliandos esse j dicavit, ut re ipsa deinceps, et Leo parte Imperii, et Henricus Imperio toto, et Childericus regno caruerit. Itaque veteres illos Imperatores Constantium, Valentem, et cæteros non ideo toleravit Ecclesia (ut adversarius somniat) quod legitime in Imperium successissent; alioqui enim Leonem etiam, et Henricum, et Childericum, qui non minus legitime successerant, pertulisset; sed quod illos sine populi detrimento coercere non poterat, istos poterat ».

Hæc responsio Francisci Romuli a morsibus Barclaii vindicanda est, tum quia ad rem nostram maxime facit, tum quia est hominis Catholici, et eruditi, cujus librum jam olim vidi non Romæ excusum, ut Barclaius fingit; sed in Gallis; qua urbe non memini. Ergo Barclaius partem illam reprehendendam primo loco sibi desumpsit, ubi dicitur: Ea tunc erant tempora, ut potius ad martyrium subeundum Episcopi, quam ad Principes coercendos parati esse deberent. Quæ verba Barclaius pro sua modestia dicit, falsa esse, et in meris, mirisque mendaciis fundata. Deinde addit, ea indigna sibi videri, quæ ab ullo Catholico, nedum Theologo in medium adferantur. Denique ita in partem deteriorem ea verba interpretatur, ut exclamet: « Quid enim? an nos incidimus in ea tempora, quibus Episcopi milites potius quam martyres esse debeant? aut legem Dei, atque Ecclesiam præliis, quam prædicationibus defendere »? Atque hinc accepta occasione toto illo capite adversus mores Episcoporum, et Cardinalium maximo furore bacchatur. Sed nos conviciis et maledictis prætermissa, breviter respondebimus. Primo falsum esse dico, quod initio capitis ipse sumit, annis circiter mille, neque usum, neque exemplum, neque mentionem ullam talis Pontificiæ potestatis in Ecclesia fuisse : siquidem Exempla Gregorii primi, secundi, et quarti, nec non Zachariæ, et Leonis III. supra allata contrarium evidenter ostendunt. Deinde addo, Franciscum Romulum non divisisse responsionem in partes duas, ut iste fingit; una est enim, et simplex responsio, videlicet non potuisse Ecclesiam illo tempore uti potestate sua; ideo subeundum fuisse martyrium potius, quam fidem abnegandum. Quemadmodum etiam hoc tempore ubi ethnici prævalent, ut in insulis Japonis; vel hæretici, ut in Britannia, plurimi ad martyrium animantur, et reipsa martyrium fortissimo animo suscipiunt potius, quam ad fidei abnegationem perduci se sinant. Adjungo postremo tempus martyrii proprium illud esse, cum neque fuga, neque justa defensione sed sola passione abnegatio fidei declinari potest. Neque enim Dominus in Evangelio vim vi repellere unquam prohibuit; fugam autem non modo permisit, sed etiam in certo casu, ut cum Ecclesiæ necessitas, vel major utilitas id postulat, imperavit dicens: *Cum vos persequentur in una civitate, fugite in aliam*, Matth. x. (1); neque in gladios persecutorum irruere, sed mortem pro fidei confessione illatam tolerare æquo animo jussit. Et quidem quod attinet ad fugam tam evidens est mandatum Domini, et testimonia, atque exempla sanctorum Prophetarum, et Apostolorum, quæ copiose adducit S. Athanasius in Apologia pro fuga sua, ut nulla de hac re dubitatio Catholicis relicta sit, quod autem liceat vim vi repellere, et jure belli persecutionem sive gentilium, sive hæreticorum propulsare, si vires adsint, docent bella Machabeorum adversus Antiochum, qui populum Dei ad idololatriam compellere satagebat, docent bella Catholicorum adversus hæreticos in Africa tempore S. Gregorii, de quibus loquitur idem S. Gregorius, lib. I. epist. 77. ad Gennadium Exarchum, ubi eum laudat, quod magno zelo hæreticos armis persequeretur, eumque excitat, et hortatur, ut viriliter pergat, docent bella Catholicorum adversus hæreticos Albigenses, et Tholosanum Comitem Raymundum patronum ipsorum, ubi divina adjuvante gratia plus centum millibus uno prælio a Simone Comite Monfortio cum exigua manu cæsi sunt, ut scribit Paulus Æmilius lib. VI. historiæ Francorum, docent nostro tempore bella Helveticorum Catholicorum adversus Helveticos hæreticos Zwinglianos. Nam ut scribit Joannes Cochleus de Actis Lutheri anno 1531. Helvetii pro fide Catholica pugnantes, cum numero, et viribus essent inferiores, et sola justitia causæ superiores, quinque prœliis hæreticos gloriose vicerunt, quo tempore autem Catholici a Constantio Ariano imperatore vexari cœperunt, ad Constantem Principem Orthodoxum, qui in Occidente imperabat S. Athanasius aliique Episcopi Catholici confugientes litteras impetrarunt minaces ad Constantium, ut habetur in historia tripartita, lib. IV. cap. 25. quibus litteris ad tempus repressa persecutio est; sed paulo post Constante defuncto, et Constantio in toto orbe Romano imperium obtinente, cum nemo esset, qui illi resistere auderet : tempus illud advenit, quo Episcopi ad martyrium parari non autem de imperatore excommunicando, vel deponendo cogitare deberent. Atque hæc est sententia Francisci Romuli, non ea, quam illi Barclaius affingit, quasi voluerit olim Episcopos martyres esse debuisse, nunc milites esse debere.

(1) Matth. X, 23.

Ad CAPUT VII.

Cur Ecclesia Constantium hæreticum, et Julianum Apostatam imperatores non deposuit.

In septimo capite refutare Barclaius aggreditur verba illa postrema Francisci Romuli. « Itaque veteres illos imperatores Constantium, Valentem, et cæteros, non ideo toleravit Ecclesia, quod legitime in imperium successissent : alioqui enim Leonem etiam, et Henricum, et Childericum, qui non minus legitime successerant, pertulisset; sed quod illos sine populi detrimento coercere non poterat, istos poterat ». Et miratur, hoc idem scripsisse Bellarminum, lib. V. de Pontifice, cap. 7. Sed ut magis miretur, sciat hoc idem sensisse S. Thomam in 2. 2. quæst. 12. art. 2. ad primum, ubi dicit Ecclesiam tolerasse, ut fideles obedirent Juliano Apostatæ, quia in sui novitate, nondum habebat vires compescendi principes terrenos. Existimat igitur Barclaius, Ecclesiam facile potuisse, si voluisset, tum Constantium Arianum, tum Julianum Apostatam de solio deturbare; sed id non fecisse, quod sciret illos legitime in imperium successisse. Argumenta ejus hæc sunt. Primum, quia totus orbis tempore Constantii Christianus erat, et ejus pars maxima Orthodoxa. « Falsissimum, inquit, esse dico, non potuisse Ecclesiam coercere illos æque facile, atque istos, ne dicam facilius, et sine detrimento populi, sive id armis tentare, sive arte aliqua, et hominis devoti opera uti voluisset. Jam enim totus orbis sub Constantio Christianus fuit (ut ex epist. Constantini magni ad Ecclesiam, ab Eusebio, et Nicephoro relata constat) et ejus pars maxima Orthodoxa : ita ut vires illis ad opprimendum imperatorem nequaquam defuerint, si fas, aut pium credidissent armis adversus legitimum principem decertare. »

Respondeo : Primum, verum non est, tempore Constantii totum orbem fuisse Christianum, neque hoc dicit in ea epistola Constantinus. Etsi hoc esset verum, quomodo Symmachus præfectus Urbis longa oratione (quæ exstat apud S. Ambrosium inter Epistolas ejus vigesimam nonam, et trigesimam primam) persuadere conatus fuisset Valentiniano imperatori, ut sacra gentilibus Romanis restitueret? Cur S. Joannes Chrysostomus in orat. de sancto Babyla, et Theodoretus, in libris de curandis Græcorum affectionibus tam multa disputassent adversus gentiles sui temporis? Cur S. Augustinus, et Paulus Orosius scripsissent contra querelas gentilium, ille libros de Civit. Dei : iste historiam cladium, quas Romani antequam Christus advenisset acceperant? Denique Barbari, cum quibus post tempora Constantini ad Orientem, et Septentrionem Romani assidue decertabant. Parthi, Persæ, Sarmatæ, Gothi, nonne maxima ex parte gentiles erant? Deinde etiamsi hoc esset verum; non tamen inde recte colligi posset, facile fuisse Ecclesiæ coercere Constantium, vel Julianum : nam imperatores illi potentissimi erant, et multas legiones armatas ducebant, adversus quas nihil poterat inermis multitudo fidelium, præsertim cum principem aliquem Christianum non haberet, qui vellet, aut

posset eam armare, et armatam ducere adversus imperatores. Hoc certe tempore in imperium Turcarum plurimi sunt Christiani, et fortasse plures numero, quam ipsi Turcæ sint : tamen quia neque ducem, neque arma in promptu habent, adversus Turcarum regem nihil possunt ; quæ causa fuit olim, cur neque Itali jugum Gothorum, neque Africani Wandalorum, neque Galli Francorum excutere possent. At Leonem imperatorem Græcum facile fuit Summo Pontifici Gregorio excludere ab imperio Italiæ, quoniam vires ejus in Italia debilitatæ erant, et Proceres Italiæ hoc ipsum maxime expetebant, ut facultas eis a Pontifice daretur deficiendi ab imperatore impio : pari ratione Childericum regem Francorum nullo negotio potuit Zacharias Pontifex regno privare, cum id ipsum Proceres Franci cuperent, et ipse potestate rerum gerendarum ad Magistrum Palatii translata otio desidiaque langueret. Denique Henricum imperatorem non ante Gregorius Papa deponendum esse decrevit, quam gravissima ejus crimina vocibus populorum ad eum delata justitiam postularent, ut Marianus Scotus aliique ejus temporis historici docent.

Addit Barclaius, temporibus Constantii non defuisse in Ægypto, et Lybia, aliisque locis per Asiam, et Europam Monachos permultos, in quibus non minor zelus erat quam in illo, qui Henricum tertium Francorum regem confodit, qui, si licuisset, facile Constantium de medio tollere potuissent.

Respondeo : Non pertinet ad Monachos, aut alios Ecclesiasticos viros cædes facere, ut habetur 23. q. 8. can. 1. et seq. ; multo autem minus per insidias reges occidere. Neque Summi Pontifices consueverunt ista ratione principes coercere. Ipsorum mos est, primum paterne corripere, deinde per censuram Ecclesiasticam Sacramentorum communione privare ; denique subditos eorum a juramento fidelitatis absolvere, eosque dignitate, atque auctoritate regia, si res ita postulat, privare. Executio ad alios pertinet. Quare Innocentius Pontifex cum in concilio Lugdunensi Friderico II imperium abrogasset, dixisse fertur : « Ego, quod meum est, feci ; faciat, et prosequatur super his Deus, quod voluerit. » Id refert Matthæus Paris in Henrico III, referens acta anni Domini 1245.

Pergit deinde, et nititur, facile fuisse Ecclesiæ tollere de medio Julianum Apostatam, et Valentem Arianum, quia exercitus eorum magna ex parte Catholici erant, et Episcopis obedientes, quod cum non fecerit, sequitur, aut Pontifices illius temporis non esse functos officio suo, aut credidisse non sibi licere principes, quamvis apostatas, aut hæreticos deponere.

Respondeo : Julianum Apostatam difficillimum fuit deponere, quoniam ipse solus imperium regebat, neque verum est totum ejus exercitum fuisse Christianum : scribit enim Ruffinus, lib. II. cap. 1. totum fuisse pollutum sacrilegiis, sacrificiis videlicet idololatricis. Nam, ut scribitur in Historia tripartita, lib. VII. cap. 1. legem tulerat Julianus, ut omnes milites sacrificarent idolis, aut de militia ejicerentur. Itaque plenus erat exercitus Paganis, aut iis, qui a Christo defecerant. Neque his repugnat, quod adversarius citat ex Ruffino, Socrate, et Theodoreto ; Joviano recusante imperium sumere, quod ipse Christianus cum esset, Paganis imperare nolebat, exercitum una voce clamasse, et nos Christiani sumus. Siquidem ea vox significabat, plerosque illorum corde, ac voto Christianos fuisse, non manifesta professione : alioqui Jovianus, non eis objecisset paganismum, neque dixisset, se nolle imperare Paganis. Itaque si qui erant in exercitu Juliani Christiani, occulti erant, et communicatione sacrilegorum maculati, Pagani habebantur. De Valente idem omnino dici potest : quamvis enim paucos quosdam in excercitu suo Catholicos haberet, tamen multitudo, Principis sequebatur errores. Neque alia causa est, cur Valentinianus Catholicus imperator fratrem Valentem hæreticum toleraret, nisi quia non facile erat sine periculoso, et ambiguo bello de imperatorio solio illum dejicere.

Subjungit postremo Barclaius duo Patrum testimonia, unum S. Gregorii Nazianzeni, orat. 1. in Julianum, cujus verba sunt : « Coercitus est Dei clementia, et lacrymis Christianorum, quæ multæ jam, et a multis erant effusæ, cum solum hoc contra persecutorem haberent remedium. » Alterum, S. Augustini, tract. in Psal. CXXIV. qui sic loquitur : « Julianus extitit infidelis imperator, nonne extitit apostata, iniquus, idololatra ? Milites Christiani servierunt infideli imperatori : ubi veniebant ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in cœlo erat ; quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum : quando autem dicebat, producere aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant, distinguebant Dominum æternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali. »

Respondeo : S. Gregorius dicit nullum adversus Juliani persecutionem fuisse remedium præter lacrymas ; quoniam non habebat Ecclesia vires, quibus illius tyrannidi resistere posset. Ideo enim lacrymis Dei benignitas imploranda erat ; quoniam aliunde auxilium expectari non poterat. Neque negavisset S. Gregorius, potestatem politicam jure subjectam esse debere spirituali Pontificum potestati, cum hoc ipsum disertis verbis scriptum reliquerit, in Oratione ad populum pertimescentem, et Præsidem iratum : quare hoc loco de facto loquitur non de jure. Sanctus Augustinus recte dicit : Milites Christianos servivisse Juliano imperatori infideli, quoniam initio imperii sui tolerabat Christianos ; nec solos milites Christianos esse patiebatur ; sed etiam Episcopos Catholicos, quos Constantius Arianus relegaverat, ad sedes suas reverti permisit, ut refert Ruffinus, lib. I. cap. 27 ; postea tamen, ut ex Tripartita citavimus, cogebat omnes, aut idolis sacrificare, aut militia excedere : quo tempore Jovianus, et Valentinianus cingulum militiæ abjicere, quam idolis sacrificare maluerunt ; propter quod Deus, qui reddit centuplum in hac vita, utrique paulo post, pro cingulo militiæ regium diadema donavit. Porro Barclaius perperam interpretatur illa verba : « Ubi veniebant ad causam Christi » : dicit enim, causam Ecclesiæ esse causam Christi ; et ideo si licitum esset Imperatorem Apostatam deponere, debuissent milites Christiani, jubente Ecclesia, in ipsum Julianum arma convertere. At S. Augustinus verba sua ipse interpretatur, cum ait : « Quando volebat Julianus, ut idola colerent, præponebant illi Deum ». Hanc igitur vocat causam Christi S. Augustinus : quamvis autem sit etiam Christi causa, Ecclesiæ causa, tamen non tenebantur milites Christiani in imperatorem suum, quamvis Apostatam, et persecutorem arma convertere, nisi antea hostis judicatus esset : Ecclesia vero tolerandum potius censuit, quam irritandum, cum satis virium ad eum deponendum non haberet, ut sanctus Thomas ad hoc ipsum argumentum respondet in 2. 2. qu. 12 artic. 2.

Ad CAPUT VIII.

Cur Ecclesia non deposuit Valentinianum juniorem Arianum.

In cap. 8. Barclaius probat, non defuisse vires Ecclesiæ, quibus Valentinianum Juniorem hæreticum ab imperio deponeret : sed frustra laborat ; non enim Franciscus Romulus, cujus disputationem Barclaius refellendam suscepit, de isto Valentiniano ullam mentionem fecit : sciebat enim facile fuisse S. Ambrosio illum dejicere, præsertim cum maximus princeps catholicus jam esset in armis, ut Valentinianum hæreticum coerceret, et tota civitas Mediolanensis, et ipsi etiam milites ab Ambrosio starent. Cur igitur, inquies, S. Ambrosius Valentinianum hæreticum toleravit ? Causa est in promptu, quia Valentinianus puer erat, et non proprio judicio, sed matris auctoritatem sequutus Ecclesiam persequi cœpit. Sperabat vero S. Ambrosius facile posse adduci eumdem Valentinianum, ut Parentis sui Valentiniani senioris, et fratris Gratiani, necnon collegæ Theodosii Catholicorum imperatorum fidem, et pietatem sequeretur. Quod etiam brevi contigit : resipuit enim Valentinianus, et S. Ambrosium ita colere cœpit, ut nullum haberet, cui magis fideret, neque quem magis observaret : denique parentis loco illum deinceps semper habuit, quæ omnia vera esse intelliget, qui orationem ejusdem S. Ambrosii in funere Valentiniani imperatoris habitam legere voluerit. Ex quo etiam respondetur ad id quod Barclaius objicit de Theodosio imperatore, qui Valentinianum ad se confugientem complexus est, eumque fugato Maximo in imperium restituit.

« Res notatu digna, inquit Barclaius, hæreticus a Catholico fugatur, ad Catholicum auxilii causa fugit : a quo et reprehensus est propter hæresim, et propter reverentiam Majestatis humaniter exceptus, atque in regnum restitutus : et quia Ecclesia rebellionem Religionis ergo, adversus legitimum principem non laudavit, Maximus neque reformator imperii dictus est, neque restaurator Ecclesiæ, sed rebellis, et tyrannus. »

Respondeo : Theodosius optimo jure Valentinianum adjuvandum suscepit adversus

Maximum, tum animadvertit, illum a matre seductum facile posse ad fidem Catholicam reduci, quod ut (diximus) continuo factum est; tum quia Theodosius a Gratiano Valentiniani fratre ad imperii societatem vocatus fuerat, proinde æquum erat, ut benefactoris sui fratrem, et imperii collegam in tanto periculo non desereret; tum denique quia maximus non præcipue propter religionem, sed propter dominandi cupiditatem imperium usurpaverat, et Gratianum legitimum principem interfecerat. Itaque Theodosius non adversus defensorem Catholicæ fidei, sed adversus parricidam imperatoris, et injustum imperii usurpatorem arma suscepit.

His explicatis Barclaius, quasi parta victoria exultans, ait : « Hæc cum ita sint, desinant nunc velim adversarii commento suo nobis imponere, aut saltem dicant, unde id hauserint? »

Respondeo : Commentum dici non potest, quod omnes doctores, et ipsa concilia generalia tradiderunt. Unde autem id hauserimus, non semel ostendimus, et paulo post clarius ostendemus.

Subjicit Barclaius : « Constat omnes ea ætate sensisse, nullam vel Episcopo Romano, vel Ecclesiæ universæ temporalem potestatem ullo modo, ullave ex causa in eos competere, sed solius Dei judicio, quantum ad pœnas temporales relinquendos, » et paulo post : « Rujus, inquit, rei testem in primis Tertullianum produco, qui de imperatoribus loquens in Apologetico : Scutiunt, inquit, Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, a quo solo sunt secundi, post quem primi, ante omnes deos, et super omnes homines, et in libro ad Scapulam : Colimus, inquit, imperatorem sic, quomodo, et nobis licet, et ipsi expedit, et hominem a Deo secundum, et quicquid est a Deo consecutum, solo Deo minorem : hoc et ipse volet; sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est. »

Respondeo : Falsum est, constare, omnes Doctores ea ætate sensisse, nullam vel Episcopo Romano, vel Ecclesiæ universæ temporalem potestatem ullo modo, ullave ex causa in principes Christianos competere. Auctores enim, quos Barclaius adducit, et paucissimi sunt, et non dicunt quod ipse affirmat. Tertullianus, qui primo loco citatur, de principibus ethnicis loquitur, qui toti orbi Romano imperabant, et nondum sceptra sua Christo subjecerant. Itaque secundi a Deo in rerum temporalium administratione de facto dici poterant : « At, inquit Barclaius, lex Christi jure suo neminem privat, proinde reges, et imperatores accedendo ad Ecclesiam, nihil juris sui temporalis amittunt. » Verum est, nihil amittunt, sed multa lucrantur potius, cum et reges temporales sint, quod antea non erant. Sed si ad regnum cœleste adipiscendum, oporteat eos Vicario Christi subesse, ut jam non liceat illis temporali potestate abuti ad suam, et aliorum perditionem, moleste ferre non debent.

Secundo loco Barclaius Ambrosium producit, qui in Apologia David sic loquitur : « Rex utique erat (David) nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges, a vinculis delictorum : neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. »

Respondeo : Liberi sunt reges a legibus politicis, tum suis, tum prædecessorum regum, quia par in parem non habet potestatem : non sunt tamen liberi a legibus Dei, et Ecclesiæ; et hoc videmus etiam commune fuisse cum regibus testamenti veteris, qualis erat David. Siquidem cum rex Ozias thus adolere vellet in templo Domini, quod erat officium summi sacerdotis, et repulsus a sacerdotibus non acquiesceret, continuo lepra percussus est, et ad judicium sacerdotum coactus est habitare seorsim, et a regni administratione cessare; ut dicitur in II lib. Paralip. cap. XXVI. Addit Josephus lib. IX. Antiquitatum cap. 11. ab eo tempore Oziam privatum vixisse, ac longo mœrore consumptum. Simili fere modo, cum Principem Christianum lepra hæresis infectum cernit Summus Pontifex, segregat illum a cœtu priorum per sententiam excommunicationis, ac ne cæteros inficiat, solvit ejus subditos a juramento fidelitatis, atque si opus sit, jubet etiam sub eadem excommunicationis pœna, ne illum pro rege habeant, neve illi ut regi pareant.

Tertio Barclaius Gregorium Turonicum testem adducit, qui in lib. v. hist. Francorum cap. XVIII. his verbis alloquitur regem : « Si quis de nobis, o rex, justitiæ tramites transcendere voluerit, a te corripi potest; si vero tu excesseris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, sed si volueris, audis, si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is, qui se pronunciavit esse justitiam? »

Respondeo : Loquitur Gregorius de potestate, quam habent reges de facto cogendi homines particulares, et quam non habent

homines particulares ad cogendos reges : accusaverat enim rex Childericus Prætextatum Rothomagensem tamquam reum majestatis, apud Parisiensem Synodum, in qua cum aliis multis Gregorius Turonicus sedebat : et quoniam Gregorius Prætextatum innocentem esse, et a subornatis falsis testibus gravari intelligebat, condemnationi ejus assentiri nullo modo volebat. Itaque sciens rex unum Gregorium sibi resistere, dixit illi : O Episcope, justitiam cunctis largiri debes : et ecce ego justitiam a te non accipio; sed ut video consentis iniquitati, et impletur in te proverbium illud, quod corvus oculum corvi non eruet. Tum Gregorius demonstrare volens, fieri non posse, ut aliquis nolit regi justitiam facere, cum rex possit eum cogere, ut justitiam faciat; sed econtrario fieri posse, ut rex nolit justitiam facere, cum nemo possit eum cogere, ut justitiam faciat : respondit verba superius posita : « Si quis de nobis, o rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, a te corripi potest : si vero tu excesseris, quis te corripiet? » Atque hanc esse sententiam horum verborum, non solum perspicuum est ex verbis præcedentibus; sed etiam ex eventu illius causæ, nam, cum rex variis artibus, et dolis conatus esset extorquere a Synodo sententiam damnationis contra Prætextatum, et non obtinuisset; vi adhibita, conjecit eum in carcerem, et cum is clabi voluisset, graviter cæsus in exilium missus est, ut eodem loco narrat Gregorius, et etiam Aimoinus, lib. III. hist. Francorum cap. XXVI. Neque hic finis furoris fuit Fredegundis reginæ, in cujus gratiam rex omnia illa moliebatur, nam cum postea per Guntrannum regem Prætextatus in suam sedem restitutus fuisset, dolo ejusdem reginæ per sicarium quemdam ad altare sacrum Prætextatus occisus fuit, teste eodem Gregorio lib. VIII. cap. 31; qui Prætextatus inter sanctos martyres haberi cœpit. Hæc igitur est illa potestas, quam reges in Episcopos habent, ut videlicet vi adhibita contra justitiam in illos, si velint, animadvertant; et quam non habent Episcopi in reges, ut eos quamvis jure damnatos obtemperare cogant, nisi ab alia temporali potestate majori juventur.

Quarto loco adducit Barclaius testimonium sancti Gregorii Papæ, qui se famulum imperatoris appellavit, et imperatori cœlitus datam potestatem super omnes homines fassus est. De quo testimonio satis multa dicta sunt capite tertio, neque opus est illa repetere.

Ultimo loco adducit Othonem Frisingensem in epistola ad Fridericum Ænobarbum, cujus hæc sunt verba : « Soli reges, utpote constituti supra leges, divino examini reservati, sæculi legibus non cohibentur : unde est illud tam regis, quam Prophetæ, *Tibi soli peccavi* : et mox : Cum enim juxta Apostolum homini mortali horrendum sit incidere in manus Dei viventis; regibus tamen, qui nullum præter ipsum supra se habent, quem metuant, eo erit horribilius, quo ipsi possunt cæteris peccare liberius.

Respondeo : Otho Frisingensis aperte loquitur de legibus sæculi, quibus sine dubio reges subjecti non sunt, subjectione coactiva : nam non solum in verbis citatis habetur, sæculi legibus non cohibentur; sed etiam paulo ante sic loquitur Otho : « Præterea cum nulla inveniatur persona mundialis, quæ mundi legibus non subjaceat, subjacendo coerceatur, soli reges, utpote constituti supra leges etc. » At, addit Barclaius, « Reges ex Othonis sententia nullum habent supra se, quem timeant, nisi Deum; ergo non solum a legibus sæculi; sed etiam a legibus Ecclesiæ, saltem quoad temporalem pœnam liberi sunt, alioqui haberent supra se Summum Pontificem, quem timerent, et non solum Deum. Præterea ex ejusdem Othonis sententia, reges divino solius Dei examini reservantur : non igitur judicio subjiciuntur Papæ, saltem in temporalibus. »

Respondeo : Otho Episcopus Catholicus, et pius, non voluit dicere, reges non teneri legibus Pontificiis, vel non habere super se Christi Vicarium, quem timeant, vel non subjacere summi Pontificis examini saltem in rebus spiritualibus, et quoad pœnas spirituales; si enim id vellet, hæreticus esset. Ergo cum ait, reges solius Dei examini reservari, et non habere super se, quem timeant, nisi Deum, et solutos esse legibus, utpote supra leges constitutos; necesse est restrictionem addere, vel ex parte legum, vel ex parte pœnæ. Barclaius libenter admittet restrictionem ex parte pœnæ; sed nos dicimus restrictionem subintelligendam esse solum ex parte legum. Id probamus, quia in verbis Othonis invenitur restrictio ex parte legum, cum dicat, eos non subjacere mundi legibus, et rursum, sæculi legibus non cohiberi : restrictio ex parte pœnæ, temporalis videlicet, in verbis ejus, nusquam legitur.

Præterea non ignorabat Otho Childericum Regem a Summo Pontifice fuisse depositum, et postea Henricum imperatorem a Gregorio Papa VII. exauctoratum, nam utriusque rei meminit in Historia sua, lib. v. cap. 23. lib. vi. cap. 34. 35. 36. neque reprehendit factum : immo videtur probare cum his verbis laudet Gregorium VII. lib. vi. cap. 34. « Forma, inquit, gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ne fortis per omnia athleta murum se pro domo Domini ponere non timuit, » et cap. 36. « Ecclesiæ, inquit, tanto Pastore, qui inter omnes Sacerdotes, et Romanos Pontifices præcipui zeli, et auctoritatis erat, turbata dolorem non modicum habuit. » Igitur sensus verborum Othonis hic erit, reges legibus sæculi non teneri, et quantum ad eas leges solius Dei examini reservari, et quantum ad easdem leges neminem sapere se habere, quem metuant, nisi Deum.

Propter hæc testimonia triumphat Barclaius dicens : « Si contrarii e opinionis assertores tot antiquorum Patrum testimonia, immo si vel unum proferre possint, quo diserte scriptum sit, Ecclesiam, vel ejus caput summum Pontificem habere temporalem illam potestatem in reges, et principes sæculares, et posse eos temporalibus pœnis quoquo modo, directe scilicet, vel indirecte coercere, aut regno, regnive parte mulctare, non equidem recusabo, quo minus lis tota secundum ipsos sine provocatione judicetur. »

Respondeo : Auctores a Barclaio producti, non diserte scripserunt, reges, et principes Christianos non posse ab Ecclesia, vel ejus capite Summo Pontifice pœnis temporalibus directe, vel indirecte coerceri, aut regno, regnive parte mulctari : et si hoc diserte scripsissent possemus nos Tertulliano ab ipso allato S. Cyprianum opponere, qui lib. i. epistol. 3. jubet cum hæreticis nulla commercia copulari : quod antea S. Irenæus Tertulliano antiquior docuerat, lib. iii. cap. 3. adversus hæreses dicens : « Tantum Apostoli, et horum discipuli timorem habuerunt, ut neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem ; quemadmodum, et Paulus ait, Hæreticum hominem post unam correptionem devita. » In quem sententiam omnium Patrum testimonia possent adduci. Ex quibus aperte colligitur, hæreticum regem, si id fieri possit, non esse ab Ecclesia tolerandum, sed excommunicandum, et fidelem populum ab ejus obedientia removendum, ne cogatur ei servire, quem vitare jubetur, neque cum eo commercia copulare, cum quo ne colloquium quidem miscere deberet. S. Ambrosio, S. Gregorium Nazianzenum opponeremus ejus æqualem, qui in Oratione ad populum timore perculsum, et Præsidem irascentem, comparavit spiritualem potestatem animæ, temporalem carni, ac docuit, ita subjectam esse debere potestatem temporalem spirituali, ut caro subjecta est animæ. Atque hoc ipsum est fundamentum sententiæ nostræ. S. Gregorio Turonico opponeremus, S. Gregorium Romanum ætatis ejusdem, qui, ut supra diximus, in duobus privilegiis illa verba apposuit : Si quis autem regum, antistitum, aut judicum, aut quarumcumque sæcularium personarum hujus Apostolicæ auctoritatis, et nostræ præceptionis decreta violaverit, honore suo privetur. Denique Othoni Frisingensi opponeremus Gregorium VII. centum fere annis antiquiorem, qui diserte scribit, posse regem sæculi a Sede Apostolica certis de causis regno privari ; vide Epistolam ejus ad Episcopum Metensem. Opponeremus etiam S. Bernardum, et Hugonem de S. Victore, qui Othonis tempore floruerunt, quorum testimonia in præfatione produximus ; præterea S. Thomam, et S. Bonaventuram, qui Othone Frisingensi, non multum ætate inferiores, sed doctrina, et sanctitate longe superiores, disertissime docent, quod Barclaius requirit : vide testimonia ipsorum supra allata. Præterea, quinque testimoniis veterum scriptorum opponeremus plusquam septuaginta testimonia scriptorum variarum ætatum.

Denique quinque hominibus a Barclaio in testes adductis opponeremus decem concilia, quorum duo generalia fuisse non dubium est. Neque ideo conciliis, præsertim generalibus, minus credendum est, quia posteriora fuerunt : nam eadem est Ecclesia, et conciliorum eadem est auctoritas, sive priora sunt, sive posteriora : et quemadmodum in concilio Nicæno post annos trecentos ab adventu Domini licitum fuit Ecclesiæ scripturas de filii Dei consubstantialitate declarare, ac illam præcipue : Ego et Pater unum sumus ; sic etiam licitum fuit post annos septingentos eidem Ecclesiæ scripturas de potestate Summi Pontificis explicare, qualis illa est : Quicquid ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quicquid solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Quare si Barclaius pollicitationi suæ stare vellet, lis tota sine provocatione finita esset.

CAPUT IX.

An potuerint posteriores Principes sine detrimento populi per Ecclesiæ auctoritatem Principatu privari : et simul, justane, an injusta fuerit Gregorii VII sententia in Henricum imperatorem.

In cap. 9. Barclaius aggreditur demonstrare falsam esse illam alteram partem sententiæ Francisci Romuli, quod videlicet Ecclesia sine detrimento populi potuerit regno vel parte regni privare Childericum, Leonem, et Henricum : probat autem id esse falsum, quia Henricum IV. Imperatorem Gregorius VII. Papa non sine magno populi detrimento deposuit, cum, Othone Frisingensi auctore, inde nata sint bella, schismata, et alia id genus multa. Sed Franciscus Romulus non de uno Henrico loquutus est, sed de Leone quoque et Childerico. Constat autem Leonem Isauricum imperatorem parte imperii mulctatum sine ullo populi detrimento : quod idem manifestissime constat de Childerici regis depositione, et Pipini exaltatione, ad quæ duo exempla Barclaius nihil habuit quod responderet ; ideo silentio illa involvens, in solo Henrico demoratus est. Quid si addamus etiam translationem imperii a Græcis ad Francos sine populi detrimento a Leone III Pontifice factam completus erit numerus ternarius exemplorum quæ Franciscus Romulus adferre voluit. Quia tamen Barclaio placuit de solius Henrici depositione Franciscum Romulum reprehendere, quasi vel historias ignoraverit, vel alia de causa mentiri voluerit. Respondeo, detrimenta aliqua populum Christianum accepisse ex Henrici excommunicatione et depositione, sed emolumenta majora detrimentis fuisse, ut non immerito dici possit, sine detrimento populi rem illam esse peractam ; neque enim detrimentum pati dici potest, qui jacturam facit frumenti, quod seminando spargit in sulcos, si tempore messis multiplicatum cum exultatione reportet. Vidit Gregorius pontifex sanctus, et sapiens plenas esse provincias concubinariis, et simoniacis ; animadvertit imperatores contra Canones sacros, ac præcipue Octavæ Synodi generalis, investituras Episcopatum, et Monasteriorum sibi vendicasse. Adjecit animum ad Ecclesiam repurgandam, et liberandam, et quamvis per multas molestias, et pericula, partim per se, partim per successores, quod voluit ad felicem exitum perduxit, nam et Sacerdotibus abstulit concubinas, et beneficia ecclesiastica, ut gratis darentur et acciperentur, effecit, et, quod erat omnium difficillimum, investituras Ecclesiarum Henrico V. Henrici VI. filio, Calixto II. Pontifici libere renunciante, recuperavit. Id quod sine manifestis signis, et prodigiis cœlestibus factum non fuisse, testatur Abbas Urspergensis in Chronico.

Sed libet jam per partes discutere, quæ Barclaius adversus Gregorium VII. ex Othone Frisingensi, aliisque auctoribus annotavit. Primum igitur adfert illa verba Othonis Frisingensis lib. vi. cap. 35. « Lego et relego Romanorum regum et imperatorum gesta, et nusquam invenio quemquam eorum ante hunc (Henricum VI.) a Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum ; nisi forte quis pro anathemate habendum ducit, quod Philippus ad breve tempus a Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, et Theodosius a B. Ambrosio propter cruentam cædem a liminibus Ecclesiæ sequestratus sit. »

Respondeo : Fuit quidem Otho Frisingensis doctrina, moribus, et nobilitate insignis : sed tamen legendo, et relegendo non invenit omnia, nam Archadium Imperatorem ab Innocentio I. Pontifice propter ejectionem S. Joannis Chrysostomi, excommunicatum fuisse testatur Nicephorus lib. xiii. cap. 34. qui et sententiam ipsam excommunicationis ad verbum recitat : ejusdem excommunicationis meminit Gregorius VII. in epist. ad Episcopum Metensem. Leonem quoque Isauricum imperatorem a Gregorio II. et rursum a Gregorio III. excommunicatum propter hæresim Iconomachorum, et vectigalibus Italiæ privatum testantur historici græci, et latini, ut supra demonstravimus.

Deinde Barclaius ex eodem Othone commemorat mala, quæ ob excommunicationem Henrici IV. imperatoris Ecclesiæ acciderunt, bella videlicet, schismata, exilium Papæ, cædem Rudolphi imperatoris a Gregorio electi, et alia id genus : et iis connumeratis exclamat : « Hoccine est Principem sine detrimento populi coercere? »

Respondeo : Quando Evangelium Christi prædicari cœpit ab Apostolis in Hierusalem, coorta est persecutio magna in Ecclesiam,

Stephanus lapidatus, Jacobus capite cæsus, Petrus conjectus in carcerem, fideles dispersi per varias regiones : quando vero prædicari cœpit idem evangelium inter gentes, commotum est Imperium Romanum universum, persecutiones exortæ gravissimæ, direpta bona, incensæ Ecclesiæ, strages Sanctorum toto orbe terrarum incredibiles factæ : quæro igitur an Evangelium cum detrimento, an cum salute populorum prædicatum sit? si carnis oculis res consideretur, videbitur Evangelium non salutem, sed perniciem populis attulisse : sed si mentis oculo fidei lumine repurgato res eadem spectetur, perspicue apparebit idololatriam fuisse de mundo pulsam, Ecclesiam propagatam, Martyres coronatos, denique bona omnia per Evangelium ad nos venisse. Tale aliquid (ut paulo ante diximus) accidit Ecclesiæ, cum Papa Gregorius Henricum imperatorem excommunicatione coercuit.

Pergit Barclaius, et factum Gregorii his verbis reprehendit : « Fieri potest, ut bono id animo fecerit Gregorius (Deus de intentione judicet), at fieri non potest, ut recte, prudenter, et ex officio fecerit; et quin largiter erraverit more, et consilio humano, cum id sibi tribueret, quod suum sane non erat, deponendi scilicet, et abdicandi imperatoris munus, inque ejus locum alterius substituendi potestatem »; et infra : « Culpa igitur Gregorii Papæ permagna mihi in hoc negotio videtur. »

Respondeo : Satis andacter Barclaius in Christum Domini, et suum, atque omnium Christianorum Judicem sententiam tulit : nec saltem dubitando vel suspicando, vel opinando locutus est; sed præcise, et absolute quasi de re explorata, et certa pronunciavit, fieri non posse, ut Gregorius in hac re juste, prudenterque se gesserit. At ego sententiam Barclaii falsam, et temerariam, ne dicam sacrilegam, et blasphemam his argumentis fuisse demonstro.

Primum, constat sententiam Gregorii ab omnibus Episcopis, qui in concilio Romano cum illo sederunt, fuisse probatam. At quis credat, Pontificem cum universo concilio tam injustam, et imprudentem sententiam tulisse, ut Barclaius dicit?

Deinde, judicium Gregorii VII. confirmarunt omnes ejus successores, Victor III, Urbanus II, Paschalis II, Gelasius II, et Callixtus II, cujus tempore pax facta est inter sacerdotium et regnum : et tamen omnes isti viderunt bella et schismata exorta occasione sententiæ Papæ Gregorii : quod argumentum certissimum est, justam, et prudentem fuisse sententiam, quam Gregorius tulit, cum tot prudentissimi, justissimique Pontifices concilii episcoporum cooperantibus, et spreta persecutione schismaticorum, defendendam, confirmandamque susceperint.

De Victore tertio, qui proxime post Gregorium sedit, testis est Leo Ostensis in Chronico Cassinensi lib. III. cap. 71. ab eo celebratum fuisse Concilium Beneventanum, atque in eo confirmatam sententiam Gregorii VII, de investituris cum illa clausula : « Si quis imperatorum, regum, ducum, principum, comitum, vel cujusvis potestatis sæcularis Episcopatum, vel quamvis aliam Ecclesiasticam dignitatem dare præsumpseris, sententiæ vinculo se adstrictum noverit. »

De Urbano secundo, Victoris tertii proximo successore, Bertoldus Constantiensis ejus temporis historicus scribit, in Synodo Beneventana anno Domini 1091. confirmatam ab Urbano sententiam excommunicationis in Guibertum Antipapam, et omnes ejus complices, quorum præcipuus erat Henricus imperator. Ite manno 1095. eamdem sententiam confirmata m ab eodem Urbano in synodo Placentina, coram innumerabili multitudine, et anno eodem rursus confirmatam in concilio generali Claramontano.

De Paschali secundo, Urbani secundi proximo successore, testatur abbas Urspergensis anno 1102. In concilio Romano generali a Paschali confirmatam fuisse sententiam Gregorii VII. et excommunicatum Henricum, et omnes illi adhærentes. Addit quoque idem Abbas, se præsentem Romæ fuisse, et audivisse feria quinta in Cœna Domini ab ore ipsius Pontificis, cum Henricus excommunicatus denunciaretur.

De Gelasio secundo, Paschalis secundi proximo successore, testatur idem abbas Urspergensis anno 1118. ab eo per Cononem Episcopum Card. Prænestinum, Legatum suum in concilio Coloniensi, et altero Frideslatensi, confirmatum decretum Paschalis de excommunicatione imperatoris Henrici.

De Callixto secundo, Gelasii proximo successore, testatur abbas Urspergensis, in Chronico, nec non Sugerius abbas in vita Ludovici regis Francorum, necnon Rogerius in annalibus Anglicanis, a Callixto in concilio Remensi Patrum quadringentorum iterum confirmata decreta synodalia prædecessorum

Gregorii videlicet, Victoris, Urbani, Paschalis et Gelasii.

Tertio, judicium Gregorii septimi approbatum fuit ab omnibus bonis, qui tunc vivebant, quique longe melius scire poterant justitiam, vel injustitiam illius causæ, quam Barclaius, qui plus quingentis annis posterior est. Marianus Scotus; qui tempore Gregorii vixit, in Chronico anni 1075 : « Gregorius, » inquit, « querimoniis et clamoribus Catholicorum justis, adversus Henricum, et scelerum ejus immanitatem auditis, zelo Dei accensus jam dictum regem excommunicatum pronuntiavit, maxime propter simoniam : quod factum Catholicis viris beneplacuit; simoniacis vero, et fautoribus regis nimirum displicuit. » Hæc illæ, qui non de uno, aut altero loquitur, sed in commune de multitudine Catholicorum factum Pontificis approbante.

Lambertus Schaphnaburgensis, qui eodem tempore vixit, in historia rerum Germanicarum : « Hildebrandi, » inquit, « constantia, et invictus adversus avaritiam animus omnia excludebat argumenta humanæ fallaciæ; » et infra : « Signa, et prodigia, quæ per orationes Gregorii Papæ frequentius fiebant, et zelus ejus ferventissimus pro Deo, et Ecclesiasticis legibus, cum contra venenatas detractorum linguas communiebant. » Hæc ille, qui non solum detractores sui temporis, sed etiam Barclaium detractorem confundit : neque enim Gregorius tam carus Deo fuisset, neque per eum tot miracula Deus patrasset, si sententiam tulisset tam injustam, et tam imprudentem, et tot malorum causa exitiosset, ut Barclaius dicit. Idem Lambertus refert ibidem horribilem mortem Gulielmi Episcopi Trajectensis, qui Gregorio detrahebat, ut Barclaius postea detraxit : « Repente, inquit, « gravissima ægritudine correptus, miserabili ejulatu coram omnibus vociferabatur, justo Dei judicio se et præsentem vitam amisisse, et æternam : quod regi ad omnia quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ ejus Romano Pontifici sanctissimo, et Apostolicarum virtutum viro graves contumelias sciens, et prudens innocenti irrogasset. » S. Anselmus Cantuariensis, qui eodem tempore vixit, initio libri de fermentato et azymo ad Waleramum : « Scienti, » inquit, « breviter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non favere successori Julii Cæsaris, et Neronis, et Juliani, contra successorem, et Vicarium Petri Apostoli, libentissime vos ut amicissimum, et reverendum Episcopum salutarem. » Hæc ille, qui Henricum imperatorem comparat cum Julio Cæsare oppressore reip., cum Nerone persecutore Ecclesiæ, et cum Juliano Apostata, et persecutore, et Waleramum Episcopum, quem favere existimabat Henrico contra Gregorium, ne salutare quidem audebat : quod certe non faceret, si Gregorii sententiam adversus Imperatorem injustam esse crederet. Idem Anselmus, in epist. 8. ad Gulielmum, sententiam Gregorii defendit, et aperte justam esse pronuntiat. Sanctus Anselmus episcopus Lucensis ejusdem temporis auctor vir Sanctissimus, et miraculis clarus scripsit Epistolam ad Guibertum Antipapam, quem Henricus imperator Gregorio Papæ opposuerat; in qua Epistola Gregorium mirifice laudat. Scripsit quoque Apologeticum pro Gregorio adversus eumdem Guibertum, ubi inter cætera refellit argumentum, quo utitur hoc tempore Barclaius, et quo tunc utebantur Antipapa, et ejus complices; quod videlicet fuerit Gregorius causa turbarum, et sanguinis effusi, præsertim in Saxonia, quem sanguinem clamare dicebat adversus Gregorium, et ejus sectatores, quorum unum erat hic sanctus Anselmus : sic autem loquitur, lib. I. Apologetici : « Non adversus nos clamat sanguis Saxonum, sed contra vos cum universo mundo, qui scleris vestri tabe inhorruit, clamat cœlum, clamat terra, clamat omnis Ecclesia justorum, et quæ adhuc peregrinatur, et quæ jam cum Christo regnat; clamat Christus, clamat Pater pro sponsa filii sui, clamat Spiritus sanctus, qui quotidie postulat pro ea gemitibus inenarrabilibus, etc. » Ubi rectissime dicit, turbas illas, et bella non esse tribuenda Gregorio, qui pro officio suo pastorali arcere conatus est lupos a grege; sed inobedientiæ, et obstinationi eorum, qui in Pastorem, et gregem ipsum tanto ferocius sævierunt, quanto humilius Deo ejusque Vicario obedire salubriter admonentibus, et consulentibus debuerunt.

Num quam horrenda, et non toleranda fuerint Henrici scelera ex sequenti testimonio intelligitur, sanctus Gebehardus archiepiscopus Salsburgensis, qui obiit tribus annis post mortem Gregorii VII. id est, anno 1088, disputans cum Wecilone archiepiscopo Maguntino, aperte pronuntiavit, imperatorem non injusto judicio tam regno, quam com-

munione, Apostolica sententia, privatum : cujus sententia ita probata est a concilio quodam, ut contraria sententia Wecilonis hæresis sit appellata; vide abbatem Urspergensem in Chronico anni 1085. Stephanus Halberstatensis ejusdem temporis auctor in Epistola ad Waleramum, quam refert Dodechinus continuator Mariani Scoti ad annum Domini 1090 : « Dominus, » inquit, « Henricus, quem regem dicunt, episcopatus, et abbatias vendit : etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, et plures alios pro pecunia : Ratisponensem, Augustensem, Stratsburgensem, pro gladio; abbatiam Fuldensem pro adulterio ; Monasteriensem Episcopatum (quod dicere, et audire nefas est) pro sodomitica immunditia vendidit; » et infra : « Pro quibus nefandis malis ab Apostolica Sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, poterit obtinere. » Leo Ostiensis Episcopus, ejusdem temporis auctor, in Chronico Cassinensi multa scribit de Gregorii VI. justitia, sapientia, zelo aliisque virtutibus. Sed lib. III. cap. 53. refert etiam cœlestem visionem, qua *Deus ipse* testatus est placere sibi facta Gregorii, quæ nunc Barclaius cum veteribus schismaticis vituperare ausus est. Vidit igitur, quidam candidissimam columbam super Gregorium sacrum missæ mysterium celebrantem : quod visum cum is, qui vidit patefacere cunctaretur, his verbis aperire divinitus jussus est : « Vade celeriter, et hoc ipsum auribus Papæ intimato, ut constanter vigore sancti Spiritus, quod cœpit exequatur. » Bertholus ejusdem temporis auctor, presbyter Constantiensis in Chronico suo plurima scribit pro justitia causæ Gregorii VII; sed inter cætera de Imbricone Episcopo Augustano hæc refert : « Imbrico Augustensis Episcopus, qui in præterito pascha Rudolpho regi fidelitatem juravit, nil e perjurio curans, Henrico advenienti adhæsit, et apud illum quadam die missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, ut sacra oblationis perceptio in judicium ei proveniret, si Dominus ejus Henricus regnum sibi injuste usurparet. Post hanc temerariam perceptionem, parvo quod supervixit tempore usque ad mortem numquam se sanum de lecto levavit : nam circa kal. Julii absque Ecclesiastica communione defunctus est. » Isti sunt auctores septem, qui ipso tempore Gregorii vixerunt, quibus addam quatuor alios, qui non diu postea floruerunt. Gulielmus Episcopus Tyrensis in lib. I. de bello sacro cap. 13. de Henrici imperatoris perversis moribus loquens : « Quod, » inquit, « Dominus Papa contra omnem fieri honestatem consideraus, et jura in eo facto conculcari Ecclesiastica perpendens, semel, secundo, ac tertio eumdem Imperatorem commonuit, ut a tam detestabili desisteret præsumptione : quem præceptis salutaribus commonitum, cum revocare non posset, vinculo anathematis innodavit. » Otho Frisingensis, ut supra notavimus, Gregorium VII. virum sanctissimum fuisse confessus est, lib. VI. cap. 34. et 36. et lib. VII. cap. 1. neque fieri potest ut vir tam sanctus injustam sententiam publice ferret, neque eam unquam retractaret, sicut revera non retractavit, ut perspicuum est ex verbis illis, quæ eodem Othone teste lib. VI. cap. 36. moriens Gregorius pronunciavit : « Dilexi justitiam et odi iniquitatem, propterea morior in exilio. » Dodechinus Mariani Scoti continuator in chronico anni 1106 : « Henricum, » inquit, « hominem perversum, et justo judicio ab Ecclesia electum constare manifeste. Vendidit enim omnia spiritualia » ; et ad annum 1090 et 1093. tam multa, et tam horribilia scelera Henrici refert, ut mirum sit, si ullus audeat eum injuste damnatum affirmare, quod tamen Barclaius audacter affirmat. Abbas Urspergensis in Chronico anni 1106. narrat, obitum Henrici repentinum, et tam miserabilem ipsi, quam lætum omnibus aliis : « Miserabile, » inquit, « dictu est, tanti nominis, tantæ dignitatis, tantique animi virum, sub professione Christiana mundum tantopere lucratum, nec ad instar cujuslibet pauperis defuncti, pium, vel compassivum luctum, a quavis inter tot Christianos persona promeruisse, sed potius universorum tam ibidem, quam ubivis vere Christianorum corda simul et ora infinito nimis tripudio, sui oblitos, rumore replesse. Non aliter concinebat Israel Domino, Pharaone demerso, nec Augustiori ipsi Octaviano, sive ullo Augustorum applaudebat Roma triumpho. Frænum enim quod erat in maxillis populorum, versum est illis in canticum, sicut vox sanctificatæ solemnitatis. » Hæc ille, qui certe sufficere deberet, ut os Barclaii iniqua loquentis opprimeret. Quo modo enim Henricus injusta Gregorii sententia oppressus est, et nullus in toto orbe Christiano inventus est, qui mortem ejus defleret, imo qui non vehementissime gauderet, ut olim Israel Pharaone demerso, vel

Romanus populus principe triumphante ? nullus in toto orbe repertus est, qui justitiam Henrici perpexerit ? nullus qui Gregorii injustitiam viderit ? Sed audiamus quid paulo infra idem scriptor dicat : « Hic, » inquit, « finis, hic interitus, hæc sors ultima Henrici sub vocabulo quarti Romanorum imperatoris a suis appellati; a Catholicis vero, id est, cunctis B. Petro, suisque successoribus fidem, et obedientiam lege Christiana conservantibus, archipirata simul, et hæresiarca, necnon et apostata, persecutorque plus animarum, quam corporum competenter dicebatur, utpote qui nec naturalibus, nec consuetudinariis contentus sceleribus, nova, et a sæculis inaudita, ideoque nonnulla incredibilia excogitasse, et exercuisse infamabatur. » Ac de his satis : nam si vellem auctores posteriores adducere pro justitia, et sanctitate Gregorii, nullus esset finis. Videat lector, quæ scripsimus lib. IV. de Pontifice cap. 13.

Pergit Baclaius, et probare nititur, non debuisse a Gregorio Henricum excommunicari, cum in societatem sceleris Henrici tantus hominum numerus coierit : adducit autem ad hoc probandum sententiam S. Augustini ex lib. III. cont. epist. Parmeniani cap. 2. quæ relata est in decretum Gratiani 23. qu. 4. canon. Non potest. Verba S. Augustini hæc sunt : « Non potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem : cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor, et gemitus, ut per illud signum quod Ezechieli sancto revelatur illæsi evadere ab eorum vastatione mereantur. Ne cum voluerint colligere zizania, eradicent simul et triticum : nec per diligentiam segetem Domini purgent, sed per temeritatem, ipsi potius inter purgamenta numerentur. Ideoque idem Apostolus cum jam multos comperisset et immundos luxuria, et fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secunda epistola scribens, non itidem præcepit, ut cum talibus nec cibum sumerent : multi enim erant, nec dici de eis poterat, si quis frater nominatur fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut aliquid tale, cum ejusmodi nec cibum quidem sumere : sed ait, ne iterum cum venero ad vos humiliet me Deus, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et luxuria, et fornicatione, quam gesserunt : per luctum suum potius eos divino flagello coercendos minans, quam per illam correptionem, ut cæteri ab eorum conjunctione abstineant » ; et paulo post : « Revera si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinæ diciplinæ severa misericordia necessaria est : nam consilia separationis (hoc est communicationis) et inania sunt, et perniciosa, atque sacrilega, quia et impia, et superba fiunt, et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos. »

« Hæc cum ita sint », inquit Barclaius, « nemo, ut arbitror, ex collatione doctrinæ S. Augustini, quæ et Ecclesiæ est, cum gestis a Gregorio in Henricum, non perspicue cernet, Papam magnopere errasse, etc. »

Respondeo : Barclaii temeritas undecumque se prodit, cum ob unum S. Augustini locum non bene intellectum, synodalem sententiam Pontificis Maximi, a multis aliis Pontificibus, et conciliis confirmatam ita damnare audeat, ut dicat, Papam magnopere errasse. Sed ostendamus non Papam in judicando, sed Barclaium in intelligendo vehementer errasse.

Primum, sanctus Augustinus loquitur de correptione, sive excommunicatione illius, qui multos habet socios in eodem crimine ; ut perspicuum est ex illis verbis : « Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, etc. », et ex illis : « Ideo Apostolus cum jam multos comperisset, et immundos luxuria, et fornicationibus inquinatos, etc. » At Gregorius unum Henricum excommunicavit propter crimina illi uni propria, quod videlicet venderet Episcopatus, et Abbatias, et admonitus resipiscere nollet non ergo facit ad rem locus ex Augustino, vel ex Gratiano citatus.

Deinde loquitur S. Augustinus adversus Parmenianum, aliosque Donatistas, qui separaverant se ab Ecclesia universa, et se solos esse dicebant Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam. Ideoque docet S. Augustinus propter multitudinem peccatorum non esse faciendam separationem, cum semper futuri sint mali cum bonis usque ad mundi consummationem. Tunc enim (ut dicitur Matth. XIII.) *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum* (1) : atque hæc est causa, cur S. Augustinus dixerit, consilia ejusmodi separationis non solum esse

(1) Matth. XIII, 49.

inania, et periculosa, sed etiam sacrilega, et superba; quoniam qui ita separantur, assumunt sibi officium Dei, qui solus potest separare omnes bonos ab omnibus malis, quod fiet in novissimo die : atque interim oportet pisces bonos esse in eodem rete cum piscibus malis, et triticum cum paleis in eadem area, et zizania cum frumento in eodem agro. Porro Gregorius nihil tale sibi desumpsit, sed solum Ecclesiastica censura coercere voluit hominem, qui publice multorum, et intolerabilium criminum reus erat.

Tertio, quod Dominus ait Matth. XIII. *Sinite utraque crescere usque ad messem* (1) ; non sic intelligitur, quasi prohibitum sit, purgare zizaniis, excommunicando incorrigibiles, necando maleficos, comburendo hæreticos, persequendo latrones, aliasque Ecclesiæ, vel reipubl. pestes : alioqui graviter peccasset David, qui in Psal. c. dicit : *Interficiebam omnes peccatores terræ* : peccarent principes omnes, qui quotidie suspendunt fures, et latrones, ac virum grassatores, et quo plures esse cognoverint, eo majori diligentia, gravioribusque supplicils delere, atque extirpare conantur : peccasset Innocentius III Pontifex cum Lateranensi concilio excommunicans omnes hæreticos, quamvis plurimos esse non ignoraret : peccassent principes Catholici, qui hæreticos Albigenses, pene innumerabiles armis domuerunt, et usque ad internecionem deleverunt. Igitur cum Dominus ait : Sinite utraque crescere usque ad messem, potest fieri, ut Dominus noster non tam imperando quam prædicendo quod futurum erat, loquutus sit. Significavit enim semper fore malos cum bonis, neque ulla diligentia effecturos homines, ut omnes mali ab omnibus bonis separentur, qualis est etiam illa loquutio, Isaiæ VI : *Audite audientes, et nolite intelligere ; videte visionem, et nolite cognoscere : excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava ;* quod explicat Dominus Matth. XIII. *Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis ; incrassatum enim est cor populi hujus*, etc. Et Apostolus Act. XXVIII. citans eumdem locum Isaiæ : *Aure*, inquit, *audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non percipietis : incrassatum enim est cor populi hujus*, etc. Itaque verba Isaiæ : *Audite et nolite intelligere*, hoc significant, audietis, et non intelligetis ; et illud, *excæca cor populi hujus*, significat, excæcabitur cor populi hujus, sive, ut explicat S. Joan. cap. XII. *Excæcatum est cor populi hujus* (2). Hoc modo S. Augustinus in Psalmorum explicatione omnes imprecationes malas, quæ exprimuntur per modum imperandi, ut : *Effunde iram tuam in gentes*, et alias similes, docet esse prædictiones, non imprecationes. Tales etiam locutiones inveniuntur in Evangeliis, ut Joan. II. *Solvite templum hoc*, id est, solvetis, vel permittam ut solvatis. Matth. XXIII, *Implete mensuram patrum vestrorum*, id est, implebitis, vel, sinam ut impleatis. Joan. XIII. *Quod facis, fac citius* (3). id est, quod mente agitas ut me tradas, citius implebis quam putas, idque me permittente. Sic igitur, *Sinite utraque crescere usque ad messem*, hoc videtur significare, Sinetis, sive permittetis, velitis nolitis, utraque crescere usque ad messem ; nam omni vestra diligentia numquam perficietis ut mali permulti cum bonis permixti non sint usque ad diem judicii : tunc enim mittam Angelos meos, qui separabunt malos de medio justorum.

Quarto dico, approbare me sententiam eorum, qui dicunt prohiberi in hac parabola, separationem malorum, sive hæreticorum, sive aliorum iniquorum, non absolute ; sed quando periculum est, ne cum zizaniis eradicetur triticum, id est, ne cum impiis involvantur pii ; alioquin licitum esse, zizania evellere, quando non est periculum, ut eradicetur triticum, et contra periculum est, ne ex commixtione zizaniorum triticum corrumpatur. Sed hoc judicium non pertinet ad quoscumque ; sed ad Patrem familias, sive ad illum, quem Christus constituit super familiam suam. Quare ad Barclaium non pertinebat judicare, an Gregorius VII. recte fecisset, cum excommunicando Henricum, partem zizaniorum evellendam curavit ; sed ad Pontificem maximum pertineret, si Barclaius adhuc esset in vivis, ejus temeritatem castigare.

Addit ultimo loco Barclaius argumenta ex historia Sigeberti, ut probet, Gregorium Papam valde errasse in iis, quæ egit adversus Henricum imperatorem. Hildebrandus Papa (inquit Sigebertus in Chronico anni 1085.) qui et Gregorius VII apud Salernum exulans moritur ; de hoc ita scriptum reperi : « Volumus vos scire, qui Ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui et Gregorius, nunc in extremis positus ad se vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris, et confessus est Deo, et S. Petro, et toti Ecclesiæ, se valde peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, et suadente Diabolo contra humanum genus iram, et odium concitasse. Tunc demum nisi prædictum confessorem ad imperatorem, et ad totam Ecclesiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, et tam cito induebat se angelica veste : et dimisit, ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum imperatori, et omni populo Christiano, vivis, et defunctis, clericis, et laicis, et jussit suos abire de domo Deodorici, et amicos imperatoris ascendere. »

Respondeo : Sigebertus, teste Trithemio in Catalogo Scriptorum, unus fuit ex sectatoribus Henrici imperatoris, propterea nullam fidem meretur, et sine dubio falsum est, quod hoc loco scribit, cum certum auctorem non habeat, aut indicare non audeat. Nos autem habemus auctorem certum fideque dignissimum qui scribit, Gregorium paulo ante mortem dixisse : « Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio ; » quæ sunt omnino contraria iis, quæ scribit Sigebertus ; nam in his juste se egisse, in illis graviter se peccasse dicit : Habentur autem verba supradicta apud Othonem Frisengensem lib. VI. c. 36. Bertoldus in Chronico ad annum 1085. et Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, lib. III. c. 64. describunt mortem Gregorii, ac docent eum in eadem constantia permansisse usque ad ultimum spiritum ; et miraculis magnis, vivum, et mortuum claruisse. Præterea confirmatio sententiæ Gregorii in Henricum, quam supra demonstravimus factam a quinque successoribus ejus Victore III., Urbano II., Paschali II., Gelasio II. et Callixto II., apertissime docet, fabulam esse, quam Sigebertus scripsit de pœnitentia ejusdem Gregorii. Denique ipsa sibi narratio Sigeberti contradicit, ac repugnat. Nam si Gregorius graviter peccasse se agnoscebat in pastorali cura, et suadente Diabolo se fecisse, quæ fecerat : quomodo tam audacter ibidem affirmabat, se mox veste angelica induendum? certe ob peccatum tam grave non vestem Angelicam ; sed gehennæ, aut purgatorii graves pœnas expectare debuisset.

(1) Matth. XXIII, 30. — (2) Isaiæ VI, 9 ; Matth. XIII, 15 ; Joan. XII, 40. — (3) Joan. II, 19 ; Matth. XXIII, 32 ; Joan. XIII, 27.

CAPUT X.

Discutitur sententia Othonis Frisingensis de judicio Gregorii septimi Pontificis.

In decimo capite actum agit Barclaius. Redit enim ad probandum auctoritate Othonis Frisingensis, non licuisse Gregorio Pontifici imperatorem Henricum communione, vel regno privare. Ac primum repetit, quæ supra citaverat ex Othone, lib. IV. cap. 35. « Lego, et relego Romanorum regum, et imperatorum gesta, et nusquam invenio quemquam eorum ante hunc a Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum. » Deinde addit ex lib. I. de gestis Friderici imperatoris, cap. 1. « novum esse visum Othoni Frisingensi, quod Henricus imperator a Pontifice Romano, anathematis gladio percussus fuerit. » Sed ad hæc respondimus capite superiore ; atque ista non esse nova luculenter ostendimus.

Addit, ex eo posse intelligi sententiam Gregorii fuisse injustam, quod Otho Frisingensis eodem loco, id est, lib. VI. cap. 17. scribit ex decreto Gregorii « inter alia mala illud consecutum esse, ut Papa super Papam, et rex super regem poneretur. » « Quibus verbis, » inquit Barclaius, « ostendit Otho, utrumque pari jure, seu potius pari injuria factum esse, ut sicut injuste Papa super Papam ab imperatore, ita etiam injuste rex super regem a Papa positus sit. »

Respondeo : scribit quidem Otho, occasione decreti Gregorii factum esse, ut Papa super Papam, et rex super regem poneretur ; sed utrumque pari jure, vel injustitia pari, factum esse Otho non dicit, neque dicere potuit. Nam regem super regem posuit auctoritas legitima Capitis Ecclesiæ ; Papam super Papam posuit inobedientia schismatici regis : quod enim jure possit imperator Papam deponere, et alium superponere, nescio an si vel unum Barclaius inveniret virum Catholicum, qui dixerit, aut scripserit : quod autem possit Papa imperatorem excommunicare, et deponere justis de causis, scripserunt auctores Catholici plurimi, et idipsum censuerunt concilia multa generalia, quorum testimonia retulimus in prolegomenis hujus libri, et nonnulla attigimus capite superiore. Itaque Otho enumerat mala, quæ nata sunt

inania, et periculosa, sed etiam sacrilega, et superba; quoniam qui ita separantur, assumunt sibi officium Dei, qui solus potest separare omnes bonos ab omnibus malis, quod fiet in novissimo die : atque interim oportet pisces bonos esse in eodem rete cum piscibus malis, et triticum cum paleis in eadem area, et zizania cum frumento in eodem agro. Porro Gregorius nihil tale sibi desumpsit, sed solum Ecclesiastica censura coercere voluit hominem, qui publice multorum, et intolerabilium criminum reus erat.

Tertio, quod Dominus ait Matth. XIII. *Sinite utraque crescere usque ad messem* (1) ; non sic intelligitur, quasi prohibitum sit, purgare zizaniis, excommunicando incorrigibiles, necando maleficos, comburendo hæreticos, persequendo latrones, aliasque Ecclesiæ, vel reipubl. pestes : alioqui graviter peccasset David, qui in Psal. c. dicit : *Interficiebam omnes peccatores terræ* : peccarent principes omnes, qui quotidie suspendunt fures, et latrones, ac virum grassatores, et quo plures esse cognoverint, eo majori diligentia, gravioribusque supplicils delere, atque extirpare conantur : peccasset Innocentius III Pontifex cum Lateranensi concilio excommunicans omnes hæreticos, quamvis plurimos esse non ignoraret : peccassent principes Catholici, qui hæreticos Albigenses, pene innumerabiles armis domuerunt, et usque ad internecionem deleverunt. Igitur cum Dominus ait : Sinite utraque crescere usque ad messem, potest fieri, ut Dominus noster non tam imperando quam prædicendo quod futurum erat, loquutus sit. Significavit enim semper fore malos cum bonis, neque ulla diligentia effecturos homines, ut omnes mali ab omnibus bonis separentur, qualis est etiam illa loquutio, Isaiæ VI : *Audite audientes, et nolite intelligere ; videte visionem, et nolite cognoscere : excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava ;* quod explicat Dominus Matth. XIII. *Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis ; incrassatum enim est cor populi hujus*, etc. Et Apostolus Act. XXVIII. citans eumdem locum Isaiæ : *Aure*, inquit, *audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non percipietis : incrassatum enim est cor populi hujus*, etc. Itaque verba Isaiæ : *Audite et nolite intelligere*, hoc significant, audietis, et non intelligetis ; et illud, *excæca cor populi hujus*, significat, excæcabitur cor populi hujus, sive, ut explicat S. Joan. cap. XII. *Excæcatum est cor populi hujus* (2). Hoc modo S. Augustinus in Psalmorum explicatione omnes imprecationes malas, quæ exprimuntur per modum imperandi, ut : *Effunde iram tuam in gentes*, et alias similes, docet esse prædictiones, non imprecationes. Tales etiam locutiones inveniuntur in Evangeliis, ut Joan. II. *Solvite templum hoc*, id est, solvetis, vel permittam ut solvatis. Matth. XXIII, *Implete mensuram patrum vestrorum*, id est, implebitis, vel, sinam ut impleatis. Joan. XIII. *Quod facis, fac citius* (3). id est, quod mente agitas ut me tradas, citius implebis quam putas, idque me permittente. Sic igitur, *Sinite utraque crescere usque ad messem*, hoc videtur significare, Sinetis, sive permittetis, velitis nolitis, utraque crescere usque ad messem ; nam omni vestra diligentia numquam perficietis ut mali permulti cum bonis permixti non sint usque ad diem judicii : tunc enim mittam Angelos meos, qui separabunt malos de medio justorum.

Quarto dico, approbare me sententiam eorum, qui dicunt prohiberi in hac parabola, separationem malorum, sive hæreticorum, sive aliorum iniquorum, non absolute ; sed quando periculum est, ne cum zizaniis eradicetur triticum, id est, ne cum impiis involvantur pii ; alioquin licitum esse, zizania evellere, quando non est periculum, ut eradicetur triticum, et contra periculum est, ne ex commixtione zizaniorum triticum corrumpatur. Sed hoc judicium non pertinet ad quoscumque ; sed ad Patrem familias, sive ad illum, quem Christus constituit super familiam suam. Quare ad Barclaium non pertinebat judicare, an Gregorius VII. recte fecisset, cum excommunicando Henricum, partem zizaniorum evellendam curavit ; sed ad Pontificem maximum pertineret, si Barclaius adhuc esset in vivis, ejus temeritatem castigare.

Addit ultimo loco Barclaius argumenta ex historia Sigeberti, ut probet, Gregorium Papam valde errasse in iis, quæ egit adversus Henricum imperatorem. Hildebrandus Papa (inquit Sigebertus in Chronico anni 1085.) qui et Gregorius VII apud Salernum exulans moritur ; de hoc ita scriptum reperi : « Volumus vos scire, qui Ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui et Gregorius, nunc in extremis positus ad se vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris, et confessus est Deo, et S. Petro, et toti Ecclesiæ, se valde peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, et suadente Diabolo contra humanum genus iram, et odium concitasse. Tunc demum nisi prædictum confessorem ad imperatorem, et ad totam Ecclesiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, et tam cito induebat se angelica veste : et dimisit, ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum imperatori, et omni populo Christiano, vivis, et defunctis, clericis, et laicis, et jussit suos abire de domo Deodorici, et amicos imperatoris ascendere. »

Respondeo : Sigebertus, teste Trithemio in Catalogo Scriptorum, unus fuit ex sectatoribus Henrici imperatoris, propterea nullam fidem meretur, et sine dubio falsum est, quod hoc loco scribit, cum certum auctorem non habeat, aut indicare non audeat. Nos autem habemus auctorem certum fideque dignissimum qui scribit, Gregorium paulo ante mortem dixisse : « Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio ; » quæ sunt omnino contraria iis, quæ scribit Sigebertus ; nam in his juste se egisse, in illis graviter se peccasse dicit : Habentur autem verba supradicta apud Othonem Frisengensem lib. VI. c. 36. Bertoldus in Chronico ad annum 1085. et Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, lib. III. c. 64. describunt mortem Gregorii, ac docent eum in eadem constantia permansisse usque ad ultimum spiritum ; et miraculis magnis, vivum, et mortuum claruisse. Præterea confirmatio sententiæ Gregorii in Henricum, quam supra demonstravimus factam a quinque successoribus ejus Victore III., Urbano II., Paschali II., Gelasio II. et Callixto II., apertissime docet, fabulam esse, quam Sigebertus scripsit de pœnitentia ejusdem Gregorii. Denique ipsa sibi narratio Sigeberti contradicit, ac repugnat. Nam si Gregorius graviter peccasse se agnoscebat in pastorali cura, et suadente Diabolo se fecisse, quæ fecerat : quomodo tam audacter ibidem affirmabat, se mox veste angelica induendum? certe ob peccatum tam grave non vestem Angelicam ; sed gehennæ, aut purgatorii graves pœnas expectare debuisset.

(1) Matth. XXIII, 30. — (2) Isaiæ VI, 9 ; Matth. XIII, 15 ; Joan. XII, 40. — (3) Joan. II, 19 ; Matth. XXIII, 32 ; Joan. XIII, 27.

CAPUT X.

Discutitur sententia Othonis Frisingensis de judicio Gregorii septimi Pontificis.

In decimo capite actum agit Barclaius. Redit enim ad probandum auctoritate Othonis Frisingensis, non licuisse Gregorio Pontifici imperatorem Henricum communione, vel regno privare. Ac primum repetit, quæ supra citaverat ex Othone, lib. IV. cap. 35. « Lego, et relego Romanorum regum, et imperatorum gesta, et nusquam invenio quemquam eorum ante hunc a Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum. » Deinde addit ex lib. I. de gestis Friderici imperatoris, cap. 1. « novum esse visum Othoni Frisingensi, quod Henricus imperator a Pontifice Romano, anathematis gladio percussus fuerit. » Sed ad hæc respondimus capite superiore ; atque ista non esse nova luculenter ostendimus.

Addit, ex eo posse intelligi sententiam Gregorii fuisse injustam, quod Otho Frisingensis eodem loco, id est, lib. VI. cap. 17. scribit ex decreto Gregorii « inter alia mala illud consecutum esse, ut Papa super Papam, et rex super regem poneretur. » « Quibus verbis, » inquit Barclaius, « ostendit Otho, utrumque pari jure, seu potius pari injuria factum esse, ut sicut injuste Papa super Papam ab imperatore, ita etiam injuste rex super regem a Papa positus sit. »

Respondeo : scribit quidem Otho, occasione decreti Gregorii factum esse, ut Papa super Papam, et rex super regem poneretur ; sed utrumque pari jure, vel injustitia pari, factum esse Otho non dicit, neque dicere potuit. Nam regem super regem posuit auctoritas legitima Capitis Ecclesiæ ; Papam super Papam posuit inobedientia schismatici regis : quod enim jure possit imperator Papam deponere, et alium superponere, nescio an si vel unum Barclaius inveniret virum Catholicum, qui dixerit, aut scripserit : quod autem possit Papa imperatorem excommunicare, et deponere justis de causis, scripserunt auctores Catholici plurimi, et idipsum censuerunt concilia multa generalia, quorum testimonia retulimus in prolegomenis hujus libri, et nonnulla attigimus capite superiore. Itaque Otho enumerat mala, quæ nata sunt

ex Henrici excommunicatione, et ejusdem inobedientia; sed non determinat, an ea justa fuerint, vel injusta: possunt enim aliqua esse mala, et justa, qualia sunt mala pœnæ; et talis fuit depositio Henrici: possunt quoque alia esse mala, et injusta, qualia sunt mala culpæ, et talis fuit creatio Antipapæ Guiberti ab imperatore procurata, vel facta.

Pergit Barclaius, et ponderat illa verba ejusdem Othonis Frisingensis ex eodem lib. VI. cap. 36. « Quia ergo in principe suo regnum ab Ecclesia præcisum graviter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto Pastore, qui inter omnes Sacerdotes, et Romanos Pontifices præcipui zeli, et auctoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit. Id, inquit Barclaius, quid aliud sonat, quam propter violatum in principe imperium, violatam fuisse in Pontifice Ecclesiam, sive propter percussum regnum in persona principis, percussam fuisse Ecclesiam in persona Pontificis; inter quæ cum nullum juris, aut injuriæ discrimen faciat, nec possit utrumque juste fieri, consequens est utrumque injuste factum esse existimet. »

Respondeo: Non intellexit Barclaius verba Othonis: non enim loquitur Otho, de depositione Gregorii a Pontificatu; quemadmodum loquitur de depositione Henrici ab imperio. Sed dicit, percussum fuisse imperium in persona principis, quia princeps excommunicatus, et depositus fuit: percussam autem fuisse Ecclesiam in persona Pontificis; quia per mortem subtractus ab hominibus dolorem magnum Ecclesiæ reliquit. Quare non bene colligit Barclaius, tam in percussione imperii in persona principis, quam in percussione Ecclesiæ in persona Pontificis injustitiam intervenisse. Nam Henricus quidem per sententiam Ecclesiæ depositus fuit ab imperio; in qua sententia justitia, et injustitia locum habere non potuit, et satis constat, sententiam illam fuisse justissimam: Gregorius autem naturali morbo extinctus est, ubi si locum habet injustitia, Deus injustus dicendus erit, quæ est ingens blasphemia: non enim Gregorius occisus fuit ab Henrico, quemadmodum Henricus depositus fuit a Gregorio; sed, ut diximus, naturali morbo, pie, et religiose obiit: mors autem naturalis post originale peccatum a Deo est: ipse enim sententiam illam, et quidem justissimam tulit: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, Gen. III, et de Deo dicitur: *Dominus mortificat, et vivificat*, II Reg. II, et Sap. XVI: *Tu es Domine, qui vitæ, et mortis habes potestatem*, et Ecclesiastici XI. *Vita, et mors a Deo est* (1). Neque dici potest, Gregorium Papam, ex sententia Othonis, occisum fuisse a Deo in pœnam peccati commissi in depositione imperatoris: nam ipse idem Otho fatetur, Gregorium fuisse hominem præcipui zeli; sed etiam si Gregorius in pœnam peccati occisus fuisset a Deo, non tamen injusta mors ejus dici posset, nisi Deo injustitia tribueretur.

Pergit Barclaius, et ex lib. I. de gestis Friderici, cap. 6. Othonis Frisingensis, probare nititur, injustam fuisse depositionem imperatoris per Gregorium factam, quia Otho defectionem Rudolphi ducis Sueviæ ab imperatore rebellionem appellat: rebellio autem dicitur, cum inferior deficit a superiore; sed imperator superior non fuisset, si jure depositus fuisset; igitur non jure depositus erat ex Othonis sententia. Idem probat ex lib. VII. historiæ cap. 8. ubi Otho Frisingensis Henricum quartum imperatorem vocat, etiam post depositionem.

Respondeo: Rebellare dicitur non is solum, qui a principe legitimo deficit; sed etiam qui deficit a principe regnante de facto, quamvis non de jure: quemadmodum etiam rex dicitur non solum, qui jure regnat; sed etiam qui de facto regnat; non enim ubi Scriptores proprietatem illam vocabulorum observant, ut neminem dicant regem, nisi qui regnat legitime, neque rebellare ullum dicant, nisi qui a legitimo principe deficit, lib. IV Reg. cap. XVIII. ponitur in laudibus Ezechiæ regis optimi, quod rebellaverit contra regem Assyriorum, ubi rebellio dicitur defectio a rege non legitimo. Eodem lib. IV Reg. cap. IX. Jehu jussu Dei rex factus, vivente adhuc Joram rege, dicitur conjurasse contra dominum suum, eumque occidisse cum omni progenie, ubi conjuratio, quæ aliquid amplius est, quam simplex rebellio, in bonam partem accipitur: conjuravit enim contra regem a Deo abdicatum, et damnatum. Quare dixit ad Jehu Dominus IV Reg. X. *Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel* (2). Habemus igitur non

(1) Gen. III, 19; II Reg. II, 6; Sap. XVI, 13; Eccl. XI, 14. — (2) IV Reg. X, 30.

esse mirum, si Otho Frisingensis, rebellionem appellat defectionem a rege jam abdicato, cum eumdem ipsum loquendi modum habeamus in divinis litteris. Idem dicere possumus de nomine regis: nam lib. II Reg. cap. XV. cum Absalon filius David ejecto Patre regnare cœpisset in Hierusalem, neque rex legitimus, sed tyrannus revera esset: tamen David ipse regem ipsum appellabat, cum diceret ad Ethai Gethæum, *cur venis nobiscum? revertere, et habita cum rege* (1): sic etiam lib. III Regum cap. XV. Zambri, occiso rege legitimo regnum sibi injustissime usurpavit: et tamen Scriptura dicit: *Irruens ergo Zambri percussit, et occidit eum* (regem Ela) *et regnavit pro eo: cumque regnasset, et sedisset super solium ejus percussit omnem domum Baasa, etc.* Ac ne magnum videatur Barclaio, quod Otho Frisingensis vocet imperatorem Henricum, etiam post excommunicationem, et depositionem: sciat idem nomen inveniri apud Abbatem Urspergensem, aliosque Scriptores, immo et apud ipsum Leonem Ostiensem, qui addictissimus erat Gregorio VII. Nam lib. III, Chronici Cassinensis cap. 49. plus quam decies Henricus imperator dicitur a Leone Ostiense, et Leone referente, sæpissime Desiderius abbas, qui Gregorio in Pontificatu successit, eumdem Henricum post abdicationem, imperatorem appellat, non alia de causa, nisi quia re ipsa, quamvis non jure imperabat.

Pergit Barclaius, et ait: « Est et alius ejusdem auctoris locus lib. I. de gestis Friderici cap. 8. in quo id ipsum manifestius declarat, Papam scilicet per illam excommunicationem, et abdicationem nihil juris regni Henrico ademisse. Nam postquam narravit, Bertolfum Rudolphi generum (quem, ut dictum est, Papa regem creaverat) perempto socero, ducatum Sueviæ, tamquam sibi a socero concessum usurpasse; et ex altera parte Henricum, Papæ judicio depositum, concessisse eumdem ducatum nobili cuidam Sueviæ, cui Friderico nomen: qui Bertolfum ad pacis conditiones, et ad exfestucationem ducatus adegit, addit, Bertolfus iste, quamvis in hoc negotio imperio simul, et justitiæ cesserit, tamen strenuissimus, et fortissimus fuisse traditur. En ut nihil circuitione usus affirmat, imperium, et justitiam ab Henrico stare, in quem Pontifex sententiam depositionis multo ante tulerat. »

(1) II Reg. XV, 19, 10.

Respondeo: Testem hoc loco Barclaius suspectum adducit: nam ab isto Friderico Fridericus primus imperator descendit: cujus imperatoris patruus fuit Otho Frisingensis; nec solum patruus Friderici imperatoris; sed etiam nepos Henrici quarti. Itaque Otho, ne avum maternum, Henricum quartum imperatorem, et filium fratris uterini Fridericum primum imperatorem læderet, scripsit, Bertolfum imperio, justitiæque cessisse in negotio ducatus Sueviæ. Quæ etiam causa fuit, cur idem Otho in historia sua mediam viam elegerit. Nam Gregorium VII eximie laudat lib. VI. cap. 34. neque enim poterat salva conscientia, reprehendere hominem notissimæ sanctitatis: Henricum autem, non ut cæteri historici, turpissimorum plurimorumque criminum reum facit; sed modestissime excessum ejus vitamque lascivam notat, lib. VII. cap. 11. Quod autem hoc loco dicit, Bertolfum imperio; justitiæque cessisse: non cogit, ut existimemus, sensisse Othonem, injuste Henricum a Gregorio fuisse depositum: nam, ut idem Otho narrat, post longam disceptationem coegit Fridericus ab imperatore adjutus Bertolfum ad conditiones pacis, quæ erant, ut Bertolfus retineret Turegum nobilissimum Sueviæ oppidum, reliquam Sueviam Friderico cederet. Cessit ergo Bertolfus, imperio, tamquam potentiori, cui par esse non poterat; cessit etiam justitiæ, quoniam in re dubia justum esse censuit, retento nomine ducis, et oppido nobilissimo, reliqua cedere fortiori. Nam si Bertolfus existimasset injuste a se possessam fuisse Sueviam, debuisset totum dimittere, et neque partem præcipuam, neque ducis nomen sibi retinere; ut eodem teste Othone retinuit, ad posterosque transmisit. Quod si Barclaius velit, Othonem sensisse, Henricum a Gregorio injuste fuisse damnatum, repugnabit eidem Othoni, qui lib. VI. histor. cap. 34. dicit, Gregorium fuisse fortem per omnia athletam, murumque se pro domo Domini opponere non timuisse, et cap. 36. dicit, gladio anathematis imperatorem feriri decuisse: et ibidem refert Gregorium in morte dixisse: Dilexi justitiam, et odi iniquitatem: et, Ecclesiam in obitu tanti Pastoris, qui inter omnes Romanos Pontifices præcipui zeli, et auctoritatis erat, non modicum dolorem habuisse; et lib. VII. c. 1.

ait : Defuncto apud Salernum Beatæ memoriæ Gregorio Summo Pontifice, etc. Ista enim nullo modo cohærent cum opinione gravissimæ injustitiæ, qualis fuisset depositio imperatoris, si eum juste Gregorius deponere non potuisset : hæc enim sola injustitia omnes Gregorii laudes sine dubio corrupisset.

Postremo Barclaius cum non haberet aliud, quod ex Othone adferret, nec tamen quiescere posset, repetit quod supra dixerat. reges ex Othonis sententia non habere ullum, præter Deum super se, quem timeant. Repetit quoque quod supra verbosissime deploraverat, multa mala occasione excommunicationis Henrici imperatoris in orbem terrarum, ac præcipue in Ecclesiam irruisse. Ad quæ omnia jam ante respondimus, neque libet eadem frustra repetere.

In extremo capite producit in medium verba Gregorii VII quibus cum Henricum deponeret, precatus est Apostolos Petrum, et Paulum, ut sententiam suam ex eorum auctoritate prolatam confirmarent, ut omnes intelligerent, iniquitatis filium non fortuito, sed ipsorum opera ex imperio cecidisse. Hanc precationem dicit Barclaius non fuisse ab Apostolis auditam; « cum nihil non infaustum Pontifici, pontificiæ parti auctoribus, et fautoribus acciderit, triumphante interim, et imperium tenente Henrico. »

Respondeo : Precationem Gregorii omnino exanditam fuisse, testantur ærumnæ maximæ, quæ Henricum divinitus oppresserunt. Primum enim a magna parte Germaniæ destitutus ad Pontificis pedes abjectus misericordiam demississimis precibus implorare compulsus est. Deinde, cum duobus æmulis, Rudolpho, et Hermanno diu ambiguo marte certavit. Postea a proprio filio carceri mancipatus, coronam, sceptrum, et reliqua imperatorum insignia resignare coactus est. Inde elapsus Læodium se recepit, unde miseriam suam incredibilem propriis litteris, quæ apud Urspergensem Abbatem exstant, testatus est. Denique repentina morte sublatus neminem invenit, qui ejus mortem defleret : cum e contrario mundus totus ob ejus infelicem exitum summo gaudio exultaret, ut supra ex Abbate Urspergensi retulimus. Hic videlicet est triumphus Henrici, quem fingit Barclaius. Porro pontificiam partem semper in melius profecisse, cooperante Domino signis, et prodigiis, et tandem omnino prævaluisse, constat ex iis, quæ de Callixto secundo, et Henrico quinto omnes historici narrant, ac præsertim abbas Urspergensis in Chronico anni 1120, et sequentibus.

CAPUT XI.

De comparatione Julii II et Clementis VIII.

In cap. 11. Barclaius multa repetit ex iis, quæ antea dixerat : neque aliquid addit, quod mihi refellendum nova responsione esse videatur, nisi cum Clementem octavum Pontificem veris laudibus effert, non tam ut eum laudet, quam ut ex ejus comparatione Julium secundum carpat. « Quis, inquit, non paternam Clementis VIII pietatem, cum summa prudentia conjunctam, qua reges, et principes Christianos ad concordiam reducere, et in concordiam retinere annititur, infinitis partibus Ecclesiæ utiliorem judicet, quam Julii secundi loricati furores martios, quibus Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniam, cæterasque gentes Christianas hostilibus animis inter se committere, impie, et inhumaniter connitebatur?

Ad hæc ego ut respondeam, admonitos lectores esse volo, Romanos Pontifices, qui simul etiam Principes sunt temporales non contemnendi imperii, non minus ex officio obligari ad ea conservanda, quæ Sedis Apostolicæ, sive Ecclesiæ Romanæ sunt, quam principes cæteros. Quare quemadmodum reges, et principes supremi cæteri pro defensione regnorum suorum, sive ditionum aliarum bella gerere possunt, et debent ; et si ad ea defendenda confœderatione cum aliis principibus opus habent, jure possunt cum sociis principibus fœdus inire, et conjunctis viribus hostem propulsare, quando justam belli gerendi causam habent : sic etiam Romani Pontifices, qua principes supremi sunt, omni jure possunt, et debent populos sibi creditos armis protegere, et si res ita postulet, adversus hostes bella gerere, necnon ad auxilium, vel belli societatem principes alios evocare. Neque primus fuit Julius II, qui pro recuperandis Ecclesiæ Romanæ provinciis bella gessit, vel cum magnis principibus fœdus percussit. Nam Pius II. multo antea exercitum armatum habuit, et bella cum hostibus cum laude gessit, ut Nauclerus, et Platina referunt : et ante Pii II tempora

Innocentius VI. vir prudentia, et vitæ innocentia clarus per Legatum suum Albernotium Cardinalem, ecclesiasticam ditionem a tyrannis diversis occupatam, felicissime armis recuperavit, ut scribunt iidem Nauclerus, et Platina, multique alii historici. Clemens IV. qui innocentium VI. multis annis præcessit, et Pontifex sanctus est habitus, Carolum Andegavensem ducem, S. Ludovici regis Francorum fratrem, a Gallliis evocavit, ut Manfredum tyrannum e regno Neapolitano, quod est Ecclesiæ Romanæ feudum, armis expelleret, ipsumque Carolum regem instituit, imposita quadraginta millia nummorum aureorum pensione quotannis solvenda in recognitionem feudi : testes sunt auctores iidem et alii, quos ipsi citant. Sed ante hæc tempora Leo IX. Pontifex, non solum vitæ probitate, sed etiam divinis miraculis clarus, atque adeo in Sanctorum numerum relatus, adversus Northmannos pro Beneventana civitate recuperanda præsens ipse in exercitu armis decertavit, ut Hermannus Contractus in Chronico, et Leo Ostiensis in histor. Cassinensi lib. II, cap. 88. testes sunt. Ubi illud memorabile accidit, quod cum Pontifex a Northmannis victus et captus fuisset, ea submissione, et reverentia victores erga victum usi sunt, ut Pontifex victus, et captus victoribus imperare, ac dominari videretur. Porro Leo IV. Pontifex plus ducentis annis Leone IX. antiquior, vir sanctissimus, et miraculis clarus, teste Anastasio in ejus vita, exercitum duxit adversus Saracenos, qui ad Ostia Tyberina cum ingenti classe appulsi Romanam urbem capere et spoliare cupiebant ; et oratione præmissa ad Deum, et exercitu Apostolica benedictione munito, memorabilem victoriam reportavit. Omitto confœderationem Zachariæ, Stephani II., Adriani, Leonis III., aliorumque Pontificum cum regibus Francorum, pro recuperatione, et defensione provinciarum, et civitatum, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinebant adversus Longobardos, et Græcos. Omitto etiam fortissimos Machabæos, qui et Summi Sacerdotes, et Principes erant, et pro patriæ defensione gravissima bella gesserunt. Omitto denique Mosis Pontificis et Principis sapientissimi, qui adversus Amorræos, aliosque populi sui perturbatores armis decertare non dubitavit. Hos igitur clarissimos, sacrosque viros Julius II imitatus, eorumque virtutem, et diligentiam æmulatus partim armis propriis, partim auxilio fœderatorum regum Ecclesiasticam ditionem, fere totam amissam, magno labore recuperavit. Quod factum qui reprehendere voluerit, oportebit etiam, ut industriam, et virtutem sanctorum Pontificum, adde etiam Machabæorum, et ipsius Mosis virtutem bellicam reprehendat. Neque ab hoc numero Clemens VIII. eximendus est, qui quemadmodum pacem inter Christianos Principes reformare studuit, ut Barclaius dicit, sic etiam exercitum comparare non neglexit cum ei Ferraria recuperanda esset : et ad bellum pro Ecclesiastica ditione faciendum, occasio defuit illi, non animus. Placuit enim Deo, in cujus manu sunt corda principum, nobilissima Civitas ante ad Ecclesiam rediret, quam militum gladii nudarentur. Hanc vero Clementis VIII. laudem Barclaius non ignoravit, sed dissimulare voluit, ut liberius Julium reprehenderet.

CAPUT XII.

Diluuntur argumenta adversus Theologorum sententiam de Potestate Pontificis Maxim in temporalibus.

In cap. 12. conatur Barclaius ex proposito affirmare, ac demonstrare, nullam habere Pontificem Maximum potestatem in temporalibus super reges, aliosque principes Christianos.

Primum argumentum ejus est, quia tota antiquitas Christiana semper censuit, reges solo Deo minores esse. Quod argumentum jam ante proposuerat in cap. 8. ubi et nos illi copiose respondimus. Id enim habet veluti proprium hic auctor, ut eadem argumenta sæpius repetat, et inculcet, nescio an ut librum grandiorem facial, an ut importunitate obtineat assensum, quem vi rationum extorquere non potest. Hoc igitur primo argumento prætermisso, secundum audiamus.

2. « Quid, inquit, quod ipsi Pontifices fatentur, reges non habere superiores in temporalibus ? cap. Per Venerab. Qui filii sint legitimi. Habent, et non habent, simul vera esse nequeunt. Falsum est ergo reges non habere superiorem in temporalibus, si alius possit jure iis temporalia auferre, alterique conferre. »

Respondeo : Sententia Pontificis in eo capite est. reges supremos esse principes temporales, et ideo nullum habere supra se

principem temporalem, quemadmodum duces aliique principes inferiores in eodem regno superiorem in temporalibus regem habent : sic enim loquitur Ecclesiastes cap. v. *Excelso excelsior est alius et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti*, et S. Petrus in priore epist. cap. II : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis* (1). Idem igitur est, regem non habere supra se alium regem sive principem alium temporalem, alioqui non esset rex supremus in ordine principatus temporalis, sive politici. Et ea forte ratio est, cur idem Innocentius in eodem cap. Per venerabilem, paulo ante dixerit, « nonnullos principes nullum inter homines, excepto Romano Pontifice, superiorem agnoscere : Addidit enim illam exceptionem, ut cum postea dixit : « Regem Francorum nullum in temporalibus superiorem agnoscere, » intelligamus, sermonem fuisse de superioribus temporalibus : non enim rex agnoscit ullum supra se principem temporalem, sed agnoscit Romanum Pontificem, Principem spiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad spiritualia judicare potest. « At, inquit Barclaius, habent, et non habent simul vera esse nequeunt. » Respondeo : Habent, et non habent de re eadem, simul vera esse nequeunt : de re diversa, nihil impedit quominus vera esse possint. Habet coccineum pallium, et non habet coccineum pallium, simul vera esse nequeunt : sed habet coccineum pallium, et non habet nigrum pallium, vera simul esse queunt ; sic igitur, habet rex in temporalibus superiorem temporalem, et non habet in temporalibus superiorem temporalem, vera esse nequeunt : sed, habet rex in temporalibus superiorem spiritualem, et non habet in temporalibus superiorem temporalem, verissima simul esse queunt, et sunt.

3. Sed instat Barclaius : « Quod, inquit, in verbis directe, et indirecte discrimen statuunt, id non ad facultatem judicandi, et effectum judicii, sed solum ad modum, et rationem acquirendi tantam potestatem pertinet, Canonistæ enim dicunt Papam directe dominium temporale totius orbis a Christo accepisse. Ili vero negant eum accepisse tale dominium directe, quasi dicas per se, simpliciter et sine alterius rei consideratione, sed tantum indirecte, hoc est, per consequentiam, ratione illius potestatis spiritualis, quam directe a Domino accepit. Hæc igitur ex verbis istis differentia ad initium, et modum acquirendi temporalem potestatem, non autem ad ejus vim et effectum referri debet. » Hæc ille, qui vult, Pontificem ex sententia Theologorum habere potestatem temporalem super reges indirecte acquisitam esseque eorum judicem in temporalibus : quod repugnare videtur Innocentio, in capite citato, ubi dicit Innocentius, reges non habere superiorem in temporalibus.

Respondeo : Distinctione opus est, ut plane intelligatur verone, an falso Barclaius colligat, Pontificem habere potestatem temporalem super reges, esseque eorum Judicem. Potestas disponendi de temporalibus, sive ipsa potestas in se sit spiritualis, sive temporalis, vere colligit, Pontificem habere potestatem temporalem in reges : si vero per temporalem potestatem intelligatur potestas quæ sit in se temporalis, ut est potestas regum, et aliorum principum politicorum, falso colligit, Pontificem habere potestatem temporalem in reges ex theologorum sententia. Theologi enim tribuunt Summo Pontifici temporalem, et spiritualem potestatem in Ecclesiastica ditione tantum, quam potestatem plenam in patrimonio S. Petri appellat Innocentius, in cap. Per venerabilem : in reliquas Provincias Christianas, et principes Christianos, tribuunt Pontifici potestatem solum spiritualem, quæ per se, et proprie respicit spiritualia ; tempora vero respicit, ut subordinantur spiritualibus. Et ideo quando proprie loquimur, dicimus Pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem habere potestatem temporalem, qua Pontifex est. Ex quo sequitur, ut discrimen vocum, directe et indirecte, non referatur proprie loquendo, ad modum acquirendi potestatem, ut Barclaius falso dicit ; sed ad explicandum objectum secundarium, et consectaneum supremæ spiritualis potestatis, quæ ut supra diximus, primario, et directe respicit spiritualia, secundario et indirecte, id est, in ordine ad spiritualia, respicit temporalia : quæ sententia Theologorum nullo modo repugnat verbis Innocentii in cap. Per venerabilem, ut ex dictis perspicuum est.

(1) Eccl. V, 7 ; I Petr. II, 13.

4. Addit præterea Barclaius hoc argumentum : « Quod si adversariorum sententiæ locus sit, reges, principes Christiani, non erunt solum vassalli, et clientes Papæ in temporalibus ; sed (quod vilius est) quasi precario regna, et principatus ab eo possidebunt. Id facile ex ipsis adversariorum principiis, sic ostendo : Summus Pontifex potest alicui regnum auferre, et alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem : atqui judicare, et decernere, an sit necessarium, pertinet ad eumdem Pontificem, de cujus judicio, æquum ne sit, an iniquum nemo potest judicare : ergo ubi libitum ei erit, poterit quemlibet regno privare, et illud alteri conferre. »

Respondeo : Reges Christiani, aliique principes, iis exceptis, qui feudatarii sunt Ecclesiæ, neque clientes Pontificis Maximi dici debent, quamvis ita eos ad conflandam Ecclesiæ invidiam, Barclaio appellare libuerit : multo minus precario regna, et principatus ab eo possident ; sed sunt veri reges, verique principes, tantoque ethnicis regibus, et principibus nobiliores, et feliciores, quanto non solum in terris ad tempus regnant, sed etiam post hanc vitam, si juste pieque regnaverint, ad regnum cœleste, et sempiternum transferuntur. Argumentum vero Barclaii ab omni parte vitiosum est : illa enim propositio, Summus Pontifex potest alicui regnum auferre, et alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem : explicatione indiget ; nam et bene, et secus intelligi, et vera, et falsa esse potest. Potest quidem Pontifex, si necessarium ad salutem animarum sit, alicui regnum auferre ; sed si antea admonuerit, si spatium resipiscendi dederit, si perniciosum, et incorrigibilem esse perspexerit. Potest quoque alteri regnum conferre, non pro arbitrio tamen cui libuerit ; sic enim vere precario reges regnarent ; sed cui jure debetur, sive successio, sive electio locum habeat. Et si forte nemini debeatur ; cui ratio dictaverit, esse tribuendum. Sic enim Innocentius quartus in concilio Lugdunensi cum Fridericum imperatorem deposuisset, electionem successoris Electoribus, quibus jure competit, liberam reliquit : sic etiam Gregorius VII. post depositionem Henrici Rudolphum a principibus electum confirmavit. Sic etiam Zacharias regnum Francorum Pipino adjudicavit, quoniam ille re ipsa regnum administrabat, et proceres eumdem expetebant. Leo quoque tertius imperium Occidentale a Græcis ad Francos transtulit, quoniam ipsi in Occidente potentissimi erant, et soli poterant eam dignitatem sustinere, et eosdem Romanus populus maxime cupiebat. Sic etiam in testamento veteri Joiada Pontifex posteaquam Athaliam reginam, quæ regnum invaserat, interfici jussit, regnum contulit regis demortui filio, cui jure hæreditario debebatur, IV Reg. XI. et Azarias Pontifex rege Ozia ob lepram divinitus immissam ab hominum commercio segregato, regni administrationem non cui voluit ; sed cui debebatur, id est, regis filio dereliquit. II Paralip. XXVI. Illa igitur propositio Barclaii, aut male intellecta falsa est, aut recte explicata non efficit, ut reges precario regneant. Jam vero assumptio illa, Atqui judicare, et decernere an sit necessarium, pertinet ad eumdem Pontificem, de cujus judicio æquumne sit, an iniquum, nemo potest judicare, similis est propositioni : nam perperam intellecta, falsa est ; recte explicata, vera quidem est ; sed non inde concluditur, precario regna a Summo Pontifice data possideri, quæ est Barclaii conclusio. Pertinet quidem ad Pontificem judicare an sit necessarium ad salutem animarum, regem aliquem regno privare ; sed non pertinet ad eumdem necessitates pro libito fingere, vel sub colore necessitatis cupiditati servire. Et quoniam res hæc gravissima est, et necessitas manifesta, et explorata esse debet, idcirco Pontifices ordinarie in Synodis Episcoporum, vel Consistoriis S. R. E. Cardinalium, expositis rationibus, et consentientibus Patribus, ista gesserunt, ut supra ostendimus.

5. Pergit Barclaius, et posteaquam rationem superiorem multis verbis more suo amplificavit, et repetivit, subjungit hæc verba : « Sed et omnis potestas, omneque dominium, et jurisdictio, aut jure divino acquiritur, aut jure humano : et qui aliquid possidet, seu tenet, si neutro horum possideat, injuste possidet, ut præclare in Donatistas ratiocinatur Augustinus tract. 6. ad cap. 1. Joannis, canon. Quo jure, dist. 8. Fieri igitur non potest, ut Papa imperium aliquod temporale in reges, et principes sæculares juste exerceat, nisi constet id ei jure divino, vel humano esse tributum. »

Respondeo : Jure divino potestas in reges, et principes Christianos, non proprie temporalis, sed quæ se ad temporalia extendat, Summo Pontifici Christi Vicario attributa est. Unde enim Barclaius ipse deducit, potesta-

tem spiritualem amplissimam jure Divino Romano Pontifici in omnes reges, principesque competere: inde nos colligimus, eodem divino jure Pontifici Romano competere potestatem, quæ ad temporalia pertingat; quoniam id requirit ordo potestatis superioris ad inferiorem, spiritualis ad temporalem. At, inquit adversarius, nullus neque in divinis, neque in humanis legibus locus reperitur, qui talem illi potestatem conferat. Respondeo: Immo locus invenitur in divina lege, qui potestatem illi conferat, et locus invenitur in humana lege, qui locum divinæ legis exponat, quod enim scriptum est Matth. XVI. *Tibi dabo claves Regni cælorum, etc.* et Joan. XXI. *Pasce oves meas;* explicatum invenimus in multis conciliis, ac potissimum in Romano sub Gregorio VII, in Lateranensi sub Innocentio III. et in Lugdunensi su Innocentio IV, in eum sensum, ut potestas ligandi, atque solvendi, nec non pascendi, atque regendi Ecclesiam universam, non ad sola spiritualia; sed etium ad temporalia ratione spiritualium porrigatur: quod idem communis doctorum Catholicorum sententia, et ipsa praxis, atque experientia confirmat.

6. « At, inquit, regum dominatio, et auctoritas multis sacrarum litterarum testimoniis aperte commendatur, et probatur, ut cum dicitur: Per me reges regnant. Data est a Domino potestas vobis, reges gentium dominantur eorum. Cor regis in manu Dei. Dabo illis regem in furore meo. Time Dominum, fili mi, et regem. Regem honorificate, et passim id genus similia. »

Respondeo: Primus locus non demonstrat potestatem datam a Deo regibus; sed sapientiam regibus esse necessariam, ut regnent, sicut oportet. Verba enim illa sapientiæ sunt, quæ reges hortatur ad ipsius Sapientiæ studium, si volunt vere regnare, et leges ferendo justa decernere. Secundus locus dicit quidem, potestatem regium esse a Domino: sed hoc dicit, ut reges non superbiant; sed intelligant habere supra se Dominum, a quo graviter punientur, si potestate abutantur. Tertius locus non potestatem tribuit; sed abusum potestatis reprehendit, reges enim gentium, qui vera Dei cognitione carent, non contenti administratione regia, plerumque dominari populis, quasi mancipiis, affectant, et politicum imperium in despoticum transmutant, ac de regibus tyranni fiunt: quem abusum Græca vox κατακυριεύω, quæ violentam dominationem significat, magis aperte demonstrat. Quartus locus potestatem Dei in reges, non potestatem datam a Deo regibus osteudit; ea enim est omnipotentia Dei, ut non solum corpora regum; sed etiam corda in potestate habeat, eaque vertat, et convertat, ut sibi libuerit. Quintus locus non potestatem regiam commendat; sed minatur se permissurum, ut populus ob sua peccata in regem iniquum, et crudelem incidat, a quo non tam regatur, quam devoretur. Sextus et septimus locus, timorem populi erga regem, non potestatem regis erga populum docet; sed quicquid de his locis sit, ut non negamus regiam potestatem esse a Deo, sic etiam negari non debet, Apostolicam potestatem esse a Deo; immo omnem potestatem esse a Deo, juxta illud Apostoli Roman. XIII. *Non est potestas nisi a Deo.* Quod autem potestas regia subjecta non sit Apostolicæ potestati, vel quod subjecta sit in spiritualibus tantum, non etiam in temporalibus; in his locis, neque aperte, neque obscure habetur, atque hoc est non quæritur.

Postremo adducit Barclaius argumentum, quod etiam supra non semel adduxit: « Postremo, inquit, quandoquidem potestas, et jurisdictio ista temporalis Papæ, de qua nobis sermo, neque expresso Dei verbo in Scripturis comprehensa, neque ex traditione Apostolorum, quasi per manus recepta, neque usu, et consuetudine in Ecclesia per totos mille annos, et amplius observata, aut ab ulla Pontifice occupata, neque ab antiquis Ecclesiæ Patribus laudata, et probata immo ne memorata quidem invenitur: quæ nos obsecro credendi necessitas cogit eam admittere? aut qua nobis eam auctoritate persuadeant? »

Respondeo: Multa sunt quæ ex verbo Dei per Ecclesiam explicata credimus, quamvis in verbo Dei expresse non habeantur. Filium esse Patri consubstantialem, expresse in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Joan. X. *Ego et Pater unum sumus.* Spiritum a Filio procedere expresse in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Joan. XVI. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis: omnia quæ habet Pater mea sunt, ideo dixi vobis, quia de meo accipiet.* Baptismum parvulorum expresse in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba illa Joan III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, etc.* Matth. XIX, *Sinite parvulos venire ad me.* Sic ergo potestatem summi Pontificis extendere se ad temporalia ac præsertim ad regna, et imperia expresse in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia Ecclesia in conciliis generalibus, sic docet intelligenda esse illa verba Domini Matth. XVI. *Tibi dabo claves, etc.* (1). Falsum vero est, potestatem istam non fuisse in usu apud Ecclesiam per totos mille annos, et amplius. Jam enim supra docuimus, in usu fuisse post annum septingentesimum tempore Gregorii secundi, et Zachariæ Pontificum. Item post annum octingentesimum tempore Leonis tertii, et Gregorii quarti. Falsum quoque est ab antiquis Patribus non fuisse laudatam vel commemoratam; cum a Gregorio Nazianzeno paulo obscurius; sed a Gregorio Romano aperte commemorata; ac deinde posterioribus sæculis ab omnibus scriptoribus, quorum nonnulli in album sanctum relati sunt, apertissime commendata, et celebrata fuerit. Quod in extremo capite Barclaius dicit, rationes nostras non esse demonstrationes, sed dialecticos syllogismos, proinde eas non certam fidem facere; id quale sit, et quantum ponderis, et momenti habeat, in sequenti capite explicabimus.

CAPUT XIII.

Defenditur prima ratio Bellarmini pro potestate Pontificis in temporalibus.

In cap. 13. aggreditur Barclaius refutare eas rationes, quas ego in lib. v. de Pontif. cap. 7. adduxi ad probandam Pontificis Maximi potestatem in temporalibus. Et quoniam ille præfatur, neminem Bellarmino diligentius rationes pro hac potestate collegisse, vel argutius proposuisse, vel brevius, et subtilius conclusisse; ut videlicet lectoribus persuadeat Bellarmino superato, rem totam esse confectam; ego quoque præfari debeo, me non admittere, quæ Barclaius de mea diligentia, argutia, et subtilitate dicit. Scio enim multos esse me longe doctiores, et diligentiores, ac subtiliores, qui in eodem argumento ante me versati sunt, et quorum ego diligentiam, et studium pro ingenii me tenuitate æmulari studui: proinde non in me superando stat summa victoriæ, ut Barclaius persuadere lectoribus nititur. Admonendum quoque lectorem esse duxi, me in hac re comprobanda rationes tantum, et exempla, non Scripturas, concilia, et Patres adduxisse: quoniam ista in libris superioribus copiosissime persecutus fueram in confirmando primatu spirituali Summi Pontificis; quo confirmato, et firmiter stabilito facillimum esse censui, ex eo tamquam ex fonte deducere rivulos rationum ad potestatem in temporalibus comprobandam.

Prima igitur ratio mea, quam Barclaius ad verb m refert, hæc fuit:

Potestas civilis subjecta est potestati spirituali, quando utraque pars est ejusdem reipub. Christianæ: ergo potest princeps spiritualis imperare principibus temporalibus, et disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale: omnis enim superior imperare potest inferiori suo.

Quod autem potestas politica, non solum ut Christiana, sed etiam ut politica, sit subjecta Ecclesiasticæ, ut talis est: primo demonstratur ex finibus utriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, ut patet, quia felicitas temporalis, non est absolute ultimus finis; et ideo referri debet in felicitatem æternam. Constat autem ex Aristotele lib. I. Ethic. c. I. ita subordinari facultates, ut subordinantur fines.

Secundo reges, et pontifices, clerici, et laici non faciunt duas respublicas, sed unam, id est, unam Ecclesiam. Sumus enim omnes unum corpus Rom. XII. et I Corinth. XII. At in omni corpore membra sunt connexa, et dependentia unum ab alio: non autem recte asseritur, spiritualia pendere a temporalibus; ergo temporalia a spiritualibus pendent, illisque subjiciuntur.

Tertio, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium judicio tenetur princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni: ergo signum est, subjectam esse temporalem potestatem spirituali. Hæc est mea ratio prima satis fideliter a Barclaio relata.

Huic rationi respondet ipse, falsum esse, quod ego assumpsi, civilem potestatem subjectam esse spirituali, quando utraque pars

(1) Joan. X, 30; Joan. XVI, 14; Joan. III, 3; Matth. XIX, 14; Matth. XVI, 19.

est ejusdem reipub. Christianæ. Id autem falsum esse probare conatur his verbis:

« Siquidem hæ duæ potestates ita sunt partes reipublicæ Christianæ, ut neutri in alteram imperium sit, utpote cum libere, et sui juris essent, mutuo amore coierunt. Utraque ergo alteram in suo ordine, et munere recognoscit, et veneratur, et suam utraque functionem arbitratu suo exercet; tantum inter eas conspiratio quidem consensus, et societas est, ad Christianam rempub. conservandam. »

Respondeo: In his verbis affirmari video, non probari, politicam, et Ecclesiasticam potestates in eadem Ecclesia Christiana conjunctas esse vinculo benevolentiæ, non autem subjectione unius ad alteram. Sed hoc recte diceretur, si politica, et Ecclesiastica potestas ejusdem ordinis essent, et quasi duas separatas res publicas facerent, ut sunt pagi Helvetiorum. At ex Scripturis divinis Pontifices, et reges, clerici, et laici in Christo regenerati unam rempub. imo unam civitatem, imo unam domum, imo unum corpus efficiunt. Neque potestas spiritualis, et temporalis in Ecclesia conveniunt, ut duæ resp. in unam confœderationem, sed ut spiritus, et caro in unum hominem, ut Gregorius Nazianzenus præclare docuit in oratione ad populum timore parcissum certum autem est, spiritum in carnem imperium habere debere, non contra: neque sunt in Ecclesia Christi Pontifices, et reges, ut principales civitates in ovili, sed ut pastores, et oves: neque in dubium revocari potest, an pastores ovibus, vel oves pastoribus cum imperio præsint.

Subjungit Barclaius: « Utraque potestate, sive ut Genebrardi verbis utar, utroque magistratu Ecclesia continetur, munitur, et viget: ad quam protegendam, et sartam rectam conservandam alteris sic

Altera poscit opem res, et conjurat amice.

ut quamdiu societatem retinent, respublica Christiana innumeris concordiæ, et pacis commodis efflorescat. At ubi eitam dissolvunt, spiritualis quidem potestas, licet divina virtute præstans, imbecillior tamen in oculis hominum, et corporalibus auxiliis destituta plerumque contemnitur: temporalis vero, quantumvis potens, atque fortis in suam ipsius perniciem per omne scelus, et insaniam properat, nimirum cœlesti gratia destituta, qua per spiritualis potestatis coitionem fruebatur. »

Respondeo: Hæc omnia contra suum auctorem, non contra Bellarminum pugnant. Fatetur enim Bellarminus, optimum esse, ut duæ istæ potestates concordes sint, et valde perniciosum si inter se pugnent: sed non inde sequitur unam alteri non esse jure subjectam. Nam et in homine optimum est, ut spiritus et caro concordes sint, et perniciosum si dissideant, ut sæpe carne reluctante imperio spiritus, et spiritu carnem in servitutem redigere conante, discordant: nec tamen ullus sapiens ex hac discordia colligit, non debere esse spiritui in carnem suam imperium: cum contrarium apertissime inde colligatur. Igitur eodem modo ex eo quod ex discordia duarum potestatum, spiritualis, et politicæ in eadem Christiana republica tam multa incommoda sequuntur, et utrique valde necessaria concordia est: colligi debet, pertinuisse ad sapientiam Christi Christianæ reipublicæ Conditoris, ut unam potestatem alteri subjiceret, quo facilius pacem, et concordiam inter se retinerent, et colerent.

Addit Barclaius testimonium Hosii Cordubensis, et S. Bernardi: sed quoniam ad testimonium Hosii non semel supra respondimus, audiamus verba S. Bernardi lib. I. de Consideratione cap. 5. « Habent, inquit, hæc infima, et terrena judices suos, reges, et principes terræ, quid fines alienos inaudiis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? »

Respondeo: Sanctus Bernardus ipse se declarat, cum in eodem loco subjungit: « Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis: denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus. Si enim in vobis judicabitur hic mundus indigni estis, qui de minimis judicetis? Sed aliud est incidenter incurrere in ista, causa quidem urgente, aliud vero incumbere istis, tamquam magnis, dignisque tali, et taliam intentione rebus. » Ubi demonstrat Pontifices maximos, ut plurimum debere in rebus majoribus occupari, et infima ista, ac terrena relinquere Judicibus minoribus, regibus videlicet, et principibus terræ. Quemadmodum Apostolus I Corinth. VI. dixit: *Judicia sæcularia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad judicandum* (1). Itaque

(1) I Corinth. VI, 4.

S. Bernardus eo loco fines alienos, et messem alienam, judicia terrena vocavit, non quod non possit Pontifex, sed quod ut plurimum non debeat, dimissis rebus gravioribus, istis terrenis, et vilibus implicari. Et Barclaius non satis prudenter, ne dicam fraudulenter, verba citat, quæ secum adferunt explicationem, si locus integer adferatur.

Pari astutia Joan. Driedonem allegat ex lib. II. de libert. Christiana cap. 2. cujus hæc sunt verba: « Christus utriusque potestatis officia discrevit, ut una divinis, et spiritualibus rebus, atque personis, altera profanis, atque mundanis præsideret »; et mox: « En plane vides Christum discrevisse utriusque potestatis officia, distinctio igitur Ecclesiasticæ potestatis Papalis e potestate sæculari, ac imperiali est de jure divino facta. »

Respondeo: Scribit Joannes Driedo, potestates illas duas distinctas esse; sed unam alteri subjectam esse, temporalem videlicet spirituali hoc loco non negat, et paulo infra in eodem capite disertis verbis affirmat, dicens: « Unde Papa, et imperator sunt in Ecclesia, non tamquam duo rectores summi inter se divisi, quorum neuter alterum cognoscit, et veneratur, tamquam superiorem: quia regnum sic contra se desolabitur. » Hæc ille: nec valet glossa Barclaii, quod imperator in spiritualibus Papam, Papa in temporalibus imperatorem cognoscere debeat, et venerari tamquam superiorem. Nam Joan. Driedo explicuit sententiam suam lib. I. ejusdem operis, cap. 9. ubi docuit, in ordine ad finem supernaturalem, subjectam esse potestatem temporalem potestati spirituali, et cap. 14. docuit, papam habere plenitudinem potestatis super omnes reges, et principes Christianos, et posse eos regnis privare, et in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab eorum obedientia, et subjectione: et nusquam docuit, potestatem spiritualem subjectam esse temporali, aut posse a regibus privari Pontificem Papatu, aut ab ejus obedientia, et subjectione populos liberari. Allegat Barclaius antiquam glossam in can. Hadrianus, dist. 63. sic dicentem: « Quemadmodum ille huic in spiritualibus: ita hic illi in temporalibus pater est ». Sed ego istam glossam neque in novis, neque in antiquis editionibus invenire potui. Fortasse tamquam delira anus antiquata est, aut præ nimio senio jam dudum excessit e vivis.

Postremo addit Barclaius testimonium Bellarmini, ut Bellarminum cum Bellarmino committat, eumque proprio gladio vulneratum prosternat. « Nota, inquit Bellarminus lib. V, de Pontifice cap. 3. quemadmodum non est idem sidus sol, et luna, et sicut lunam non instituit sol, sed Deus; ita quoque non esse idem Pontificatum et imperium, neque unum ab alio absolute pendere. » His verbis recitatis, subjungit Barclaius: « Sunt quidem sol, et luna duo luminaria magna, quæ Pontifex Innocentius, cap. Solitæ, de majorit, et obed., per allegoriam interpretatur duas dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, et regalis potestas, et illam soli, hanc lunæ comparat. Unde hoc modo disputo. Quemadmodum luna non minus luna est, nec minus per se consistit, tunc cum a sole recedit, et mutuatum ab eo lumen errans amittit, quam cum ejus radiis pleno orbe, atque aspectu illustratur, et neutro casu hæc ab illo, aut ille ab hac dependet; sed ambo institutionis suæ ordinem, et modum tenentes Deo, mundoque deserviunt: sic etiam potestas regalis, sive politica propriis subnixa viribus per se semper consistit: et licet magnum quidem lumen ad bene, beateque vivendum a Pontificali, spiritualique potestate accipiat, tamen ejus, neque accessu, neque recessu ulla ex parte in sua essentia mutatur, minuitur, vel augetur, multoque minus advenienti subjicitur. »

Respondeo: Similitudines non in omnibus locum habent, sed in ea tantum re, ad quam explicandam adhibentur. Ideo frustra quæritur accommodatio in omnibus. Christus agnus Dei dictus est propter mansuetudinem, et leo propter fortitudinem, et petra propter firmitatem, et vitis propter fœcunditatem: nec tamen licet Christo tribuere stolliditatem ovis, aut sævitiam leonis, aut duritiem lapidis, aut fragilitatem vitis. Recte igitur comparavit Innocentius III. potestatem Pontificiam soli, et potestatem regiam lunæ, quod illa præsit spiritualibus, ista temporalibus, illa sit major, ista minor. Nec male ego notavi, Pontificatum, et imperium instar solis, et lunæ esse distincta, et a Deo; et imperium absolute non pendere a Pontificato: quia videlicet imperium Romanum fuit ante Pontificatum Christianum, ac per hoc institutum non fuit a Pontifice: neque Pontifex imperium sustulit unquam, sed solum transtulit ab uno homine ad alium, vel ab una gente ad aliam. Concedimus autem Barclaio

potestates Pontificiam, et regiam instar solis, et lunæ non pendere ab invicem quoad essentiam. Sed non concedimus, quod Barclaius in fine addidit, lunam soli non subjici. Subjicitur enim luna soli, cum ab eo lumen recipiat, et non subjicitur lunæ sol, qui nihil recipit a luna. Nec solum luna, sed omnes etiam stellæ subjiciuntur soli, quoniam ab illo lumen recipiunt ; et recte Marcus Tullius in Somnio Scipionis de sole dicit : Dux est et princeps, et moderator luminum reliquorum. Itaque quemadmodum soli subjicitur luna, et lunæ non subjicitur sol ; ita quoque Pontifici subjicitur rex, et regi non subjicitur Pontifex.

CAPUT XIV.

Defenditur confirmatio primæ rationis Bellarmini.

In cap. 14. Barclaius examinat tria illa argumenta, quibus ego probavi assumptionem primæ rationis, sive antecedens primi anthimematis, ut scholarum verbis utamur. Primum argumentum illud fuit : Finis temporalis subordinatur fini spirituali ; sed facultates subordinantur, ut subordinantur fines ; igitur facultas, sive potestas temporalis, subordinatur facultati, sive potestati spirituali. Ad hoc argumentum respondet Barclaius his verbis :

« Nego constanter talem ordinationem, vel subordinationem finium harum potestatum esse, quatenus ipsæ tales potestates sunt. Nam finis politicæ, seu civilis potestatis, quatenus politica est, nihil aliud absolute complectitur quam felicitatem temporalem, communem scilicet bonum, et vitæ degendæ ordinatam tranquillitatem, ut ipsemet alibi Bellarminus fatetur. Politica potestas, inquit, habet suos principes, leges, judicia, etc. et similiter Ecclesiastica suos episcopos, canones, judicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem æternam. » Hæc Barclaius, qui postea, rem eamdem confirmat ex Apostolo I ad Timoth. II. qui jubet nos orare pro regibus, ut tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate. Item ex Navarro, qui in cap. Novit, de judic. num. 90, dicit, finem potestatis laicæ esse vitam bonam, beatam, et quietam temporalem mortalium, quæ et finis est legum ab ipsa emanantium : potestatis vero Ecclesiasticæ, finem esse vitam æternam supernaturalem, eumdemque esse finem legum ab ipsa emanantium.

Respondeo : Negat Barclaius rem certissimam omnium consensione Doctorum ; nec potest aliter paradoxa sua defendere, nisi audacter omnia negando, quæ illi objiciuntur. Quid enim apud theologos, et philosophos notius, quam inter causas tum efficientes, tum finales ordinem esse, et inferiores superioribus subordinari ? Certe Deus est prima causa efficiens omnium rerum, eique subordinantur causæ secundæ, sive universales, quales sunt res istæ inferiores, quarum unaquæque producit effectus sibi similes, non absque actione cœlorum, et cooperatione Dei, primæ videlicet, atque altissimæ causæ. Eodem igitur modo finis ultimus absolute Deus est, atque ad eum ordine quodam referuntur, et subordinantur omnes alii fines. Finis quidem immediatus potestatis politicæ, est pax reip. temporalis, sed hæc pax subordinatur pacisupernaturali hominis cum Deo ; ista vero paci beatæ, quæ est in superna Hierusalem : quæ tandem subordinatur gloriæ Dei Conditoris, qui est primum principium, et ultimus finis omnium rerum. Atque hoc ipsum docent auctores, quos hic Barclaius citat. Bellarminus enim, quem primo loco nominat, lib. v de Pontif. cap. 6. ubi scripsit, finem politicæ potestatis esse pacem temporalem, et finem potestatis Ecclesiasticæ esse salutem æternam : paulo post addit hæc verba : « Quando istæ potestates sunt conjunctæ, unum corpus efficiunt, ideoque debent esse connexæ, et inferior superiori subjecta, et subordinata » : cujus rei rationem reddit cap 7. « quia finis temporalis potestatis subordinatur fini potestatis spiritualis ». Sanctus quoque Apostolus I ad Timoth. cap. II, quem Barclaius secundo loco citavit, cum jussit orari pro regibus, ut tranquillam vitam agamus ; adjunxit, *in omni pietate, et castitate ;* ut ostenderet tranquillitatem vitæ, quæ est finis politicæ potestatis, subordinari pietati, et castitati, quæ finis est potestatis spiritualis, per quem ad finem ultimum pervenitur, qui est felicitas sempiterna. Denique Navarrus, quem tertio loco Barclaius attulit, in cap. Novit, de Judic. num. 90, scribit, finem potestatis temporalis esse vitam bonam, et beatam mortalium temporalem ; finem spiritualis potestatis esse vitam æternam in cœlis. Sed idem auctor eodem loco, num. 97, *demonstrat*, finem temporalis potestatis subordinari fini potestatis spiritualis, cum docet ex S. Thoma lib. III de Regimine principum cap. 12, « Christi dominium ordinari ad salutem animæ et spiritualia bona, licet a temporalibus non excludatur, eo modo, quo ad spiritualia ordinantur. Expende, inquit Navarrus, illa verba, eo modo, quo ad spiritualia ordinantur : nam illo et non alio modo suprema hæc Papæ patriæ patris potestas extenditur ad illa, id est, ad temporalia. » Ibidem Navarrus adducit alium locum S. Thomæ ex 2. 2. q. 40, art. 2, ad tertium. « Omnis persona, inquit S. Thomas, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de his, quæ sunt ad finem : bella autem carnalia in populo fideli sunt referenda ad spirituale bonum divinum, cui clerici deputantur : et ideo ad clericos pertinet disponere, et inducere alios ad bellandum bella justa. » Ubi S. Thomas docet bella carnalia ordinari ad bonum spirituale, ut ad finem non immediatum, sed mediatum : finis enim belli carnalis immediatus est victoria, et pax temporalis : sed quia hæc ordinatur ad bonum spirituale, ut alia omnia temporalia, ideo dicitur bellum carnale ordinari ut ad finem, mediatum videlicet, ad bonum spirituale : et ea de causa disponere de bellis justis agendis pertinet aliquo modo ad clericos, *id est*, ad ecclesiasticam potestatem, cujus finis immediatus est bonum spirituale. Multa similia habet idem S. Thomas, de subordinatione finium in 1. 2. q. 1. art. 4. et lib. III, cont. gent. cap. 17, 18, et seq.

Aggreditur deinde Barclaius secundum argumentum meum, quod erat hujusmodi : Reges, et Pontifices, clerici et laici non faciunt duas respublicas, sed unam, id est, unam Ecclesiam : sumus enim unum corpus Rom. XII, et I Cor. XII. At in omni corpore membra sunt connexa, et dependentia unum ab alio : non autem recte asseritur spiritualia pendere a temporalibus, ergo temporalia a spiritualibus pendent, illisque subjiciuntur.

De hoc secundo argumento ita loquitur Barclaius : « Secundum vero argumentum usque adeo frivolum est, et fallax, ut nihil insecitius dici, aut vitiosius colligi possit, quam quod eo concluditur : ecqua enim anus tam excors est, ut nesciat non valere hanc consecutionem, sunt membra unius corporis, ergo unum ab alio pendet : nam neque pes a pede, neque brachium a brachio, neque humerus ab humero pendet, sed ab uno tertio. »

Respondeo : Oblitus erat Barclaius, cum hæc scriberet, eorum, quæ paulo ante dixerat, neminem Bellarmino argutius argumenta proponere, neminem brevius, subtiliusque concludere, ista siquidem non bene cohærent argumenta proposita argutissime, subtillissimeque conclusa a qualibet excorde anu posse nullo labore dissolvi. Sed omitto Barclaii inconstantiam, qui Bellarminum nunc laudibus evehit in cœlum, nunc conviciis deprimit in abyssum : parum enim Bellarmino est, ut a Barclaio judicetur, aut ab aliis ei similibus, qui judices ejus legitimi non sunt : omnes enim stabimus ante tribunal Christi, et ab illo juste verecque, ac sine omni animi perturbatione judicabimur. Quod ergo dixi, membra ejusdem corporis esse connexa, et unum pendere ab alio ; de membris diversi generis intellexi, qualia sunt digitus, manus, brachium, humerus, et caput : non de membris ejusdem generis, qualia sunt duæ manus, duo pedes, duo oculi, duæ aures : potestas enim politica, et ecclesiastica, de quibus loquebamur, diversi generis sunt, ut notum est : et secundum post materiam verba intelligenda sunt ; alioqui nulla esset tam certa demonstratio, quæ calumniam pati non posset. Itaque potestas regia, quæ in suo genere principalis est, si cum potestate Pontificia, quæ etiam in suo genere principalis est, in unum corpus coalescat, necessario debet, aut subesse, aut præesse, ne sint in uno corpore duo capita : et cum satis constet Pontificem esse caput Ecclesiæ vice Christi, aperte sequitur, ut debeat rex, aut non esse membrum hujus corporis, aut Pontifici subesse ; et eodem modo potestas politica, quæ præcipue residet in rege, aut debet subjecta esse spirituali, quæ præcipue residet in Pontifice, aut extra Ecclesiam remanere : quemadmodum non potest esse digitus in corpore, qui non pendeat a manu ; neque manus, quæ non pendeat a brachio ; neque brachium quod non pendeat ab humero : neque humerus, qui non pendeat a capite. Quod autem Barclaius dicit paulo post, potestatem spiritualem, et politicam, esse veluti duos humeros in corpore, quorum neuter alteri subjicitur ; sed uterque subjicitur uni capiti Christo : non solum est falsum, quia potestates illæ non sunt ejusdem generis, ut duobus humeris comparari possint, quo modo recte compararentur duobus humeris duæ regiæ potestates : sed etiam ad hæresim pertinet, quæ hoc tempore maxime

007050

viget : quid enim hæretici hujus temporis majori conatu populis persuadere conantur, quam non esse Summum Pontificem caput visibile corporis Ecclesiæ, cui omnes Christiani, quantumvis magni necessario subjici debeant, si salvi esse velint? atqui hoc illis ultro concedit Barclaius, qui tamen in toto libro Catholicum se facit. Itaque potestas spiritualis, et politica non recte comparantur duobus humeris; sed vel spiritui, et cerni comparari debent, ut facit S. Gregorius Nazianzenus in oratione sæpe citata ad populum timore perculsum, et præsidem irascentem : vel brachio, et capiti, membris videlicet principalibus, quorum tamen unum, quamvis in se valde potens, et robustum, ab altero superiore dirigi debeat, et gubernari.

Sed instat Barclaius, atque objicit mihi mea ipsius scripta, lib. III de Pontifice cap. 19, ubi admitto reges terræ non habere in terris judicem, quantum ad res politicas pertinet : et contendit, me contraria loqui, cum uno in loco docco, reges non habere judicem in terris, quoad res politicas : in alio loco admitto, Pontificem judicem esse regum, ut etiam eos per sententiam regno privare possit.

Respondeo : Innocentius III, in cap. Per venerabilem, Qui filii sint legit., scribit reges in temporalibus, non habere superiorem : et tamen ipse idem Othonem quartum imperatorem deposuit. Audeat ergo Barclaius Innocentium, tamquam secum ipsum pugnantem arguere : et ego cum tanto Pontifice reprehendi non moleste feram. Sed defensio in promptu est : reges enim non habent judicem in terris, quoad res politicas, sive in temporalibus, dum eorum regimen ita intra res politicas, et temporalia se continet, ut spiritualibus non officiat. Præterea dicuntur reges non habere judicem in politicis, et temporalibus, quia non habent super se judicem politicum, sive temporalem, quamvis habeant judicem spiritualem, a quo dirigi, et judicari possunt etiam in temporalibus per ordinem ad spiritualia.

Quod vero Barclaius addit, discrimen vocum directe, et indirecte ad formam, et modum pertinere, non ad vim, et effectum judicii : jam supra refutatum est in capite duodecimo, ubi de his vocibus ex proposito disputavimus.

Restat argumentum meum tertium, quod tale erat : Si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium judicio tenetur princeps temporalis mutare illum modum administrationis, etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signum est, subjectam esse temporalem potestatem spirituali.

Huic argumento duobus modis Barclaius occurrit : primum enim notat quod cum rem demonstrandam susceperim, signum tantum protulerim : deinde negat consecutionem argumenti : nam ex eo quod teneatur princeps temporalis mutare formam regiminis, si per eam bonum spirituale impediatur : dicit Barclaius sequi, spiritualia esse digniora temporalibus, non autem potestatem temporalem spirituali esse subjectam.

Respondeo : Non est novum, neque insolitum post demonstrationes adferre quoque argumenta a signo. Quod autem attinet ad consecutionem fallitur Barclaius. Nam ex illo antecedente : Tenetur princeps politicus mutare administrationem suam, si obsit bono spirituali; non sequitur absolute, ergo bonum spirituale est nobilius, ac dignius temporali : sed sequitur, ergo ad bonum spirituale ordinatur, ut ad suum finem bonum temporale, ac per hoc potestas temporalis subjecta est potestati spirituali : necessitas enim mutandi administrationem in eo casu non oritur ex dignitate, vel nobilitate boni spiritualis præcise, sed ex subordinatione unius ad alterum quod perspicue ostendi in meo lib. V de Pontifice cap 7. in explicatione hujus argumenti tertii, ad quæ Barclaius nihil respondit.

CAPUT XV.

Refutatur digressio Barclaii.

In capite quinto decimo Barclaius non contentus iis, quæ dixerat in responsione ad primam rationem meam : antequam transeat ad secundam examinandam, et refellendam, iterum repetit sententiam suam de potestate ecclesiastica, ac politica, quod videlicet, principes temporales subjecti esse debeant Episcopis, quo ad spiritualia, et contra Episcopi subjecti esse debeant principibus, quo ad temporalia : et quemadmodum episcopi cogere possunt spiritualibus pœnis principes temporales ab obediendum in iis, quæ ad animam pertinent, sic possunt principes temporales cogere Episcopos corporalibus pœnis ad obediendum in iis, quæ pertinent ad temporalia, modo fidei Catholicæ, et bonis moribus non sint contraria. Excipit tamen summum Pontificem, quem dicit non esse subjectum ulli principi temporali, quoniam ipse quoque est princeps supremus temporalis in provinciis ditionis ecclesiasticæ. In summa tollit Barclaius de medio omnem exemptionem ecclesiasticorum a potestate principum sæcularium. Ac primum ad hanc sententiam stabiliendam producit testimonium Francisci Romuli in responsione ad certa capita Apologiæ, etc., qui disertis verbis affirmat, Episcopos regibus in temporalibus rebus, et reges Episcopis in rebus spiritualibus debere esse subjectos. Sed facilis est responsio. Loquitur enim Franciscus Romulus eo loco de subjectione, quam habent Episcopi, et reliqui clerici ad observandas leges politicas, et non perturbandum ordinem politicum a regibus constitutum; ut etiam docent Gelasius, et Nicolaus Pontifex, ille in epist. ad Anastasium imperatorem, hic in epistol. ad imperatorem Michaelem, quos eo loco Franciscus Romulus allegavit. Sed hinc non sequitur, posse cogi Episcopum a rege ad obediendum, vel puniri, si non obediat, cum rex nullam habeat in Episcopos, vel clericos potestatem, quod apertissime legitur in concilio Constantiensi, sess. 31.

Secundo producit testimonium ipsius Bellarmini, ex lib. de Clericis cap. 28. ubi docet, clericos, ut cives, esse partes, et membra reipub. politicæ, ac per hoc obligari ad leges politicas observandas. Sed quoniam idem Bellarminus in eodem loco, excipit potestatem coactivam a qua liberos esse dicit clericos : Barclaius reclamat, ac dicit : « Verius est clericos ad obsequium legum, ubi causa postulat, a temporali judice cogi posse, ut nec in ea re exemptionis suæ beneficio gaudeant, quod ab imperatorem, et Principum legibus, eos accepisse satis constat. Frustra enim legum auxilium invocant, qui contra eas committit. »

At hic Barclaius more suo contra sententiam Catholicorum omnium loquitur : quamvis enim disputent theologi, et canonistæ de jure exemptionis, tamen esse clericos aliquo jure exemptos, et non posse cogi a laica potestate omnes docent. Utrum autem verius sit existimandum, quod unus, an quod universitas docet, aliis judicandum relinquo : sed de hac re inferius plura dicemus, et multa etiam in lib. de Clericis diximus.

Tertio Barclaius producit testimonium S. Gregorii, in epist. 15. lib. IV. ubi S. Gregorius ad Mauritium scribens, sic loquitur : « Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur; sed excellenti consideratione propter eam, cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. »

« Dominetur nimirum », addit Barclaius, « quatenus cives sunt, et partes reipub. reverentiam impendat, qua Dei sacerdotes, et patres spirituales, quibus ipse imperator, ut Ecclesiæ filius subjicitur.

Respondeo : Possent verba S. Gregorii in eum sensum exponi, ut significare voluerit, imperatorem dominari posse sacerdotibus constituendo leges politicas, quas ipsi quoque vi rationis, sed non vi legis observare tenentur; sed eis reverentiam illam impendere debere, ut non eos ipse puniat, si leges non serviant, sed prælatis ipsorum puniendos relinquat. Sed quoniam ex ipso Gregorio in Commentario Psalm. CI didicimus, Mauritium tyrannice imperasse in ultimis imperii sui annis, ac potissimum in Sacerdotes sævire cœpisse : mirum non est, si S. Gregorius ita loquatur, ut jugum tyrannicum si auferre non poterat, mitigare saltem, et moderari niteretur.

Quarto producit testimonium Scripturæ lib. III Reg. cap. II. Ubi Salomon rex sacerdotem Abiatharem reum mortis pronunciavit, quod conjuranti Adoniæ consensisset : et ejecit eum, ne sacerdotio fungeretur.

Responsio : Non est improbabile in testamento veteri regem absolute majorem fuisse Pontifice, tum quod ita doceat S. Thomas in lib. I de Regimine principum cap. 12, tum quod in testamento veteri promissiones essent temporales, et sacrificia carnalia; sed quoniam probabilius est, in ipso etiam testamento veteri, majorem fuisse Pontificem rege, ut ostendimus lib. II de Pontif. cap. 29, ideo persistimus in ea responsione, quam in eo loco scripsimus, Salomonem non ut regem, sed ut prophetam divino instinctu judicasse Abiatharem mortis reum, et ei sacerdotium abrogasse, aliumque ei substituisse. Nam quod in Scriptura III Reg. II. legimus : *Ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo* (1) : ratio est, cur Salomon hoc fecerit. At inquit Barclaius, illud : *« Ut impleretur sermo Domini,*

(1) III Reg. II. 27.

nihil aliud significat, nisi tunc impletum fuisse, quod Dominus prædixerat futurum : quemadmodum Matth. XXVII cum dicitur, impios milites divisisse inter se vestimenta Christi, ut impleretur illud Psalmi : *Diviserunt sibi vestimenta mea.* »

Respondeo : Illud, ut impleretur verbum Domini, aliquando significat solum, illud fuisse prædictum, et postea impletum, ut in loco allegato ab adversario. Aliquando significat id factum esse eo animo eaque intentione, ut obedientia præstaretur Deo, qui voluit per eum id fieri, ut lib. IV Reg. cap. IX, Jehu jussit, Joram regem occisum projici de curru in agrum Jezrael, ut impleretur verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam Prophetam : Tolle, inquit, eum, et projice de curru in terram, juxta verbum Domini. Quod autem locus allatus ex lib. III Reg. cap. II. debeat intelligi hoc secundo modo, probari potest ex voce hebraica ; nam ubi nos habemus in textu latino : Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini; ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo : in hebræo est verbum activæ significationis לְמַלֵּךְ adimplendum, sive ut ipse impleret sermonem Domini. Quare verba textus latini debent sic intelligi, ut impleretur, supple, ab ipso Salomone sermo Domini, etc. Adde, quod ex sententia Barclaii, rex non potest punire Sacerdotem pœna spirituali, neque miscere se in negotiis spiritualibus, sed solum in temporalibus : Salomon autem privavit Abiathar munere sacerdotali, et alium ejus loco substituit ; ergo vel excessit modum potestatis suæ, vel hoc fecit non ut rex, sed ut propheta, et peculiari instinctu Dei, ut nos supra diximus. Denique si hæc lectori non satisfaciunt, dicere possumus, in Scriptura sacra narrari factum Salomonis, sed non definiri, jure ne, an injuria fecerit : quemadmodum etiam in eo loco narratur cædes Adoniæ fratris Salomonis, jussu ejusdem Salomonis patrata, ob id, quod Adonias petierit sibi dari in uxorem Abisag Sunamitidem, quod recte ne, an secus factum fuerit, disputari potest. Itaque non bene colligeret, qui diceret, rex Salomon privavit sacerdotem functione sua, et occidit fratrem suum, quia petierat in uxorem illam puellam, quæ fuerat ancilla patris sui : ergo possunt reges privare functione sua Sacerdotes, aliosque in eorum locum substituere : et possunt fratres suos interficere, si speciosam aliquam puellam, quam rex ipse fortasse amat, sibi dari postulent in uxorem. Iste, inquam, non bene colligeret, quia reges multa sæpe faciunt ex potestate, non ex justitia : et videndum est non tam quid possint, quam quid debeant, sive quid jure possint : non enim verum est, quod imperatori Antonino Caracallæ dictum fuit, Regibus quod libet licet.

Addit Barclaius : « Æque fallitur vir idem doctissimus, cum ait eodem lib. II de Summo Pontif. cap. 29 non mirum esse, si in Testamento veteri summa potestas fuisset temporalis, in novo spiritualis, quia in veteri Testamento promissiones tantum temporales fuerunt, et in novo spirituales, et æternæ. »

Respondeo : Eam ego sententiam ut probabilem posui, propter auctoritatem S. Thomæ in lib. I de Regimine principum, sive auctoris illius libri, quicumque fuerit, et propter non contemnendam rationem ab eodem auctore allatam. Barclaius autem dicit quidem in utroque testamento potestatem regiam, fuisse solum temporalem ; potestatem pontificiam, solum spiritualem, sed nulla vel auctoritate, vel ratione probat. Quare nemo mirari debet si veterem auctorem cum ratione loquentem anteponamus Barclaio, auctori recenti, et sine ratione veteres carpenti.

His expeditis percenset, ac numerat Barclaius ordine privilegia exemptionum, quæ data sunt a regibus, vel imperatoribus ordini ecclesiastico : ex quibus colligit, ecclesiasticos ex se subjectos esse in temporalibus politicæ potestati : nisi enim subjecti essent non egerent privilegiis, neque illa vel quæsivissent, vel etiam oblata accepissent.

Ad hæc breviter respondeo, nos hoc loco non suscepisse disputationem de potestate regum in Ecclesiasticos, sed de potestate Summi Pontificis in temporalibus : neque æquum est de una disputatione ad aliam transire. Quare lectorem remittimus ad ea quæ in Controversiis de exemptione Ecclesiasticorum disputavimus, præsertim in editionibus post annum Domini 15-8, in quibus paulo planius et plenius sententiam nostram explicuimus, quam in editionibus prioribus. Accedit etiam, quod Barclaius infra iterum de hac re, et fusius tractat, capite videlicet trigesimo secundo, et trigesimo tertio, ubi se in materia exemptionis novam doctrinam contra scriptores omnes invenisse gloriatur.

CAPUT XVI.

Refellitur alia digressio Barclaii.

In capite sexto decimo Barclaius intermissa responsione ad rationes meas, pro potestate Pontificis in temporalibus, iterum digreditur ad potestatem regum in Pontifices. Et quoniam ego in lib. II de Pontif. cap. 29 dixeram, discrimen esse agnoscendum inter reges Ethnicos et Christianos, quod illi non subjecissent se per Baptismum Summo Pontifici, ut Christi Vicario, isti autem subjecissent : et ideo probabiliter dici potuisse, Summos Pontifices olim subjectos fuisse imperatoribus Ethnicis quoad temporalia ; imperatoribus autem Christianis, numquam fuisse de jure subjectos : aggreditur hoc discrimen impugnare, seque demonstraturum pollicetur, Pontifices Summos non minus subjectos esse de jure regibus Christianis, quam Ethnicis quod attinet ad temporalia. Excipit tamen eos Pontifices, qui post adeptam temporalem ditionem in certis provinciis cœperunt esse supremi principes politici, ut sunt reges aliique principes absoluti. Utitur autem hac ratiocinatione : Principes temporales per baptismum subjecerunt se potestati spirituali Summi Pontificis, ut Christi Vicarii : ex hac autem subjectione non sequitur Summum Pontificem, non esse subjectum potestati temporali principum Christianorum ; ergo Bellarminus vitiose argumentatur.

Respondeo : Quod dixeram in loco citato de subjectione temporali Summorum Pontificum ad Ethnicos imperatores, in Recognitione operum meorum ante duos annos edita mutavi : secutus enim fueram auctoritatem Alberti Pighii : sed animadverti postea, rationem ejus sententiæ, non esse satis firmam. Sed nihil ad Barclaium : sive enim Pontifices subjecti fuerint temporali potestati imperatorum Ethnicorum, sive non fuerint, Barclaii ratiocinatio vitiosa est, et Bellarmini argumentum vitio caret. Per hoc enim quod reges per Baptismum potestati spirituali Pontificis se subjecerunt, censentur etiam eidem potestati spirituali regna sua subjecisse, et politicam potestatem ; ut videlicet a Pontifice dirigi, et corrigi vellent, si quo modo circa temporalia a via salutis deflecterent. Vana sunt autem omnia quæ Barclaius subjungit de Constantino imperatore, *Clodoveo*, et Donaldo regibus, qui per baptismum imperio et regnis non exciderunt. Nam neque nos dicimus, reges per baptismum regnis excidere, aut quicquam sui juris amittere ; sed contra potius affirmamus, reges post baptismum felicius, veriusque regnare. Neque enim Christi Vicarius regna filiorum suorum spiritualium affectat, aut jurisdictionem illorum temporalem imminuere, aut perturbare cupit, ut aperte scripsit Innocentius III in capite sæpe citato, Per venerabilem, Qui filii sint legitimi ; sed procedere nititur ut ita regnent in terris, ut regnum cœleste non amittant, et ut regna terrena regno cœlesti famulentur, ut præclare scribit S. Gregorius in lib. II epist. 61.

Subjungit postea Barclaius similitudinem, qua explicari aptissime, et confirmari efficacissime sententiam suam censet, hæc est autem similitudo. « Si quis filius familias patre suo adhuc superstite magistratum publicum gerat : debebit patri parere in iis, quæ ad res domesticas pertinent, et poterit si male se gesserit erga patrem, a patre puniri per exhæredationem, aliasque pœnas ad quæ patria potestas se extendit : non tamen parere tenebitur in iis, quæ ad publicam administrationem pertinent, neque poterit a patre privari magistratu, aliisve pœnis coerceri, quæ a publico magistratu infligi solent. Contra vero pater tenebitur filio magistratum gerenti assurgere, eique parere in rebus publicis, et politicis ; non autem in domesticis : et poterit in patrem animadvertere, atque in eum lege agere, ut in alios homines privatos, si contra publicas leges aliquid forte peccaverit. Sic igitur Pontifex, qui pater est omnium Christianorum, etiam regum, et principum, poterit regibus imperare in iis, quæ ad res domesticas, id est, Ecclesiasticas pertinent, easque punire pœna gravissima exhæredationis, id est, excommunicationis : sed non poterit aliquid eis jubere circa regimen politicum, neque eos regnis privare : contra, reges poterunt Pontifici imperare in iis, quæ spectant ad regimen politicum, non autem in rebus Ecclesiasticis et spiritualibus. »

Respondeo : Jam supra admonui, Barclaium eadem sæpius repetendo librum suum augere, ut ex parvo libello, liber justæ staturæ efficiatur. Hanc enim similitudinem jam antea proposuerat cap. III. eo excepto, quod eo loco Patri adoptivo Pontificem comparaverat, *hoc loco Patri simpliciter com-*

nihil aliud significat, nisi tunc impletum fuisse, quod Dominus prædixerat futurum : quemadmodum Matth. XXVII cum dicitur, impios milites divisisse inter se vestimenta Christi, ut impleretur illud Psalmi : *Diviserunt sibi vestimenta mea.* »

Respondeo : Illud, ut impleretur verbum Domini, aliquando significat solum, illud fuisse prædictum, et postea impletum, ut in loco allegato ab adversario. Aliquando significat id factum esse eo animo eaque intentione, ut obedientia præstaretur Deo, qui voluit per eum id fieri, ut lib. IV Reg. cap. IX, Jehu jussit, Joram regem occisum projici de curru in agrum Jezrael, ut impleretur verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam Prophetam : Tolle, inquit, eum, et projice de curru in terram, juxta verbum Domini. Quod autem locus allatus ex lib. III Reg. cap. II. debeat intelligi hoc secundo modo, probari potest ex voce hebraica ; nam ubi nos habemus in textu latino : Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini; ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo : in hebræo est verbum activæ significationis לְמַלֵּךְ adimplendum, sive ut ipse impleret sermonem Domini. Quare verba textus latini debent sic intelligi, ut impleretur, supple, ab ipso Salomone sermo Domini, etc. Adde, quod ex sententia Barclaii, rex non potest punire Sacerdotem pœna spirituali, neque miscere se in negotiis spiritualibus, sed solum in temporalibus : Salomon autem privavit Abiathar munere sacerdotali, et alium ejus loco substituit ; ergo vel excessit modum potestatis suæ, vel hoc fecit non ut rex, sed ut propheta, et peculiari instinctu Dei, ut nos supra diximus. Denique si hæc lectori non satisfaciunt, dicere possumus, in Scriptura sacra narrari factum Salomonis, sed non definiri, jure ne, an injuria fecerit : quemadmodum etiam in eo loco narratur cædes Adoniæ fratris Salomonis, jussu ejusdem Salomonis patrata, ob id, quod Adonias petierit sibi dari in uxorem Abisag Sunamitidem, quod recte ne, an secus factum fuerit, disputari potest. Itaque non bene colligeret, qui diceret, rex Salomon privavit sacerdotem functione sua, et occidit fratrem suum, quia petierat in uxorem illam puellam, quæ fuerat ancilla patris sui : ergo possunt reges privare functione sua Sacerdotes, aliosque in eorum locum substituere : et possunt fratres suos interficere, si speciosam aliquam puellam, quam rex ipse fortasse amat, sibi dari postulent in uxorem. Iste, inquam, non bene colligeret, quia reges multa sæpe faciunt ex potestate, non ex justitia : et videndum est non tam quid possint, quam quid debeant, sive quid jure possint : non enim verum est, quod imperatori Antonino Caracallæ dictum fuit, Regibus quod libet licet.

Addit Barclaius : « Æque fallitur vir idem doctissimus, cum ait eodem lib. II de Summo Pontif. cap. 29 non mirum esse, si in Testamento veteri summa potestas fuisset temporalis, in novo spiritualis, quia in veteri Testamento promissiones tantum temporales fuerunt, et in novo spirituales, et æternæ. »

Respondeo : Eam ego sententiam ut probabilem posui, propter auctoritatem S. Thomæ in lib. I de Regimine principum, sive auctoris illius libri, quicumque fuerit, et propter non contemnendam rationem ab eodem auctore allatam. Barclaius autem dicit quidem in utroque testamento potestatem regiam, fuisse solum temporalem ; potestatem pontificiam, solum spiritualem, sed nulla vel auctoritate, vel ratione probat. Quare nemo mirari debet si veterem auctorem cum ratione loquentem anteponamus Barclaio, auctori recenti, et sine ratione veteres carpenti.

His expeditis percenset, ac numerat Barclaius ordine privilegia exemptionum, quæ data sunt a regibus, vel imperatoribus ordini ecclesiastico : ex quibus colligit, ecclesiasticos ex se subjectos esse in temporalibus politicæ potestati : nisi enim subjecti essent non egerent privilegiis, neque illa vel quæsivissent, vel etiam oblata accepissent.

Ad hæc breviter respondeo, nos hoc loco non suscepisse disputationem de potestate regum in Ecclesiasticos, sed de potestate Summi Pontificis in temporalibus : neque æquum est de una disputatione ad aliam transire. Quare lectorem remittimus ad ea quæ in Controversiis de exemptione Ecclesiasticorum disputavimus, præsertim in editionibus post annum Domini 15-8, in quibus paulo planius et plenius sententiam nostram explicuimus, quam in editionibus prioribus. Accedit etiam, quod Barclaius infra iterum de hac re, et fusius tractat, capite videlicet trigesimo secundo, et trigesimo tertio, ubi se in materia exemptionis novam doctrinam contra scriptores omnes invenisse gloriatur.

CAPUT XVI.

Refellitur alia digressio Barclaii.

In capite sexto decimo Barclaius intermissa responsione ad rationes meas, pro potestate Pontificis in temporalibus, iterum digreditur ad potestatem regum in Pontifices. Et quoniam ego in lib. II de Pontif. cap. 29 dixeram, discrimen esse agnoscendum inter reges Ethnicos et Christianos, quod illi non subjecissent se per Baptismum Summo Pontifici, ut Christi Vicario, isti autem subjecissent : et ideo probabiliter dici potuisse, Summos Pontifices olim subjectos fuisse imperatoribus Ethnicis quoad temporalia ; imperatoribus autem Christianis, numquam fuisse de jure subjectos : aggreditur hoc discrimen impugnare, seque demonstraturum pollicetur, Pontifices Summos non minus subjectos esse de jure regibus Christianis, quam Ethnicis quod attinet ad temporalia. Excipit tamen eos Pontifices, qui post adeptam temporalem ditionem in certis provinciis cœperunt esse supremi principes politici, ut sunt reges aliique principes absoluti. Utitur autem hac ratiocinatione : Principes temporales per baptismum subjecerunt se potestati spirituali Summi Pontificis, ut Christi Vicarii : ex hac autem subjectione non sequitur Summum Pontificem, non esse subjectum potestati temporali principum Christianorum ; ergo Bellarminus vitiose argumentatur.

Respondeo : Quod dixeram in loco citato de subjectione temporali Summorum Pontificum ad Ethnicos imperatores, in Recognitione operum meorum ante duos annos edita mutavi : secutus enim fueram auctoritatem Alberti Pighii : sed animadverti postea, rationem ejus sententiæ, non esse satis firmam. Sed nihil ad Barclaium : sive enim Pontifices subjecti fuerint temporali potestati imperatorum Ethnicorum, sive non fuerint, Barclaii ratiocinatio vitiosa est, et Bellarmini argumentum vitio caret. Per hoc enim quod reges per Baptismum potestati spirituali Pontificis se subjecerunt, censentur etiam eidem potestati spirituali regna sua subjecisse, et politicam potestatem ; ut videlicet a Pontifice dirigi, et corrigi vellent, si quo modo circa temporalia a via salutis deflecterent. Vana sunt autem omnia quæ Barclaius subjungit de Constantino imperatore, *Clodoveo*, et Donaldo regibus, qui per baptismum imperio et regnis non exciderunt. Nam neque nos dicimus, reges per baptismum regnis excidere, aut quicquam sui juris amittere ; sed contra potius affirmamus, reges post baptismum felicius, veriusque regnare. Neque enim Christi Vicarius regna filiorum suorum spiritualium affectat, aut jurisdictionem illorum temporalem imminuere, aut perturbare cupit, ut aperte scripsit Innocentius III in capite sæpe citato, Per venerabilem, Qui filii sint legitimi ; sed procedere nititur ut ita regnent in terris, ut regnum cœleste non amittant, et ut regna terrena regno cœlesti famulentur, ut præclare scribit S. Gregorius in lib. II epist. 61.

Subjungit postea Barclaius similitudinem, qua explicari aptissime, et confirmari efficacissime sententiam suam censet, hæc est autem similitudo. « Si quis filius familias patre suo adhuc superstite magistratum publicum gerat : debebit patri parere in iis, quæ ad res domesticas pertinent, et poterit si male se gesserit erga patrem, a patre puniri per exhæredationem, aliasque pœnas ad quæ patria potestas se extendit : non tamen parere tenebitur in iis, quæ ad publicam administrationem pertinent, neque poterit a patre privari magistratu, aliisve pœnis coerceri, quæ a publico magistratu infligi solent. Contra vero pater tenebitur filio magistratum gerenti assurgere, eique parere in rebus publicis, et politicis ; non autem in domesticis : et poterit in patrem animadvertere, atque in eum lege agere, ut in alios homines privatos, si contra publicas leges aliquid forte peccaverit. Sic igitur Pontifex, qui pater est omnium Christianorum, etiam regum, et principum, poterit regibus imperare in iis, quæ ad res domesticas, id est, Ecclesiasticas pertinent, easque punire pœna gravissima exhæredationis, id est, excommunicationis : sed non poterit aliquid eis jubere circa regimen politicum, neque eos regnis privare : contra, reges poterunt Pontifici imperare in iis, quæ spectant ad regimen politicum, non autem in rebus Ecclesiasticis et spiritualibus. »

Respondeo : Jam supra admonui, Barclaium eadem sæpius repetendo librum suum augere, ut ex parvo libello, liber justæ staturæ efficiatur. Hanc enim similitudinem jam antea proposuerat cap. III. eo excepto, quod eo loco Patri adoptivo Pontificem comparaverat, *hoc loco Patri simpliciter com-*

parat : sed quod attinet ad rem præsentem, eadem similitudo est. Atque ut cap. III. admonuimus, similitudo illa tam est inepta, et puerilis, ut mirum sit, Barclaius ipsum non animadvertisse vitia similitudinis a se allatæ. Nam potestas publici magistratus major est potestate patria civium privatorum, et potest eam dirigere, et corrigere, et si justitia postulet, potest patrem patria potestate privare ; contra vero, pater, cum civis privatus sit, non potest magistratum publicum dirigere, vel corrigere, multo minus illum potestate privare. Potestas autem Summi Pontificis, patria quidem potestas est ; sed haud similis potestati patriæ civium privatorum ; sed potestati Dei, cujus Pontifex vices gerit in terris ; proinde potestas est supernaturalis, spiritualis, publica, et omni potestate politica, atque humana longe sublimior. Itaque duo ut in hac similitudine peccata Barclaii : unum quod potestatem politicam magistratus, et potestatem civium privatorum pares facit ; cum tamen prior, ut superior, posterior ut inferiori subjiciatur : alterum, quod potestatem Pontificiam similem fecerit potestate patriæ humanæ, et privatæ ; cum sit potestas publica, et divina, qua neque major, neque par in terris inveniri potest. Vide quæ diximus de hac re cap. 3.

Addit postremo Barclaius testimonium Nicolai Cardinalis de Cusa, qui in lib. III. de Concordia Catholica cap. 3, scribit, fuisse in antiqua quadam glossa ad Canonem Hadrianus, dist. 63. « Papam esse Patrem Patricii in spiritualibus, et Patricium esse patrem Papæ in temporalibus, » et cap. 4. scribit, « non esse in manu Romani Pontificis dare cuicumque provinciæ per mundum regem, vel imperatorem, ipsa non consentiente. »

Ad primum testimonium jam supra respondi, glossam illam antiquam merito fuisse antiquatam, et explosam. Ad secundum, respondeo, Pontificem Romanum posse, præsertim in casu hæresis, imperatores, ac reges excommunicare, atque deponere, eorumque subditos ab obedientia liberare : quis autem in locum ipsorum succedere debeat, liberum relinquere illis ad quos de jure pertinet. Itaque non obtrudit imperatores, aut reges pro arbitrio populis invitis, neque jura hæreditariæ successionis, aut electionis tollit ; atque hoc est solum, quod Cardinalis ille requirit.

CAPUT XVII.

Defenditur secunda ratio pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

In capite septimo decimo Barclaius digressionibus expeditis, redit ad examinandas, et refellendas Bellarmini rationes : et quoniam de prima ratione satis multa dicta sunt de cap. 14. aggreditur nunc secundam, quam fideliter transcripsit in hæc verba.

Secunda ratio, inquit, est : Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, et sibi sufficiens in ordine ad finem suum : tales enim sunt omnes Respublicæ bene institutæ : ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum : sed necessaria est ad finem spiritualem potestas utendi, et disponendi de temporalibus rebus ; quia alioquin possent mali principes impune fovere hæreticos, evertere Religionem ; igitur, et hanc potestatem habet. Item potest quælibet respub. quia perfecta, et sibi sufficiens esse debet, imperare alteri reipub. non sibi subjectæ, et eam cogere ad mutandam administrationem, imo etiam deponere ejus principem, et alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab ejus injuriis : ergo multo magis poterit spiritualis respub. imperare temporali reipub. sibi subjectæ, et cogere ad mutandam administrationem, et deponere principes, atque alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.

Hanc rationem satis fideliter allatam ex duplici capite Barclaius reprehendit. Primum enim negat duas esse respublicas in Ecclesia, unam ecclesiasticorum, alteram laicorum, sive, unam spiritualem, alteram temporalem ; unam sacram, alteram politicam : et probat ex prima mea ratione ; in qua dixi, potestatem politicam, et spiritualem esse partes ejusdem reipub. Christianæ, et clericos, et laicos non facere in Ecclesia duas respub. sed unam.

Deinde negat, potestatem disponendi de rebus temporalibus necessariam esse ad finem spiritualem, quod ex eo probat, quod Apostolus Petrus indicat Act. IV. se non habuisse potestatem disponendi de bonis temporalibus Ananiæ, cui dixit, *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum erat in tua potestate ?* »

Ad primum caput facillima responsio est. Respublica enim spiritualis, sive ecclesiastica, et respublica temporalis, sive politica, et duæ sunt, et una : duæ partiales, una totalis : quemadmodum spiritus, et caro simul juncta unum hominem faciunt, imo unus homo sunt, ut sanctus Athanasius in Symbolo fidei loquitur ; et colligitur ex 7. cap. Geneseos, ubi legimus, *Formavit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem ;* et tamen ita distinctæ sunt potentiis, et legibus, et motibus, ut Apostolus ad Rom. VII. dicat, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ :* et ad Gal. XVII, *Caro concupiscit adversus spiritum ; spiritus autem adversus carnem ;* et quod magis est admirandum, II Corinth. IV. vocatur spiritus, homo interior, et caro homo exterior, cum dicitur, *Licet is, qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem*, et Rom. XVI, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem* (2). Itaque spiritus, et caro sunt unus homo, et duo homines : neque Spiritus sanctus, qui utrumque dicit, sibi ipse contradicit : quare nec Bellarminus secum pugnat, cum rempublicam ecclesiasticam, et politicam in Ecclesia nunc considerat ; ut partes unius reipublicæ Christianæ, nunc ut duas respublicas inter se distinctas, nam simillimam esse rempublicam ecclesiasticam spiritui, et politicam carni, non Bellarminus solus, aut primus docuit ; sed ante eum Thomas Valdensis, et ante Valdensem S. Thomas, et ante S. Thomam, Alexander Alensis, et ante Alensem, Hugo de S. Victore, et ante Hugonem, S. Gregorius Nazianzenus, ut supra non semel admonuimus.

Ad secundum caput respondeo : Verba S. Petri ad Ananiam, non significare, non fuisse in Apostolorum Principe potestatem disponendi de rebus temporalibus Ananiæ, si ea necessaria fuissent ad finem spiritualem : sed indicare solum, non usum fuisse S. Petrum ea potestate, neque uti voluisse, cum necessitas nulla esset ; et certe si argumentum Barclaii aliquid valeret, efficeret etiam, nullum regem posse disponere de bonis temporalibus subditorum suorum, in casu quo necessaria essent ad rempublicam conservandam. Omnis enim rex dicere potest subditis suis : Ager tuus nonne tibi manebat, et venumdatus in tua erat potestate ? quis te illum Reipub. donare coegit ? et si donasse integrum profiteris, cur parte retenta integrum te donasse mentiris ? Itaque quemadmodum jus, quod habent reges disponendi de rebus temporalibus civium, non est, ut pro arbitrio spolient cives domino rerum suarum ; sed ut possint cives cogere ad bona sua exponenda pro communi bono conservando : sic etiam potestas Apostoli Petri in bona temporalia Christianorum non erat (ut Barclaius dicere nos fingit) ut posset Apostolus sine ulla causa privare dominio rerum suarum omnes Christianos, neque eis aliquid proprium relinquere : sed tantum ut posset providere, ne Christiani bonis temporalibus abuterentur contra legem Dei ; et contra, ut eis recte uterentur ad vitam æternam consequendam. Habuisse autem Apostolos potestatem aliquam disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia, vel ex eo constat, quod statuerunt, ut populi Christiani prædicatores Evangelii ex facultatibus suis alerent, idque juxta ordinationem Domini, ut patet ex Apostolo in priore ad Corinth. cap. IX.

« At, inquit Barclaius, primis trecentis annis non fuit in Ecclesia potestas disponendi de rebus temporalibus Christianorum, invitis Dominis ; ergo vel respublica Christiana tunc fuit imperfecta, vel non est necessaria ista potestas ad finem spiritualem consequendum. » Atque hic multa verba Barclaius frustra profundit, ut ostendat, ad providentiam Dei pertinuisse, ut Ecclesia illa prima instructa esset omnibus iis rebus, quæ ad ejus conservationem necessaria essent.

Responde : Ecclesia illa prima instructa fuit omni potestate, atque omnibus præsidiis, quæ ad perfectam rempublicam constituendam necessaria erant : primis autem trecentis annis non fuerunt in ecclesia multi principes politici : fuerunt tamen aliqui, ut Philippus imperator, et rex Lucius, ac rex Donaldus. Sed fingamus, nullos fuisse : non ideo defuit Ecclesiæ potestas disponendi de bonis temporalibus principum, et dirigendi potestatem eorum politicam, quando illi Ecclesiæ membra, vel filii effici vellent. Præterea, ut paulo ante dixi, in ipso principio Ecclesiæ, quamquam nulli fuerint principes Christiani, Apo-

(1) Act. V, 4. — (2) Gen. II, 7 ; Rom. VII, 13 ; Gal. V, 17 ; II Cor. IV, 16 ; Rom. VII, 22.

stolis ipsis Ecclesiam regentibus; fuerunt tamen multi homines divites, de quorum divitiis Apostoli disposuerunt, statuentes ut ex iis ministros Evangelii sustentarent.

Adducit postea Barclaius verba S. Bernardi, ex lib. IV. de Consider. cap. 3. « Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris : absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum, si amas me, pasce oves meas ; in his successisti non Petro, sed Constantino. » Hæc Bernardus : quibus subjungit Barclaius : « Quamvis itaque potestas temporalis de qua nobis sermo hominibus videri potuit Ecclesiæ necessaria; Deo tamen neque necesaria, neque utilis visa est. »

Respondeo : Posset hoc loco Barclaio dici quod in libro Job cap. 38. Deus ipse dicit : *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* S. Bernardus scribit, Apostolum Petrum pauperem fuisse divitiarum hujus mundi, et potuisse sine auro, et argento proprio, sine equo albo, et sine satellitibus implere salutare mandatum pascendi oves : non tamen S. Bernardus dicit, non fuisse in Apostolo Petro potestatem disponendi de temporalibus bonis Christianorum, et de ipsis regnis, et imperiis, si necessitas spiritualis id requireret; imo contrarium dicit, cum Pontifici, qua Pontifex est, et Christi Vicarius, ac Petri successor, applicat illa verba Hierem. I. *Ecce constitui te super gentes, et super regna, ut evellas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (1) : non enim pugnat paupertas propria cum potestate disponendi de divitiis, et judicandi reges, et principes terræ. Sic enim Prælati ordinum religiosorum, cum sint ipsi voto paupertatis obstricti, potestatem habent de opibus amplissimis sui ordinis disponendi. Et apud veteres Romanos multi cives inopes, ut Fabricius, Curius, Cincinnatus, et alii consules, vel Dictatores effecti, disponebant de regnis, et regum opibus, cum ipsi tamen in pristina sua egestate remanerent. Ergo non debuit Barclaius divitias cum potestate confundere; quasi non possit idem homo et pauper esse pecuniis, et dives potestate. Deinde S. Bernardus dicit, Pontificem in divitiis, et temporali principatu non successisse Petro, sed Constantino : quid inde colligit Barclaius? potuisse Pontificem sine temporali principatu fungi munere Apostolico. Quid tum? non enim quæstio nostra est de principatu temporali Summi Pontificis, sed de potestate spirituali, et Apostolica, quam nos dicimus extendi ad disponendum de rebus temporalibus, et de ipsis regnis, et imperiis in ordine ad finem spiritualem. Barclaius autem ut hoc refellat, disputationem transfert ad principatum temporalem, quo Apostolus actu caruit, ut omnia confundendo, et permisceado aliquid dixisse videatur. Denique Barclaius, quasi raptus ad tertium cœlum in consilio Dei fuerit, absolute pronunciat, Deo neque necessariam, neque utilem Ecclesiæ visam esse potestatem temporalem, de qua nobis sermo. Ego vero a Barclaio quæro, de qua potestate temporali loqueris? Nam si de potestate illa loqueris, quæ in se spiritualis cum sit, extenditur ad temporalia, non obscure Deo falsum imponis. Illam enim potestatem Deus ecclesiastico Principi necessariam esse duxit, idcoque eam illi tribuit, cum ait : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Sic enim ista verba intelligi debere docuerunt Concilia generalia, quæ supra citavimus; quæque verissime dicere poterant, Visum est Spiritui sancto, et nobis. Sin autem loqueris de potestate temporalis principatus, quem Ecclesia nunc possidet, et ante annos octingentos possedit : omnino temere affirmas hanc potestatem Ecclesiæ, neque necessariam, neque utilem Deo esse visam. Nam (ut alia nunc omittam) si Deo visum esset, non esse utilem Ecclesiæ hunc Principatum, certe Summi Pontifices Zacharias, Adrianus, Nicolaus primus, et secundus, Leo tertius, et quartus, et nonus, et alii, qui communi omnium scriptorum sententia optimi, et sanctissimi, et Deo gratissimi fuerunt, eum principatum non retinuissent, et multo minus pro eo conservando decertassent. Utrum autem de judicio divino magis credendum sit tot sanctis Pontificibus, quam uni Barclaio, in dubium certe revocari non potest.

At rursus instat Barclaius, et argumentum in nos retorquet his verbis : omitto quod si ratio illorum bona esset, sequeretur econtrario, rempub. temporalem habere potestatem disponendi de rebus spiritualibus, et deponendi supremum reipublicæ ecclesiasticæ principem, quia debet esse perfecta, et sibi sufficiens in ordine ad finem suum, et habere omnem potestatem necessariam ad finem consequendum. Sed necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de rebus spiritualibus, et deponendi principem Ecclesiasticum, quia alioqui possent mali principes Ecclesiastici turbare statum, et quietem reip. temporalis, et impedire finem civilis gubernationis, ut de facto aliquando nonnulli Summi Pontifices perturbarunt : igitur hanc potestatem habet respublica temporalis. Consequens plane falsum est, et absurdum (nam princeps temporalis quatenus talis est, nullam habet potestatem spiritualem) proinde, et illud quoque falsum est, cui hoc est consequens.

(1) Hierem. I, 10.

Respondeo : Tantum interest inter argumentum quod nos fecimus, et illud quod nunc Barclaius retorquendo facit, quantum distat verum a falso, et bonum a malo : illa enim propositio nostra : Necessaria est ad finem spiritualem potestas disponendi de rebus temporalibus, verissima est, quoniam temporalia ordinantur ad spiritualia, et bona est consecutio, ergo respub. spiritualis potest disponere de temporalibus in ordine ad spiritualia, quoniam qui potest consequi finem, potest etiam ordinare media ad illum finem. At propositio Barclaii : Necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de spiritualibus, falsa est, quoniam spiritualia non ordinantur ad temporalia, et potestas ordinandi spiritualia ad temporalia non est vera potestas, sed abusio potestatis, et perversio ordinis : fieri autem non potest, ut alicui reipub. sit necessaria abusio potestatis, vel ordinis perversio : et cum necessaria non sit ad finem temporalem consequendum potestas disponendi de rebus spiritualibus, non potest bona esse consecutio, ergo respub. temporalis potest disponere de spiritualibus in ordine ad temporalia. Hoc totum facile potest intelligi ex similitudine jam sæpius repetita, spiritus, et carnis in homine : potest enim spiritus disponere de sensibus, et membris corporis in ordine ad vitam æternam, indicendo illis continentiam, abstinentiam, flagella, jejunia, vigilias, labores; et quod maximum est, jubendo carni, ut mortem patiatur pro concessione fidei : non tamen potest caro disponere de intelligentia, et voluntate, neque prohibere actiones orandi, et laudandi Deum, et multo minus potest spiritui jubere, ut mortem spiritualem, atque æternam patiatur, pro quocumque temporali bono : quod si forte spiritus indiscretis laboribus mentis, ut nimis orando, vel meditando lædat corporis sanitatem, peccabit quidem spiritus, sed non ideo poterit caro in spiritum imperium sumere; sed gemendo, et fatiscendo, faciet, ut spiritus remittat aliquid de nimio fervore suo. Sic etiam si forte Princeps spiritualis abutatur potestate sua injuste excommunicando temporalem principem, vel ejus subditos sine justa causa ab obedientia ejus absolvendo, et eo modo perturbet statum reipub. temporalis peccabit princeps spiritualis; sed non poterit tamen princeps temporalis judicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem principem judicare, et multo minus de Sede sua spirituali deponere. Animadvertit Barclaius infirmitatem argumenti sui; propterea revertitur ad priorem solutionem, dicens :

« Sed, ut dici solet, dare absurdum non est solvere argumentum. Respondeo igitur aliter ad priorem partem hujus secundæ rationis, non esse scilicet hic duas resp. ut ille retur, sed unam tantum, in qua sunt duæ potestates, sive duo magistratus Ecclesiasticus, et politicus, quorum uterque habet ea, quibus necessario indiget ad suum finem obtinendum, alter nempe spiritualem, alter temporalem jurisdictionem : et neque hunc jurisdictionem illi potestati, neque illam huic esse necessariam, alioqui fatendum esset, utramque potestatem mediis necessariis fuisse destitutam tunc, cum separatæ, ut olim fuerunt. »

Respondeo : Hæc non est alia solutio, sed prior repetita; quam solutionem refutavi paulo ante, cum ostendi, rempub. ecclesiasticam, et politicam, posse dici duas, et unam; quoniam distinctæ sunt, et separatæ inveniri possunt; tamen cum in unum corpus Ecclesiæ conveniunt, ita una subordinatur alteri, ut sint duæ partiales, et una totalis. Neque sequitur, ut quo tempore separatæ erant initio nascentis Ecclesiæ, mediis necessariis fuerint destitutæ : nam resp. politica non poterat aliquid detrimenti timere a potestate spirituali, cum non esset capax censurarum ecclesiasticarum, quæ in solos Christianos vim habent : et resp. spiritualis habebat potestatem disponendi actu de rebus temporalibus eorum, qui accessuri erant. Denique non est verum, potestatem spiritualem, et

politicam esse similes duobus magistratibus, quorum neuter indiget jurisdictione alterius. Nam duo magistratus pendent a rege, cujus potestas supereminet utrique magistratui, et potest operam dare, ut neuter alterum impediat : at spiritualis, et politica potestas, non habent unam tertiam potestatem in Ecclesia, cui subordinentur, et quæ utramque in officio contineat. Quare necesse est, ut una subordinetur alteri, inferior videlicet superiori, temporalis spirituali. Atque ex hac responsione soluta manent omnia, quæ usque ad finem capitis Barclaius disputat de officio Cancellarii et Comestabuli amplissimorum magistratuum, quibus rex solus imperat. Quod autem Barclaius addit, Principem spiritualem, et politicum uni Deo subesse, quemadmodum Cancellarius, et Comestabulus subsunt regi, salva fide Catholica admitti non potest. Ecclesia siquidem, quæ regnum Christi est, non solum Christum pro domino, et rege suo agnoscit, sed etiam ex Scripturis sanctis, et traditione Apostolica, et declaratione generalium Conciliorum, et communi Patrum, et Doctorum consensu novit, unicum esse in terris Christi Vicarium generalem, qui caput sit visibile visibilis Ecclesiæ. Hunc autem Christi Vicarium, Romanum esse Pontificem in toto suo libro Barclaius admittit; proinde (si Catholicus dici velit) admittere etiam debet, Pontificem, et regem, non esse duos magistratus immediate sub Christo : sed regem Christo et Pontifici, Pontificem soli Christo subjectum esse debere.

CAPUT XVIII.

Defenditur secunda pars rationis secundæ pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

In cap. 18. Barclaius refutare nititur secundam partem secundæ rationis, quæ initio capitis superioris proposita fuit. Argumenti summa hæc est : Potest una respublica, si ab alia republica injuriam accipiat, et per ejus malam administrationem perturbetur, ac vexetur ; armis cogere rempub. illam quamvis alia non sibi subjectam, ut mutet formam administrationis suæ ; et, si opus sit, potest ejus principem deponere : igitur majori ratione poterit respublica spiritualis, si a temporali injuriam accipiat, atque ab ea perturbetur, et vexetur, imperare reipublicæ temporali sibi subjectæ, ut mutet formam administrationis, et, si opus sit, poterit etiam principem temporalem deponere.

Ad hoc argumentum Barclaius respondet, quod jam ante responderat, non esse duas respublicas, spiritualem, et temporalem, sed unam cum duabus potestatibus, quarum neutra pendet ab altera. Sed quoniam hanc solutionem videbat non esse solidam : admittit cœtum Ecclesiasticorum, quorum princeps est Papa, et cœtum laicorum, quorum princeps est rex, posse dici duas respublicas intra ejusdem Ecclesiæ sinum constitutas : et hoc admisso respondet, priorem rempublicam, id est, Ecclesiasticorum, non habere arma nisi spiritualia; posteriorem, laicorum, non habere arma nisi corporalia, et ideo non esse similes duabus rebuspublicis, quæ armis corporalibus se defendunt, et una alteram cogit, et subjicit.

Sed hæc solutio non est priore solidior, quamvis enim arma reipublicæ spiritualis, quibus ipsa per se utitur, sint spiritualia ; tamen arma corporalia sunt etiam in ejus potestate, quia gladius est sub gladio ; et potest Ecclesia invocare brachium sæculare, et per illud uti gladio corporali. Sed præterea arma ipsa spiritualia possunt cogere remp. temporalem, et ejus principem, quia potest Princeps spiritualis excommunicare principem temporalem, et ejus subditos a subjectione liberare, et ipsis sub excommunicationis pœna mandare, ut principem excommunicatum pro principe non agnoscant, sed alium sibi eligant, vel legitimo successori adhæreant.

Addit postremo Barclaius : « Quid multis ? licet illis suam comparationem, conclusionemque concedamus, nihil inde effici potest, nisi Papam habere talem potestatem disponendi de rebus temporalibus Christianorum, et eorum principes deponendi, qualem vel rex Franciæ in Anglos, Hispanos, aliosve populos vicinos sibi injurios, vel horum singuli, in res, regesque Francorum ipsis infestos habere dignoscuntur : quæ qualis, quantaque sit, ferro tantum cerni potest. »

Respondeo : Comparatio, et ratiocinatio, qua nos usi sumus in comprobanda Pontificis potestate, non procedit a simili, sed a majori, hoc enim est quod diximus, si potest ratione solius injuriæ una respublica, aliam non sibi subjectam cogere, et ejus

principem deponere : quanto magis poterit respublica spiritualis cogere temporalem sibi subjectam, ejusque principem deponere, si ab illa tale detrimentum accipiat, ut non possit alia ratione sibi prospicere, nisi principem illum removendo, atque alium substituendo ? Itaque non est similis potestas, quam habet resp. spiritualis in temporalem, potestati Francorum in Anglos, vel Anglorum in Francos : sed potestati, quam habet spiritus in carnem sibi conjunctam, vel caput in membra sibi adhærentia.

CAPUT XIX.

De sententia S. Bernardi circa potestatem Pontificis Maximi in temporalibus.

In cap. 19. Barclaius respondere nititur ad testimonium S. Bernardi ex lib. IV. de Consid. cap. 4. quod testimonium ad confirmandam rationem meam secundam ego adduxeram. Id quoniam S. Bernardus loco notato scribit, « gladium materialem exerendum esse manu militis, ad jussum imperatoris, sed ad nutum Summi Sacerdotis » : Barclaius affirmat, per nutum non debere intelligi imperium, vel potestatem, sed assensum : felicius enim bella geruntur, cum ad potestatem regum accedit assensus Sacerdotum, quorum est judicare, an bellum sit justum, vel injustum. Probat autem per nutum non intelligi potestatem, quoniam si forte imperator Pontifice dissentiente bellum gerere velit, sanctus Bernardus non tribuit Pontifici potestatem ullam in imperatorem, immo aperte docet, nullam ei potestatem competere, cum dicat materialem gladium ab Ecclesia exerceri non posse, sed tantum manu militis, et jussu imperatoris : et confirmat hanc sententiam suam testimonio Gratiani, 23. qu. 8. in principio, qui scribit, « Pontificibus interdictum esse gladium materialem, et solum spiritualem esse concessum. »

Respondeo : Vox illa, nutus, significare potest assensum, præsertim quando alicui petenti aliquid, annuendo respondemus : sed quando nutus præcedit alias causas, imperium significare solet, vel potius imperium ita potens, et efficax, ut sine alio expresso mandato solus nutus ad rem efficiendam sufficiat : sic accipitur Genes. XLII. ubi dicitur : *Et Joseph erat Princeps in terra Ægypti, et ad nutum ejus frumenta populis vendebantur*, et clarius lib. II Reg. cap. XVII. *Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel utile ;* ubi ridiculum esset, per nutum intelligere assensum, cum Scriptura loquatur de nutu Dei, qui solus potest corda regum vertere quocumque voluerit, et II Machab. VIII. eadem Scriptura de Deo dicit : *Potest universum mundum uno nutu delere*, et Job XXVI. *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus* (1) : cui simile est illud poetæ :

Annuit et totum nutu tremefecit Olympum.

Quod autem hoc loco per notum intelligat S. Bernardus imperium, et non simplicem assensum, perspicuum est ex eo quod primo loco inter causas efficientes ponit nutum Pontificis, deinde jussum imperatoris, ultimo executionem militis ; proinde quemadmodum miles ex sententia S. Bernardi exequitur jussum imperatoris, ita imperator movetur ad jubendum militi ex nutu, id est, jussu Pontificis. Deinde si nutus ille Pontificis esset simplex assensus, non diceret S. Bernardus utrumque gladium esse Pontificis ; sed unum esse Pontificis, alterum imperatoris. Cum ergo dicit : « Uterque tuus est ; sed non uterque tua manu exerendus », manifeste docet utrumque esse in potestate Pontificis ; sed unum ab ipso immediate, alterum mediate, id est, per alium ; sed nutu sive jussu ipsius exerendum.

« Sed quid si imperator (inquit Barclaius) nolit ad nutum Sacerdotis gladium stringere ? immo quid si plane contra nutum Sacerdotis strinxerit ? numquid aliquam S. Bernardus hoc casu potestatem temporalem sacerdoti tribuit in imperatorem ? »

Respondeo : Si nolit imperator ad nutum sacerdotis gladium stringere, vel si contra nutum ejus strinxerit, et res sit ad bonum spirituale necessaria, coget illum Pontifex gladio spirituali, id est, censuris ecclesiasticis gladium materialem stringere, aut in vaginam recondere : et si censuris non movebitur, et Ecclesiæ necessitas id requirat, liberabit subditos ejus ab obedientia, eique imperium abrogabit. Ita ostendet gladium esse sub gladio, et utrumque gladium ad

(1) Gen. XLII, 6 ; II Reg. XVII, 14 ; II Machab. VIII, 18 ; Job. XXVI, 11.

potestatem Ecclesiæ pertinere, quamvis non eodem modo.

« At », inquit Barclaius, « sanctus Bernardus nullam temporalem potestatem Pontifici competere posse docet, cum dicat, materialem gladium (quo verbo summa potestas temporalis significatur) ab Ecclesia exerceri non posse; sed tantum manu militis, et jussu imperatoris : quod idem apertius tradit Gratianus Bernardi fere coætaneus, 23, quæst. 8, in principio. »

Respondeo : S. Bernardus solum docet, gladium materialem non esse exercendum manu sacerdotali, quod nos libenter fatemur; sed non negat, immo potius affirmat, gladium materialem subesse gladio spirituali, et nutu Pontificis exercendum, vel in vaginam esse condendum. Gratianus quoque nihil aliud docet, nisi non licere clericis materiali gladio uti, et homines interficere, quod multis canonibus Pontificum et conciliorum confirmat, quæ vera sunt; sed non potest inde colligi, non habere Pontificem potestatem ullam in temporalibus.

Adducit postea Barclaius verba sancti Ambrosii ex lib. x. Commentariorum in Lucam, ubi hæc legunlur : « Lex ferire non vetat : et ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicit Christus, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. » Ex quo loco colligit Barclaius, materialem gladium Sacerdotibus, usque ad Evangelium fuisse concessum.

Respondeo : Non negamus, ut paulo ante diximus, sacerdotibus post Evangelium, non licere propria manu gladium materialem stringere : nisi forte in defensionem propriam, aut ob aliam causam dispensante Pontifice : usus enim ordinarius materialis gladii militum est, non sacerdotum. Nec tamen eo loco sanctus Ambrosius de solis sacerdotibus, sed de Christianis omnibus loquitur : et ideo Erasmus hoc loco abusus est ad probandum prohibitum esse bellum Christianis. Cæterum S. Ambrosius, neque Erasmo, neque Barclaio favet : docet enim in lege fuisse licitam non solum defensionem, sed etiam vindictam, in Evangelio defensionem licitam esse; non vindictam : hæc enim sunt ejus verba : « O Domine, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria, et videar potuisse vindicari; sed noluisse. Lex tamen referire » (sic enim legendum est, non ferire, ut Barclaius falso citavit) « non vetat; et ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est dicit, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio ». Hæc ille, qui non defensionem in Evangelio prohiberi dicit, sed vindictam : et referire, non ferire vetitum. Cum autem S. Ambrosius dicit : « Lex referire non vetat », respicere videtur ad illa verba Domini Matth. v. *Audistis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente; ego autem dico vobis non resistere malo, etc.* (1). Ubi non significatur, licitam fuisse vindictam antiquis auctoritate propria; sed auctoritate magistratus publici, eamque non vindictæ cupiditate; sed amore justitiæ : quod idem Christianis licet. Sed Magister bonus hortatur suos ad vitæ perfectionem, ut Ambrosius dicit : « Quæ perfectio in eo consistit, ut radices contentionum extirpent, et supportantes invicem in charitate non dent occasiones gravioribus malis, ut vulneribus, et cædibus, ob quæ necesse sit, ut publici magistratus vindictam de malefactoribus sumant. »

Addit rursus Barclaius, verba Evangelii de duobus gladiis in sensu litterali non significare duas potestates, Ecclesiasticam et politicam : sed ideo nos non facimus argumentum ex verbis Evangelii; sed ex verbis S. Bernardi, et Bonifacii VIII, qui mystice Evangelii verba exponentes per duos gladios duas potestates intelligi docuerunt. S. enim Bernardus, quem Bonifacius secutus est, duo loca Evangelii simul junxit, unum ex cap. XVIII Joannis : *Mitte gladium tuum in vaginam* : alterum ex cap. XXII Lucæ : *Ecce duo gladii hic* : et quidem prior locus ad litteram significat, noluisse Christum a Petro defendi gladio materiali, et impediri passionem suam : ideo enim subjunxit : *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Posterior locus dependet a verbis superioribus, ubi Dominus dixerat : *Qui non habet, vendat tunicam, et emat gladium*, existimantes enim Discipuli, Dominum per ea verba jussisse gladios parari, dixerunt : *Ecce duo gladii hic.* Dominus autem ait : *Satis est;* vel ironice : ut exponit Theophilactus, quasi diceret, Quid sunt duo gladii adversus co-

(1) Matth. V, 38, 39.

hortem militum armatam? vel ut alii volunt, videns eos non intellexisse, imposuit eis silentium dicens : *Satis est*, satis loquuti estis, tacete de hac re. Vere enim cum dixit, Qui non habet gladium, vendat tunicam, et emat eum, non jussit, ut emerent gladios; sed significavit ad eas angustias eos esse venturos, in quibus sunt, qui existimant, bonum esse vendere tunicam, et emere gladium. Denique cum Apostoli non emerint gladios venditis tunicis, signum est, hoc non fuisse illis a Christo mandatum. Sed quidquid sit de expositione hujus obscurissimi loci, S. Bernardus, et Pontifex Bonifacius mystice, sed apposite, et eleganter, quæ dicuntur de duobus gladiis ad duas potestates, Ecclesiasticam et politicam, transtulerunt.

Rursus Barclaius objicit, admissa hac mystica expositione : « Non potest colligi gladium esse sub gladio, vel utrumque in manu Pontificis esse. S. enim Bernardus hoc non dicit; nec potuit sine calumnia dicere. »

Respondeo : Gladium esse sub gladio, Bonifacius aperte dicit : Sanctus autem Bernardus idem dicit. Sed aliis verbis : nam cum affirmat utrumque gladium ad Pontificem pertinere, immo utrumque ipsius esse, et unum manu ejus, alterum nutu ejus evaginandum, satis ostendit, unum esse sub alio, materialem videlicet sub spirituali, et utrumque esse in manu, id est, in potestate Pontificis.

Ad extremum Barclaius gloriatur se subtiliter aliquid in verbis S. Bernardi notasse, quod nescit an ullus alius antea animadverterit; cur videlicet S. Bernardus dixerit, Tuo forsitan nutu, et si non tua manu evaginandus : ac paulo post eadem repetens omiserit illud, forsitan. Scribit ergo Barclaius, « distinguendum esse inter Pontificem, ut Pontifex est, et ut talis homo est. Pontifex enim, ut Pontifex, non absolute, sed forsitan annuit, ut gladius evaginetur, id est, tunc solum, cum id Ecclesiæ utile est, cum sano, et sobrio consilio id judicaverit expedire. Pontifex autem, ut talis homo est, inimicitias cum alio gerens, vel ambitiosam dominandi cupiditatem explere cupiens, absolute gladium evaginari mandat. »

Sed istam subtilitatem demonstravit Barclaio non acumen ingenii, neque studium Scripturarum; sed odium in Pontifices; certe ea subtilitas S. Bernardo numquam venisset in mentem : neque enim, forsitan, opponitur, absolute; neque accipi potest pro, aliquando, vel pro, quando vere expedit; nisi apud eum, qui perversus ipse cum sit, vocabula quoque ipsa pervertit. Cur ergo initio dixit, forsitan, postea, repetens omisit? responsio est in promptu : quia initio non posuerat nisi duo quædam, videlicet nutum, et executionem : et quoniam dubitavit, an deceret Pontificem annuere militi, ut gladium vibraret : ideo dixit : Tuo forsitan nutu, non tua manu evaginandus : postea vero tria posuit, nutum Pontificis, jussum imperatoris et executionem militis, et quia dubium esse non poterat, ut ejus jussu miles gladio uteretur, omisit forsitan, et substituit sane : ac de sententia S. Bernardi satis multa dicta sunt.

CAPUT XX.

Defenditur tertia ratio Bellarmini.

In capite vigesimo aggreditur Barclaius tertiam rationem principalem Bellarmini, pro confirmanda potestate summi Pontificis in temporalibus, excutere, atque refellere. Ratio hæc erat : Non licet Christianis tolerare regem infidelem, aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim, vel infidelitatem : at judicare, an rex pertrahat ad hæresim, necne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura Religionis : ergo Pontificis est judicare, regem esse deponendum, vel non deponendum. Hujus rationis propositionem tribus argumentis confirmavi; sed Barclaius eamdem refellit his verbis :

« Quod non liceat Christianis tolerare regem hæreticum, vel infidelem, id adeo falsum est, quam quod falsissimum; alioqui damnanda tota antiquitas, quæ reges hæreticos, et infideles Ecclesiam Dei destruere conantes submisse pertulit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, hoc est, non quod deficerentur viribus ad impios principes exigendos; sed quod id sibi per Dei legem non licere judicarent. »

Respondeo : Ubi veritas quæritur inter cordatos, et serios disputatores, non vincit ille, qui majore exaggeratione sententiam suam affirmat; sed qui fortioribus argumentis eam confirmat. Barclaius dicit quidem : Propositionem argumenti mei, tam esse falsam, quam id quod falsissimum est; sed quod dicit non probat nisi ex eo, quod antiquitas

tota reges hæreticos, vel infideles, Ecclesiam destruere conantes pertulit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. At hoc ipsum probare debuisset, videlicet reges hæreticos, vel infideles Ecclesiam destruere conantes non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam toleratos ab antiquitate fuisse. Nos enim contra dicimus, eos fuisse tolerat.s propterea, quod ad eos dejiciendos vires Ecclesiæ non suppetebant: potuisse autem Ecclesiam, si vires adfuissent, immo etiam debuisse regibus illis imperium super fideles abrogare, nisi causa aliqua esset, cur hæc abrogatio in tempus commodius differenda videretur, probamus hoc argumento, quod est prima confirmatio propositionis meæ. Prohibiti sunt Judæi constituere super se regem non Judæum Deuteron. XVII, et quia lex illa moralis est, eodem jure prohibentur Christiani constituere super se regem non Christianum, ne ab illo pertrahantur ad infidelitatem : ad ejusdem periculi, et damni est tolerare super se regem hæreticum, vel infidelem conantem avertere populum a fide : ergo, si vires adsint, tenentur eum non tolerare, sed deponere.

Ad hoc argumentum ita respondet Barclaius, ut admissa propositione, et assumptione, quas negare non potuit, solam neget consecutionem : dicit enim non recte colligi ex paritate periculi, et damni ita jus esse populo regem dejicere, quemadmodum jus illi fuit eum non amittere. Id autem non recte colligi probat tribus argumentis ductis a simili : Nam qui plagas accipit, aut fortunis spoliatur, idem periculum, et damnum accipit, sive id a latrone per vim, sive a Judice per iniquam sententiam patiatur : et tamen latroni armis resistere potest, judici non potest. Rursus, ejusdem periculi, et damni est in navim cogitato conscendere, cujus carinam scis esse quassatam, et illud intrare, quod putas esse bonum, cum revera rimosum, ac dissolutum sit : et tamen non est ejusdem peccati ex industria, et ex ignoratione periculo naufragii se committere. Denique ejusdem periculi, et damni est, uxorem ducere valde morosam, et rixosam, sive id consulto propter fortunas, aut formam ; sive ex errore, et imprudentia fiat : et tamen neque par peccatum est, ejusmodi matrimonio studiose vel ignoranter implicari : neque licitum est uxorem repudiare, etiam si licitum fuit eam initio non ducere. »

Ad hæc argumenta respondeo, ea non a simili, sed a dissimili duci, ac per hoc non impedire, quo minus consecutio rationis meæ optima sit. Primum argumentum non ducitur a simili ; quoniam populus ad quem pertinet regem eligere, non solum potest, sed debet regem eligere de fratibus suis, ut lex jubet, id est, Christianum, atque Catholicum, et gravissime peccat, si secus fecerit : qui autem incidit in latrones, potest, si velit, vim vi repellere; sed potest etiam injuriam illam æquo animo tolerare, et magis apud Deum meretur, si malit injuste a latrone occidi, quam juste se defendendo latronem occidere.

Alterum exemplum de ascendente navim rimosam, cum periculo naufragii faciendi, nullam habet cum re, de qua nos agimus, similitudinem : non enim ignoramus non esse idem peccatum, si quis ex industria, vel ex imprudentia eidem periculo se exponat : sed quod dicimus est, idem esse peccatum consulto eligere regem hæreticum, et consulto tolerare regem hæreticum, si is conetur populum a veritate fidei avocare, et ad eum removendum vires non desint : nam sicut numquam licet adire periculum salutis æternæ amittendæ, ita numquam licet perseverare in simili periculo, modo possit illud vitari : *qui enim amat periculum, in illo peribit*, Eccles. III. Tertium exemplum de uxore rixosa, non est etiam multum ad rem, tum quia ut modo diximus, disputamus de eo, qui studiose adit periculum, et studiose in periculo perseverat : adversarius autem ponit exemplum de eo, qui per ignorantiam, aut imprudentiam ducit uxorem rixosam, et de altero, qui sciens, et prudens id facit. Deinde qui ducit uxorem more Christiano, sive prudens, sive imprudens id faciat, non potest post matrimonium consummatum ulla ratione ab eo vinculo solvi : quod enim Deus conjunxit, non potest homo separare : populus autem, qui regem eligit, potest per Pontificiam auctoritatem ab ejus obedientia, et juramento fidelitatis liberari. Itaque si exemplum aptum, et simile per omnia Barclaius a matrimonio ducere velit, accipiat matrimonium fidelis cum infideli : quemadmodum enim non licet fideli uxorem ducere infidelem, quoniam periculum est, ne illum a fide avertat : sic etiam non licet cum uxore infideli perseverare, non solum quia matrimonium illud non est legitimum, sed quia idem est periculum uxorem infidelem ducere, et cum infideli perseverare.

Nam etiam si matrimonium legitimum esset, ut est matrimonium infidelis cum infideli, tamen si alter conjugum convertatur ad fidem, et altera nolit sine injuria Creatoris viro cohabitare, potest matrimonium rite contractum rite dissolvi, ex Apostolo in priore ad Cor., c. VII, et usus Ecclesiæ nunc habet, ut propter ingens periculum fidei, non solum liceat ejusmodi conjugium solvi, sed etiam non liceat viro ad fidem converso cum infideli conjuge cohabitare.

CAPUT XXI.

Defenditur confirmatio rationis tertiæ principalis.

In capite vigesimo primo Barclaius magno studio, nec minore dicendi vi refutare conatur alteram confirmationem rationis meæ tertiæ principalis. Confirmatio hæc erat : Quod si Christiani olim non deposuerunt Neronem, et Diocletianum, et Julianum apostatam, ac Valentem arianum, et similes, id fuit, quia deerant vires temporales Christianis, nam quod alioqui jure potuissent id facere, patet ex Apostolo I Corinth VI, ubi jubet constitui novos judices Christianis temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram judice Christi persecutore. Sicut enim novi judices constitui potuerunt, ita, et novos principes et reges, propter eamdem causam, si vires adfuissent.

Hanc confirmationem multis modis reprehendi posse Barclaius dicit : ac primum reprehendit, quod dixerim defectionem virium in causa fuisse, cur Christiani olim non deposuerint Neronem, Diocletianum, Julianum, et Valentem, ac lectorem remittit ad ea, quæ supra scripsit de hac re cap. 6. 7. et 8.

Nos quoque lectorem remittimus ad ea, quæ scripsimus cap. 6. 7, et 8. Id solum hoc loco admoneo, quod ego hoc loco dixi, dictum antea fuisse a S. Thoma in 2. 2. quæst. 12. art. 2. ad primum. Itaque non me solum, sed S. quoque Thomam Barclaius reprehendit : sed qui legere voluerit loca paulo ante notata, facile judicabit a qua parte stet veritas.

Deinde refellere nititur quod dixit, Apostolum jussisse, ut Christiani constituerent sibi judices Christianos civilium controversiarum ; ex quo deduxi, potuisse eodem modo jubere, ut principes Christianos sibi Christiani populi eligerent, infidelibus et persecutoribus abrogatis, si vires ad id efficiendum præsto fuissent. Dicit autem Barclaius, judices illos de quibus Apostolus loquitur, fuisse meros arbitros, sive judices voluntarios, sine imperio ; ex quorum constitutione nihil jurisdictionis detrahebatur principibus ethnicis, sub quibus tunc Christiani vivebant. Atque ad hunc sensum confirmandum allegat S. Thomam et Nicolaum Liranum in commentario ad hunc locum Apostoli.

Ego vero fateor quidem, non habuisse judices illos Christianos jussu Apostoli constitutos vim coactivam in foro exteriore, et si Christiani vocati fuissent, sive ab ethnicis, sive a Christianis ad tribunalia judicum ethnicorum, debuisse omnino parere : et hoc est solum quod S. Thomas, et Liranus docent : tamen nego, eos fuisse meros arbitros, sive judices voluntarios : Arbitri enim eliguntur a personis litigantibus, neque aliam habent judicandi potestatem, nisi eam, quam litigantes ex pacto inter se inito illis attribuunt. Isti vero constituebantur auctoritate publica multitudinis ; et obligabantur, qui causas civiles habebant, ad istos adire, et prohibebantur ad tribunalia Gentilium accedere. Id ex verbis Apostoli facile probari potest : *Audet*, inquit, *aliquis vestrum negotium habens adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud Sanctos?* Ubi ostendit, non esse bonum adire tribunalia judicum Gentilium, quos iniquos vocat : et sicut loquitur de vero judicio, non de solo arbitrio, cum prohibet judicari apud iniquos ; ita loquitur de vero judicio, cum jubet judicari apud sanctos, id est, Christianos. Addit Apostolus : *An nescitis quia sancti de hoc mundo judicabunt? et si in vobis judicabitur mundus, indignæstis, qui de minimis judicetis? nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?* Ubi demonstrat auctoritatem Ecclesiæ, quæ jure suo potest de sæcularibus rebus judicare, cum sit judicatura cum Christo totum mundum, et ipsos Angelos apostatas in die ultimi judicii et certe Christus, et Ecclesia non judicabunt ut arbitri, sine imperio, et jurisdictione mundum. Sequitur : Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ubi concludit ex dictis, ut quoniam malum est judicari apud iniquos Gentiles, et Ecclesia auctoritatem habet judicandi, communi

consensu constituant aliquos de Ecclesia, qui sint judices ejusmodi sæcularium controversiarum, et non dicit, unusquisque eligat sibi arbitros : sed vos congregati in unum constituite judices. Monet (inquit Card. Cajetanus in hunc locum) ut sapiens aliquis constituatur judex multitudinis fratrum, adjungit, Ad verecundiam vestram dico, sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles. Ubi declarat, quod dixerat, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum : se non dixisse, ut re vera sapientibus relictis, insipientes constituerent ad judicandum : sed ut eos confunderet, qui sic adibant tribunalia infidelium, quasi nullus esset in Ecclesia vir sapiens, qui Judex constitui posset ; cum contra deberent contemptibiles, id est, infimi Christiani aptiores esse ad judicandum, quam supremi et sapientissimi infideles. Jam vero ex hoc principio, quod videlicet Apostolo teste, habeat Ecclesia jus, et auctoritatem constituendi sibi judices ; recte colligunt Theologi, atque in primis S. Thomas in 2. 2. qu. 10. art. 10. habere eamdem Ecclesiam auctoritatem abrogandi Principibus infidelibus imperium super fideles. Neque obstat, quod S. Joannes Chrysostomus hunc locum exponens, mentionem faciat arbitri. Nam neque ipse, neque alius interpres, quod sciam, dicit Apostolum hic loqui de arbitris electis a partibus : sed solum Chrysostomus dicit, non esse necessariam magnam sapientiam arbitro controversiæ, inter fratres. Ubi vocat judicem, arbitrum controversiæ quamvis publicam haberet judicandi potestatem. Quomodo Justinus initio historiæ scribit, arbitria principum pro legibus erant : quamvis enim principes veri judices essent, tamen eorum judicia vocata sunt arbitria, quia non judicabant ex præscripto legum, sed ex naturali suo judicio : sic etiam judices ab Ecclesia constituti in causis civilibus Christianorum, veri judices erant, sed non tenebantur legum civilium apices sequi, ideo a Chrysostomo arbitri dicti sunt.

Sed contradicit Barclaius, atque ait : « Nihil jubet Apostolus eo loco, quod judicum infidelium jurisdictionem, et imperium in Christianos aut tollat, aut minuat, aut et aliquo modo præjudicet. Immo vero nihil contra ejusmodi subjectionem juste jubere potuit, cum sit juris naturalis Dei auctoritate confirmati, ut teste S. Ambrosio, ipsemet Apostolus docet ad Rom. XIII. »

Respondeo : Non præjudicat Apostolus per illam judicum Christianorum constitutionem jurisdictioni, et imperio Principum infidelium ; quoniam non jubet Christianis, ut non compareant coram judice infideli, si vocentur : sed tantum præcipit, ut sponte non accedant. Sed quod non potuerit Apostolus eximere Christianos a subjectione principum infidelium, si id utile, vel necessarium censuisset, et vires ad perficiendum habuisset : id sine gravi errore dici non posse arbitror : et ratio, quam pro sua sententia Barclaius profert, omnino infirma est. Nam juris naturalis a Deo confirmati, et ab Apostolo declarati est, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : sed non est juris naturalis a Deo confirmati, et ab Apostolo declarati, ut non possit sublimior potestas per aliam sublimiorem tolli de medio, et per hoc fieri, ut ei subjectio, et obedientia non amplius debeatur. Siquidem magistratuum quoque inferiorum potestati jure divino parendum est non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam : et tamen potest magistratus inferior per principem tolli, aut mutari, et tunc personæ illi, cui magistratus abrogatus est, nemo jam subjectionem, aut obedientiam debet. Sic etiam cum rex, vel spirituali suprema potestate in casu hæresis, vel ab alio rege in casu victoriæ, de solio deponitur, non amplius ad illum pertinet quod Apostolus ait : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Idem dici potest de patria, et despotica potestate : nam juris naturalis a Deo confirmati, et ab Apostolo declarati ad Ephes. VI. est, ut filii obediant parentibus, et servi dominis, et tamen filii emancipari, et servi libertate donari possunt, et per hoc fieri potest, ut nec illi parentibus, nec isti dominis suis obedire teneantur. Itaque nisi Barclaius naturalis juris, a Deo confirmati, et ab Apostolo declarati, esse demonstret, ut principes sæculares, sive fideles, sive infideles in certis casibus, per Ecclesiasticam auctoritatem deponi non possint ; nihil quod ad rem faciat, adhuc dixit, quantumvis multis verbis sæpe, ac sæpius repetitis sententiam suam in hoc capite persuadere conatus sit.

Addit postea Barclaius aliam solutionem nihilo priore solidiorem : « Præterea, inquit, si quis locum illum Apostoli non limis percurrerit, animadvertet eum id sibi negotii dare, ut ad Evangelicam perfectionem, quæ consilii magis, quam præcepti est, Christianos animos erudiat, tum eos hortetur, ut potius injurias ferant, et fraudem patiantur, quam ut judicia inter se habeant etc. »

Respondeo : Cum Apostolus hortatur ut Christiani judicia inter se non habeant, sed mansuetudine, et patientia occasione judiciorum præveniant, consilium perfectionis, non præceptum judiciæ docet : sed cum jubet, ut si judicia inter se habuerint, ad judices Christianos, non ad infideles causas suas deferant : tum vero non consilium, sed præceptum dare se luculenter ostendit, cum ait : « Audet aliquis vestrum negotium habens adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? » et : « Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad judicandum. »

Pergit Barclaius, et omisso Bellarmino S. Thomam aggreditur, dicens : « Quoniam autem singula persequimur, admonere oportet D. Thomam in 2. 2. quæst. 10. art. 10. in ea opinione esse, ut existimet jus dominii, et prælationis ethnicorum principum juste illis auferri posse per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis, ut ille ait. D. Thomæ magna apud me auctoritas est, sed non tanta ut omnes ejus disputationes pro canonicis scripturis habeam, vel ut rationem vincat, aut legem. Ejus ergo manes veneror, et suspicio ; sed non est tamen, cur illa ejus opinione aliquis moveatur : tum quia nullam suæ sententiæ, vel rationem idoneam et efficacem, vel auctoritatem profert : tum etiam quia in explicatione Epistolæ Pauli ad Corinth. contrarium plane sentit : tum denique quia neminem secum antiquorum Patrum consentientem habet, et rationes multæ, auctoritatesque in contrarium suppetunt. Ratio autem quam adfert, est, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Mala ratio, et tanto viro indigna : quasi vero si quis meretur privari officio, beneficio, dignitate, auctoritate, aliove jure, quod possidet, idcirco statim spoliari possit ab alio, quam ab eo a quo id accepit, retinetque, vel ab alio expressum mandatum, et potestatem ad ipso habente. »

Respondeo : Admiranda est hujus Aristarchi importunitas, qui tam libere Principem Theologorum reprehendit, ut dicat : Mala ratio, et tanto viro indigna ; cum ipse jureconsultum se profiteatur, et sacræ theologiæ adyta, ne a limine quidem salutaverit. Illud autem non miror, quod manes S. Thomæ se venerari dicat : nam liber ejus vocabulis impropriis plenissimus est : neque enim spiritus hujus sanctissimi doctoris cum diis manibus apud inferos, sed cum Angelis apud superos ævo sempiterno fruitur. Quod vero Barclaius dicit S. Thomæ sententiam nulla efficaci ratione esse munitam, falsum est ; quamvis sit verum, vim rationis S. Thomæ ab ingenio Barclaii penetrari minime potuisse. Quod autem addit, eumdem S. Thomam in Commentario Epistol. ad Corinth. contraria scripsisse : manifestæ ignorantiæ Barclaium arguit. Siquidem in eo Commentario scribit quidem S. Thomas, esse contra jus divinum prohibere, quod judicio principis infidelis non stetur, et, subjectionem deberi principibus etiam infidelibus : quæ verissima sunt ; sed ex iis non sequitur, non esse in Ecclesia auctoritatem privandi principes infideles dominio, quod habent super fideles : proinde ista non sunt contraria, debetur subjectio principi infideli, dum princeps est : et, potest princeps infidelis privari dominio, quod habet super fideles per auctoritatem Ecclesiæ : Et Barclaius, quia ea contraria esse judicat, vel dialecticam non didicit, vel ejus regulas oblivioni tradidit : quemadmodum etiam paulo infra cum idem Barclaius dicit :

« Et vero sanctus Thomas in expositione Epistolæ Pauli superius hoc capite relata, satis aperte indicat, Ecclesiam non habere eam auctoritatem, qua possit ethnicos deponere : ait enim esse contra jus divinum prohibere ne principum infidelium judicio stetur a subditis. » Manifeste hallucinatur, et fallitur ; tametsi enim contra jus divinum est, negari principi obedientiam, dum princeps est, non tamen est contra jus divinum, quod Ecclesia potestatem habeat principem deponendi : nam est etiam contra jus divinum prohibere filios ne parentibus obediant, dum sub patria potestate sunt ; nec tamen est contra jus divinum, quod aliquando filii eximantur a patria potestate, ut re ipsa eximitur filius familias cum ad episcopale fastigium evehitur. Porro illa sancti Thomæ ratio : « Infideles merentur ratione suæ infidelitatis potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei : ergo potest Ecclesia privare principes infideles domi-

nio, quod habent super fideles » : non est adeo debilis ratio, ut Barclaius dicit : sed vere debile argumentum est, quo sancti Thomæ rationem Barclaius oppugnat : hoc est enim argumentum Barclaii : « Merentur infideles amittere potestatem super fideles, sed non potest eos potestate privare, nisi qui dedit eam potestatem, aut qui mandatum expressum ab illo habeat; at principes a Deo potestatem habent, et solo Deo sunt minores : ergo a solo Deo privari potestate possunt : non autem ab Ecclesia, quæ neque dedit potestatem infidelibus, neque habet expressum mandatum Dei, quo illam auferre debeat, aut possit. »

Hoc, inquam, argumentum nullas vires habet : nam falsum est, principes politicos a solo Deo potestatem habere : habent enim illam a Deo, quatenus Deus instinctum naturalem in animis hominum insevit, ut ab aliquo gubernari velint. Ut autem gubernentur homines a regibus, vel a consulibus; ab uno, vel a multis; a magistratu perpetuo, vel temporario, ab hominum voluntate dependet : quemadmodum etiam quod iste sit rex potius, quam ille, non Dei specialis jussio, sed hominum voluntas fecit : quare idem S. Thomas loco citato, 2. 2. qu. 10 art. 10. et qu. 12. art. 2. tamquam rem certam, et exploratam ponit, dominia, et principatus politicos, non esse de jure divino; sed de jure humano : cui nemo doctus contradicit, neque Barclaius contradiceret, si rationem, non passionem in consilium adhiberet.

Præterea etiamsi concederemus, regem esse immediate constitutum a Deo, et ab illo solo potestatem habere, quod tamen non concedimus, adhuc argumentum Barclaii nihil efficeret adversus rationem sancti Thomæ : responderet enim sanctus Thomas, Ecclesiam habere auctoritatem a Deo per suum rectorem, et pastorem auferendi potestatem, in certis casibus, illis, quibus Deus eam dedit. Summus enim Pontifex Vicarius Dei est, ac per hoc potestatem habet a Deo dispensandi, et mutandi in multis, secundum voluntatem Dei, cujus ipse interpres est : hoc enim modo dispensat Pontifex in votis, et juramentis, quæ Deus ipse jussit reddi, et quorum solutio de jure divino est : dispensat autem non quod sit ipse super jus divinum : sed quia interpretatur Deo placere, ut in tali, vel tali casu, juramentum, aut votum relaxetur: quemadmodum et Apostolus ait in posteriore ad Corinth. cap. II. *Nam et ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi* (1). Ubi dicit se in persona Christi condonasse Corinthio incestuoso pœnam, quam divino jure, vel in hac vita, vel in purgatorio luere debuisset; atque hoc est, quod sanctus Thomas in loco notato dicit, Ecclesiam habere auctoritatem Dei, qua principes infideles privare possit dominio, quod habent super fideles.

Deinde Barclaius, ut nihil intactum relinquat, carpit etiam illud, quod S. Thomas in eodem artic. 10. quæst. 10. in 2. 2 dicit, Ecclesiam non semper uti jure suo in deponendis principibus infidelibus, ad vitandum scandalum : quemadmodum Dominus solvit didrachma, ad quod non tenebatur, ne scandalizaret eos, qui censum illum colligebant; et Apostolus admonet servos obedire dominis carnalibus, ne doctrina Domini blasphemetur.

« Non solum, inquit Barclaius, propter scandalum abstinuit, ut putat Thomas eo loco, sed propter defectum potestatis, quia non erat judex *infidelium*, secundum illud Apostoli. 1 Corinth. v. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* et quia Principes a Deo constituti solum Deum supra se judicem habent, a quo solo deponi possunt. Nec ad rem pertinet, quod Paulus dum jubet servos Christianos dominis suis infidelibus omnem honorem exhibere, illud solum addit, ne nomen Domini, et doctrina blasphemetur. »

Respondeo : Intolerabilis est hujus morosi censoris carpendi, et vellicandi libido : S. enim Thomas cum ait Ecclesiam non uti suo jure propter scandalum, non addit particulam, solum : quare, si sint etiam aliæ causæ, non ideo reprehendi debet sanctus Doctor, qui unam causam, eamque verissimam attigit, et illam ipsam, quam in simili causa Christus ipse, et ejus Apostolus attigerunt : nam neque Dominus dixit propter solum scandalum a se solutum fuisse didrachma, neque Apostolus jussit honorandos esse dominos servis, ea solum de causa, ne nomen Domini, et doctrina blasphemetur. Quod autem addit Barclaius, Ecclesiam non habuisse potestatem ullam in Principes infideles, quia scribit Apostolus, quid ad me de his, qui foris sunt judicare? non est contra S. Thomam, qui in 2. 2. quæst. 12. art 2.

(1) Corinth. II, 10.

declarat hunc locum Apostoli intelligi de infidelibus, qui numquam fidem receperunt, quatenus infideles sunt, non quatenus dominantur fidelibus : ob solam enim infidelitatem Ecclesia non potest infideles judicare; quia ad ejus regimen non pertinent. Sed quando dominantur fidelibus, et præsertim quando subditos fideles avertere conantur a fide : tunc Ecclesia jus habet illos privandi dominio, quod habent super fideles. Sed non semper utitur jure suo, vel quia vires non adsunt, vel ob scandalum evitandum. Quod vero dicit, Principes a Deo esse constitutos, et nullum præter Deum super se judicem habere, antiqua est cantilena Barclaii usque ad nauseum repetita, et in ipso capite, atque in superioribus refutata.

In extremo capite Barclaius S. Thoma dimisso revertitur ad Bellarminum, quem ex propriis scriptis convincere se posse dicit; producit autem verba quædam ex lib. II, cap. 29 de summo Pontifice, ubi cum Alberto Pighio admittit, Apostolos subjectos fuisse de jure, et de facto principibus infidelibus in civilibus omnibus causis : et principes infideles non fuisse Apostolis subjectos, neque de jure, neque de facto. Ex quo loco deducit Barclaius, Bellarminum sensisse, non habuisse illis temporibus Ecclesiam jus ullum ad deponendos principes infideles.

Respondeo : Jam in Recognitione scriptorum meorum admonui, improbabilem esse sententiam Pighii, quam ego quoque olim sequutus fueram, et cum melioribus Doctoribus sentiendum esse, Apostolos jure exemptos fuisse ab omni subjectione Principum terrenorum. Sed quamvis etiam vera esset sententia Pighii, non tamen sequeretur, non habuisse tunc Ecclesiam jus privandi Principes infideles dominio quod habebant super fideles. Diceret enim Pighius Ecclesiam, et ipsos Apostolos subjectos fuisse Principibus infidelibus, quamdiu Principes erant : sed si ab Ecclesia auctoritatem Dei habente, privati fuissent, tunc demum non fuisse amplius de jure subjectos. Nam et populus subjectus est regi, quamdiu regnat, sed si ab alio rege victus in prælio, regnare desierit, non amplius illi subjectus erit.

Adducit postremo Barclaius aliud Bellarmini dictum in eodem lib. II. de Pontif. cap. 29. Quod videlicet, judicare, punire, deponere ad superiorem tantum pertinet. Quod quidem dictum verissimum est; sed tamen ex eo Barclaius secundum dialecticam suam hunc syllogismum texit.

« Subjecti non possunt jure judicare, punire, deponere superiorem : atqui omnes Christiani erant subjecti Neroni, Diocletiano, et cæteris imperatoribus, et regibus Ethnicis : ergo non poterant ejusmodi imperatores et reges deponere. Propositio concessa est, illemque subsumptio, et certissima veritate nituntur : conclusio autem ex antecedentibus consecutione pendet, atque ex diametro opponitur ei, quod dixit Bellarminus, Christianos olim jure potuisse deponere Neronem, Diocletianum etc., sed quia viribus temporalibus deficiebantur, eo consilio abstinuisse. Falsum igitur illud est, et reprehensione dignum : siquidem aientia, et negantia simul vera esse nequeunt. Hinc etiam patet falsitas opinionis D. Thomæ, quam supra hoc capite refutavimus. »

Respondeo : Magnus omnino magister in arte Dialectica Barclaius est, qui unico syllogismo, non solum Bellarminum prostravit, sed S. Thomam etiam, qui Doctoris Angelici cognomento ob eximium sapientiæ splendorem merito celebratur. Ad syllogismum ejus in forma sic respondeo : Propositio illa, Subjecti non possunt jure deponere superiores, vera est, sed deberet esse universalis, ut syllogismus legitimus esset : et præterea intelligi debet formaliter, id est, subjectus, ut subjectus, sive quamdiu subjectus est, non potest deponere superiorem, ut superiorem, sive quamdiu superior est. Assumptio autem illa, omnes Christiani erant subjecti Neroni, Diocletiano, etc., falsa est, quoniam Apostoli, eorumque successores, qui principes erant spirituales, non erant jure subjecti regibus terrenis. Deinde populus Christianus, etiam si alioqui subjectus esset regibus, et imperatoribus infidelibus, tamen in casu periculi amittendæ Fidei divinæ, poterat jure justæ defensionis excutere jugum principis infidelis : præsertim si Ecclesia per Summos Pontifices, ita faciendum esse censuisset. Ex his sequitur conclusionem Barclaii esse manifeste falsam, et doctrinam S. Thomæ, ac Bellarmini, qui S. Thomam sequutus est, esse verissimam.

CAPUT XXII.

Defenditur altera confirmatio rationis tertiæ principalis.

In capite vigesimo secundo Barclaius oppugnat confirmationem secundam rationis tertiæ principalis, quam in meo libro posui ad probandam Summi Pontificis potestatem in temporalibus. Hæc autem erat confirmatio: Tolerare regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere Religionem evidentissimo periculo. At non tenentur Christiani, immo nec debent cum evidenti periculo Religionis regem infidelem tolerare: nam quando jus divinum et humanum pugnant, debet servari jus divinum omisso humano: de jure autem divino est servare veram fidem, et Religionem, quæ una tantum est, non multas: de jure autem humano est, quod hunc, aut illum habeamus regem.

Ad hanc confirmationem respondet primo Barclaius, argumentum non esse in forma syllogismi, sed hoc cavillari est: nam neque ego volui, nec cogitavi redigere argumentum ad formam syllogismi, quod vel ex eo potest intelligi, quod non expresse posui conclusionem, et multa inserui ex Scriptura sacra, ex profanis auctoribus, et ex experimentis veteribus et novis, quæ Barclaius omisit. Deinde omissa cavillatione de forma syllogismi, vim ipsam argumenti retundere conatur, dicens:

« Demus eum optima forma ratiocinationem confecisse, et ad vim argumenti respondeamus. Dicoigitur propositionem ejus falsam esse, dico, inquam, non verum esse, quod tolerare regem hæreticum vel infidelem conantem pertrahere homines ad sectam suam, est exponere Religionem evidentissimo periculo, sed est tantum pati Religionem versari in periculo, in quod incidit vitio regis hæretici, aut infidelis, et cui jam sine culpa populi exposita est: cum nullum ejus liberandæ justum, et legitimum remedium, præter constantiam, et tolerantiam, populo supersit. »

Respondeo: Quando non suppetunt vires Ecclesiæ excutiendi jugum infidelium tyrannorum, ut vere temporibus Neronis, Dioclctiani, Constantii, Juliani, et Valentis non suppetebant: tum verum est, tolerare regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere populum ad sectam suam, non esse Religionem exponere periculo, sed pati eam in periculo versari: sed quando vires suppetunt, et potest Ecclesia, si velit, per auctoritatem Vicarii Christi privare regem hæreticum, vel infidelem dominio, quod habet super fideles: tum si non faciat, vere, propriequc exponit Religionem evidentissimo periculo, cum nolit adhibere remedium, quod in promptu habet, nisi forte ratio suadeat, hoc remedium ad tempus differre, et alia leniora interim experiri.

Quod autem hic subjungit Barclaius, facillimum fuisse Christianis olim deponere Julianum, Constantium, et Valentem; jam supra copiose refutatum est cap. 6. 7. et 8. neque libet Barclaium imitari in iisdem rebus sæpius repetendis.

Pergit Barclaius, et ait: « Jam vero ad illud, quod deduxit ex pugna juris divini, et humani, respondeo breviter, illum valde falli in eo, quod putet esse ibi concursum, et conflictum divini juris, et humani: non sunt enim pugnantia, servare veram fidem, et Religionem, et tolerare regem hæreticum, vel infidelem; neque alterum de jure divino est, alterum de jure humano, ut ille putat; sed sunt duo præcepta juris divini, colere Deum vera Religione, et servire, atque obedire regi, quæ simul servari, et expleri possunt, ut ipsimet Jesuitæ docent. »

Respondeo: Non ignorabam, servire, et obedire regi esse juris divini; et ideo non hoc negavi in meo libro: sed dixi, juris humani esse, ut hunc, aut illum habeamus regem, juris autem divini servare veram fidem, ac Religionem: quamvis enim jure divino teneamur regi parere, dum rex est; non tamen jure divino cavetur ut regi nullis de causis regnum abrogari possit: alioqui quotquot ab exordio mundi regnis exuti sunt, omnes per injuriam exuti fuissent: neque ulla esset respublica, aut pene nulla jure instituta: Respublicæ siquidem ut plurimum exactis regibus constituuntur. Hoc est igitur quod dicimus, ut jus divinum servetur de conservanda vera Religione, fas esse aliquando mutari jus humanum, et transferri regnum ab infideli ad fidelem, quando vel non possit, aut vix possit alia ratione vera conservari Religio.

At rursum excipit Barclaius. « Id quidem, inquit, totum verum est, jure videlicet humano fieri, ut hic aut ille sit rex. Sed cave, lector, ne capiaris. Omisit Bellarminus, quod est præcipuum; addere enim debuit: At ubi hunc aut illum regem semel habemus, de jure divino est, ut illi in civilibus causis cum omni honore, et reverentia pareamus. Hac adjectione, quam nemo Catholicus negare potest, illud ejus argumentum prorsus elicitur. »

Respondeo: Jam ante docui, Ubi hunc, vel illum regem semel habemus, jure divino illi parendum esse, dum in solio præsidet. Sed non esse de jure divino, ut semper, dum vivit, in solio regali præsideat: nam fieri potest, ut vel ipse se abdicet potestate, vel ab alio rege superatus cadat a regno, vel hæresis causa deponatur, et quocumque modo rex esse desinat, obedientia quoque ei deberi desinit.

At, inquit Barclaius: « Ex Bellarmini sententia lib. II. de Pontif. cap. 29. non licet Concilio judicare, punire, vel deponere Papam nitentem turbare, et destruere Ecclesiam Dei; sed tantum ei resistere non faciendo, quod jubet, et impediendo ne exequatur voluntatem suam. Cur non similiter, et potiore etiam ratione idem de regibus etiam censeamus? cum et ipsi sint populis (teste eodem auctore lib. I. de Pontif. c. 9. et lib. III. c. 19.) superiores et Judicem in terris nullum habeant? cumque præterea nonnullis magni nominis theologis visum sit, Concilium Œcumenicum majore supra Papam auctoritate præditum esse, quam habeat populus in Principem? »

Respondeo: Si Pontifex Maximus hæreticus fieret, et Ecclesiam destruere, abducendo eam a fide Catholica, niteretur; sine dubio deponi, aut certe depositus declarari a Concilio posset, ut colligitur ex can. Si Papa, dist. 40. et hoc neque Bellarminus, neque ullus Catholicus negat, quare ex hoc ipso potuisset Barclaius intelligere, non esse mirum, si reges propter hæresim deponi possint, quamvis non habeant in temporalibus superiores, cum Papa propter similem causam deponi possit, qui neque in temporalibus, neque in spiritualibus superiorem habet in terris. Quod autem scripsi in lib. II. cap. 29. Pontificem non posse judicari, aut deponi a Concilio, intelligitur extra causam hæresis, si vita solum, et moribus Ecclesiam perturbare, atque destruere velle videretur. Est autem discrimen inter Pontificem et regem; quod Pontifex nullum omnino in terris superiorem habet, cum sit ille servus principalis, quem posuit Dominus super omnem familiam suam, Luc. XII. de quo idem Dominus eodem loco dicit, quod si servus ille male se gesserit, et cœperit percutere servos, et ancillas, manducare et bibere cum ebriosis; veniet Dominus in die, qua non sperat, eumque severissime puniet: proinde non vult Dominus, ut a familia, vel aliquo de familia puniatur; sed ipse Dominus judicium de servo illo sibi reservat. Rex autem, qui non immediate a Deo regnum accepit; sed populus in eum potestatem suam transtulit: et præterea si Christianus est, aut fuit, Pontifici, ut ovis Pastori, subjectus est, et quamvis non habeat in temporalibus superiorem aliquem temporalem; habet tamen superiorem spiritualem, cujus potestas ad temporalia etiam se extendit: ideo deponi a summo Pontifice, ut Christi Vicario potest. Quod si aliqui viri docti senserunt, concilium esse supra Papam, magis quam regnum supra regem: non multum de eorum sententia laboramus, cum ex scripturis, et conciliorum etiam generalium decretis contrarium colligatur: de qua re satis multa scripsimus in secundo libro de Conciliis.

Sed forte quæret aliquis: si Papa nullum omnino superiorem habet in terris, quo jure deponi potest a concilio, vel Ecclesia propter hæresim? Responsio est in promptu, quoniam cum propter alia crimina ejiciantur homines per excommunicationem ab Ecclesia, hæretici per se exeunt, et recedunt, et ipsi se quodam modo excommunicant; ut sanctus Hieronymus notavit explicans illa verba Apostoli ad Titum cap. III. *Hæreticum esse proprio judicio condemnatum* (1). Itaque si Pontifex, quod fieri non posse arbitror, hæreticus, vel infidelis, vel Apostata fieret, non tam deponendus, quam declarandus depositus a concilio esset,

(1) Tit. III, 10.

CAPUT XXIII.

Defenditur tertia confirmatio tertiæ rationis principalis.

In capite vigesimo tertio Barclaius refellere nititur confirmationem tertiam rationis meæ tertiæ principalis : hæc autem est confirmatio : Denique cur non potest liberari populus fidelis a jugo Regis infidelis, et pertrahentis ad infidelitatem ; si conjux fidelis liber est ab obligatione manendi cum conjuge infideli quando ille non vult manere cum conjuge Christiana, sine injuria fidei, ut a perte deduci ex Paulo, Corinth. VII, Innocentius III. in cap. Gaudemus, extra. de divortiis ? non etiam major.

Ad hanc confirmationem Barclaius ita respondet, ut videatur de industria intelligere noluisse, in quo vis rationis consistat : idque ea de causa facit, ut occasionem habeat, multa scribendo, vel doctrinam suam ostentandi, vel librum suum locupletandi. Sed prudens lector facile animadvertet eum extra rem vagari. Initio enim fingit me loqui de conjugio inter fideles contracto, quorum alter postea in hæresim labitur : quod matrimonium omnino insolubile est, et non recte comparari potest cum vinculo, quod matrimonium omnino insolubile est, et non recte comparari potest cum vinculo, quod est inter regem, et populum.

Sed mihi numquam venit in mentem de matrimonio ejusmodi loqui. Igitur locutus sum de matrimonio contracto inter infideles, quorum alter cum ad fidem convertitur, liber est a cohabitatione, et a jugo conjugis infidelis. Quod autem de hoc matrimonio locutus sim, planum est ex Apostolo, et Innocentio, quos citavi ; non enim Apostolus, aut Innocentius liberum pronunciant a conjugio eum, qui contraxit post baptismum cum fideli, sed eum qui contraxerat ante Baptismum cum infideli, et postea conversus est ad fidem conjuge in infidelitate permanente.

« At, inquit Barclaius, tu non dixisti, conjugem fidelem liberum esse a jugo, aut vinculo, sed ab obligatione manendi cum conjuge infideli ».

Respondeo : Me dixisse, quod Apostolus dixit, et intellexisse, quod Apostolus intellexit. Apostoli verba hæc sunt : *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam : et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum : quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Ubi loquitur de obligatione cohabitandi, quemadmodum et ego loquutus sum ; sed non intellexit Apostolus per libertatem ab obligatione cohabitandi, solam libertatem ab obligatione cohabitandi, manente vinculo, et jugo conjugii ; sed plenam libertatem cum potestate ineundi aliud conjugium, soluto vinculo, et jugo conjugii prioris : et hoc eodem modo verba mea intelligi volui, quo modo verba Apostoli intelligunt omnes Theologi. Itaque poterat Barclaius omittere plus quam partem dimidiam hujus capitis 23.

Accedit deinde propius ad rem, sed, ut argumentum solvat, implicat se gravissimo errori ; sic enim loquitur :

« Quod si posterioribus conjugibus argumentum intelligat, in prompta responsio est ex eadem Innocentii Epistola decretali : nimirum inter tales conjuges, non esse ratum matrimonium, quantum ad indissolubile conjunctionis vinculum attinet : et ideo ejusmodi conjuges plenam dissolvendi matrimonii libertatem habent, ut vel mutuo consensu, et bona gratia, vel cum ira sui animi, et offensa discedant : et alter invito altero, ubi ei libitum sit, nexum illum conjugii per repudium, et divortium dissolvat. » Et infra : « Non mirum ergo si conjux ad fidem perductus a conjugis in infidelitate permanentis consortio, et potestate liber sit : cum etiamsi ambo in infidelitate mansissent, æque liberum alterutri eorum fuisset ab altero recedere, et matrimonium repudio dissolvere ; quia nullum initio inter eos ratum, et firmum obligationis vinculum intercessit. » Et infra : « Cum itaque nullum inter istos ratum conjugium existat : et subjectio politica, et regalis dominatio inter omnes gentes, et in omni lege, tam jure divino, quam humano rata, et probata sit : quid absurdius, aut ineptius dici potest, quam illa inter se componere, et argumentum aliquod ab infidelium conjugum societate, et jugo, quod excuti pro arbitrio potest, ad regalis imperii jugum repellendum deducere, et idem de utroque, quasi de plane similibus judicare ? »

Respondeo : Mirum est, cur tantus jureconsultus ex uno verbo Innocentii male intellecto in tantum errorem se præcipitaverit, nam quod ait Innocentius in cap. Quanto, de divort., matrimonium infidelium non esse ratum, non significat, esse solubile ad libitum, sed non esse insolubile omnino, ut matrimonium fidelium : solum enim solubile est in casu Apostoli, ipso Apostolo declarante in ea re voluntatem Dei. Quod autem matrimonium infidelium legitime contractum sit firmum, et insolubile, excepto illo casu, perspicuum est, primo ex ipso Innocentio in cap. Quanto, jam citato, ubi dicit, matrimonium infidelium esse verum : matrimonium autem verum definitur : Conjunctio viri, et fœminæ individuam vitæ consuetudinem retinens, cap. Illud, de præsumptionibus. Ubi canonistæ communiter eam definitionem approbant, ut etiam Theologi apud Magistrum in 4. sent. distinct. 27. Secundo idem Innocentius, in cap. Gaudemus, de divort. expresse docet, repudium etiam apud infideles non esse licitum : quod idem habetur in Canon. Si quis judaicæ 28. quæst. 1. ubi dicitur apud infideles valere repudium lege fori, non lege poli. Tertio Concilium Tridentinum sess. 24. in principio : « Matrimonii », inquit, « perpetuum, insolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Et certe Adam non de matrimonio tantum Christianorum, sed de matrimonio in genere locutus est : proinde omne verum matrimonium perpetuum insolubilemque nexum habet. Accedit quarto, communis Doctorum sententia : siquidem Magister sententiarum lib. IV. distinct. 33. Et cum eo sanctus Bonaventura, Richardus, Dominicus a Soto, et alii plurimi docent, repudium permissum fuisse Judæis a Deo per Mosem, ut minus malum, sed numquam fuisse licitum neque apud Judæos, neque apud Gentiles. Alii vero non pauci, ut sanctus Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus, docent quidem cum Judæis ita dispensatum fuisse circa repudium : sed tamen a Christo sublatam fuisse eam dispensationem, ut postea non fuerit amplius neque Judæis, neque gentibus licitum : sunt enim Christi verba satis aperta, Marci v. *Qui dimissam duxerit mœchatur,* et cap. x *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium commisit super eam : et si uxor dimiserit virum, et alii nupserit, mœchatur* (1). Itaque excusari non potest Barclaius, qui tarcarum errorem sequutus, voluit licitum esse infidelibus pro arbitrio matrimonia separare. Tametsi enim Turcæ id faciunt, tamen cum errore manifesto faciunt. Ex quibus argumentum nostrum, quod frustra Barclaius solvere tentavit, omnino insolubile demonstratur. Nam, si licet conjugi fideli propter fidem, et religionem disrumpere vinculum, alioqui insolubile, quo alligatus erat conjugi infideli ante conversionem suam ad fidem ; quanto magis licebit populo fideli disrumpere vinculum propter fidem, et religionem, quo alligatus erat Principi infideli, præsertim si is populum fidelem pervertere satagat ? Debilius enim esse vinculum quo adstringitur populus Principi suo, quam sit illud, quo adstringitur uxor viro suo perspicuum est, cum vinculum populi ad principem multis de causis solvi potuerit, et adhuc possit : vinculum autem uxoris ad virum, apud Christianos in nullo casu solvi possit, si ratum, et consummatum fuerit : apud infideles autem jure solvi non possit, nisi per conversionem alterius eorum ad fidem, altero perseverante in infidelitate.

(1) Marc. V. 32 ; X, 12.

CAPUT XXIV.

Defenditur ratio quarta Bellarmini pro potestate Pontificis in temporalibus.

In cap. 24. proponit Barclaius rationem quartam, qua ego usus fueram ad stabiliendam potestatem Summi Pontificis in temporalibus usque ad ipsos Principes in certis casibus abdicandos. Hæc est autem ratio. Quando reges, et principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, ut sceptra sua subjiciant Christo, et pollicentur, se Christi fidem servaturos, et defensuros etiam sub pœna regni perdendi : ergo quando fiunt hæretici, aut Religioni obsunt, possunt ab Ecclesia judicari, et etiam deponi a principatu, nec ulla fiet eis injuria si deponantur. Hucusque recitat Barclaius, quamvis in meo libro plura addantur ad confirmationem hujus rationis.

Respondet autem admittendo antecedens, et negando consequentiam. « Nam, inquit, licet verum sit Principes ad Ecclesiam venientes se sceptraque sua Christo subjicere, et vel ultro ea promissa seu tacite seu expresse facere, quæ Bellarminus commemorat : non tamen verum est, nec inde sequitur, eos judicari, et deponi posse ab Ecclesia, vel Summo Pontifice, si fidem fallant, et pactum, ad jusjurandum negligant : quia suprema illa Christi jurisdictio, et potestas temporalis in reges omnes, et mundum universum, quam habet, ut Dei filius, non competit Ecclesiæ, vel Pontifici, sed tantum illa potestas, quam Christus sibi assumpsit, dum inter homines humano more versaretur : at Christus nullum temporale dominium, et potestatem usurpavit, dum in terris, ut homo inter homines ageret, ac proinde neque Ecclesia, ut Ecclesia, neque Papa, ut caput Ecclesiæ, et Vicarius Christi ullam temporalem potestatem, ut pluribus explicat, et probat idem vir doctissimus lib. II. de Pontif. cap. 4. »

Respondeo : Argumentum Barclaii, quo mei argumenti consequentia oppugnatur, malam habet consequentiam, et falsum antecedens ; quare sine viribus ullis solo strepitu verborum pugnat. Consequentia, inquam, ejus argumenti mala est, quoniam etiamsi Ecclesia, vel Papa non haberet ex se potestatem principes hæreticos deponendi, haberet tamen ex ipsa promissione jurata, et ex pacto inito cum ipsis principibus, quando ad Ecclesiam Christianam admissi sunt : id quod exemplo illustrari potest : quando enim reges cum Romano imperio societatem ineibant, et fidelitatem illi jurabant, si postea rex socius ad hostes Romanorum deficiebat, non existimabant Romani injuriam se illi regi facturos, si eum regno privarent : quoniam tametsi ante initam societatem, nullam haberent Romani potestatem in eum regem, tamen fides data, et juramento firmata potestatem illis dabat. Deinde falsum est antecedens argumenti Barclaiani, ut hucusque satis ostendimus disputatione tam prolixa, et ex iis, quæ Barclaius hoc loco admittit, nullo negotio demonstrari potest : admittit *enim* habere Summum Pontificem, ut Christi Vicarium, eam potestatem, quam Christus habuit, dum ut homo inter homines vixit. Christus autem, quamvis noluerit, ullum temporale Regnum eripere iis, qui ea possidebant, idque vel sibi assumere, vel aliis tradere ; tamen qui negat potuisse Christum id facere, Evangelium ipsum negat : quid enim est quod idem Christus dicit Joan. XIII. *Dedit ei omnia Pater in manus ?* Si habuit omnia in manus, certe super omnia potestatem habuit : si super omnia potestatem habuit, cur non potuit de temporalibus rebus omnium hominum disponere ? Item Joan. XVII. Idem Dominus ait Patri, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Ubi per omnem carnem omnes homines intelliguntur. Habuit igitur Christus homo in terris potestatem super omnes homines, ac per hoc super imperatores etiam, et reges, potuitque eos, si voluisset, judicare, punire, regnis, imperiisque privare : cujus potestatis exemplum aliquod ostendit, cum dæmonibus concessit ut in ingentem pecorum multitudinem irruerent, eosque omnes in mare suffocandos præcipitarent : neque timuit ne forte injuria afficeret eos, qui ex interito tam numerosi gregis, qui ad duo millia ascendebat, teste S. Marco cap. V, non levem jacturam patiebantur. Judicavit enim Dominus expedire ad gloriam Dei, ut de re illa temporali disponeret etiam cum detrimento dominorum, ut sciretur quanta multitudo spirituum immundorum hominem obsedisset, et quanta facilitate ipse tantum numerum dæmonum solo imperio ejecisset.

Quod addit Barclaius, me docuisse, Ecclesiam, ut Ecclesiam, vel Pontificem, ut caput Ecclesiæ et Christi Vicarium, nullam temporalem potestatem habere posse ; mera impostura est. Ego enim solum docui, Pontificis potestatem directe spiritualem esse, sed indirecte extendi ad temporalia, atque ad ipsam etiam principum terrenorum depositionem. Et cur, obsecro, tantum laborat Barclaius in examinandis, et refellendis Bellarmini rationibus pro confirmanda Pontificia potestate in temporalibus, si Bellarminus cum Barclaio convenit in abnegando Pontificia potestate in temporalibus ? Sed libri sæpius recusi extant, et facile poterit lector judicare, utrum ego in eodem libro mecum ipse pugnem, an potius Barclaius impostorem agat, ea sententia nobilis poëtæ fretus :

Dolus, an virtus, quis in hoste requirat ?

Addit postea Barclaius aliam responsionem, quoniam non erat tam stupidus, ut non videret priorem solutionem nullas vires habere, ait igitur : « Quæ omnia promittunt quidem Principes Christo, acceptante promissionem Ecclesia, tamquam ejus sponsa, in cujus sinu regenerantur, aut ipso Pontifice non ut homine, sed ut Christi Dei ministro vicariam operam præbente ; ac proinde ipsi Christo per Ecclesiam, vel Papam obligatio principaliter acquiritur ». Et infra : « Si pactum conventum postea neglexerint, aut prorsus contempserint, ab eo solo puniri possunt, in cujus verba jurarunt, quique omnium rerum temporalium Dominus est, et quem supra se Judicem in temporalibus solum habent ; non autem ab eo, cui rerum tantummodo spiritualium, et recipiendæ promissionis cura commissa est ».

Respondeo : Promissio, qua principes infideles, cum ad Ecclesiam veniunt, pollicentur se fideles futuros, et Ecclesiam defensuros, neque ab ea unquam recessuros, aut eam oppugnaturos, sub pœna privationis regni ; promissio, inquam, ejusmodi principaliter quidem ad Christum dirigitur ; sed tamen trangressores non solus Christus immediate, et per se punire potest : sed postea etiam Christi Vicarius, qui auctoritate a Christo accepta Ecclesiam regit, trangressores pacti, et juramenti punire, quemadmodum quotidie videmus, eos qui absenti regi coram prorege fidelitatem jurant, si forte defectionem moliatur ab ipso prorege continuo puniri ; et clericos, qui absenti Episcopo, coram ejus vicario generali obedientiam spondent, si forte contumaces efficiantur, ab eodem Vicario carceribus mancipari, et plecti.

« At, inquit Barclaius, raro rex ipse fidelitatis jusjurandum accipiat, sed ut plurimum per Cancellarium id opus exequitur. Cancellarius itaque cum Magnates in verba regis jurantes ad feuda, et dignitates admittit, eas in civili administratione, et jurisdictione temporali sub rege partes obit, quas Pontifex sub Christo in spirituali gubernatione Ecclesiæ, cum principes ad eam venientes interposito fidelitatis, et pietatis erga Deum sacramento, recipit. Et ut ille quidem clienti semel recepto licet postea fidem frangat crimenque committat, quod felloniam vocant) ex nulla causa feudum auferre potest, quod solius regis sit, minimeque cancellario concessum. Ita neque hic receptos in Ecclesiam principes, quantumvis graviter postea delinquant, fideique desertores fiant, regnis et dignitatibus privare, aut alio modo temporaliter punire potest. »

Respondeo : Hæc tota ratio deceptionis Barclaii, quod summum Pontificem Cancellario similem esse ducit, in quo nulla est jurisdictio. Quæ similitudo longissime abest a veritate : siquidem Scripturæ divinæ veram potestatem, et jurisdictionem, eamque amplissimam, et supremam Pontifici tribuunt : nam quod dicitur Matth. XVI : *Quodcumque ligaveris, et quodcumque solveris*, non officium cancellarii, sed officium præsidis jurisdictionem habentis sonat. Et illud : *Pasce oves meas*, Joan. ult. non officium cancellarii in regno, sed potestatem illam Pontifici tribuit in Christianos, quam habet pastor in oves, qui eas utique regere, et ligare, et baculo ferire, et ad omnem obedientiam cogere potest. Illud etiam quod Apostolus in Actis cap. XX. dicit : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei :* non officium cancellarii, sed officium rectoris, et præpositi significat. Denique illud Matth. XXIV. *Quis putas est fidelis servus, quem constituit Dominus supra familiam suam* (1) ? non officium cancellarii nobis ostendit, sed officium magistri domus, qui toti familiæ cum potestate præest. Quare summus Pontifex non cancellario, sed prorege in regno, vel vicario in Episcopatu, vel rectori in civitate, vel præposito in familia, vel capiti in corpore comparari debuit : et hæc quidem a nobis dicta sunt, si admittenda esset sententia illa Barclaii, quod principes cum ad Ecclesiam veniunt, soli Christo fidelitatem, et obedientiam spondeant : sed ea sententia falsa est, neque eam admittere ulla ratione possumus, spondent enim principes obedientiam, et fidelitatem expresse vel tacite, non Christo solum, sed etiam iis, qui Christi locum in terris gerunt. Atque huc pertinet illa confirmatio argumenti, quam ego rationi meæ quartæ subjeci, et quam Barclaius in extremo cap. 24. refert et quorsum pertineat, ignorare se dicit, aut fingit.

« Quod autem, inquit, huic quartæ rationi subjicit ; (nam non est idoneus Sacramento Baptismi, qui non est paratus Christo servire, et propter ipsum amittere quicquid habet : ait enim Dominus Luc. XIV. *Si quis venit ad me, et non odit patrem, et matrem, et uxorem, adhuc autem, et animam suam, non potest meus esse discipulus*). Id quorsum spe-

(1) Matth. XVI, 19; Joan. XXI, 17; Act. XX, 28; Mat. XXIV, 45.

ctet, non video : nemo certe hoc negat, sed quid inde? talis ratio non magis ad institutum pertinet, quam quod remotissimum est : ut nec illud, quod ibidem sequitur. (Præterea Ecclesia graviter erraret, si admitteret aliquem regem, qui vellet impune fovere quamlibet sectam, et defendere hæreticos, et evertere Religionem.) Est hoc verissimum, sed ut dixi, nihil ad institutum pertinet : non enim de ea re hic quæstio est, sed de potestate temporali Ecclesiæ, sive Summi Pontificis. »

Respondeo : Quorsum ista pertineant, et quod ad rem propositam maxime faciant, ita ostendo. Fingamus regem aliquem infidelem ad Ecclesiam venire, et a Barclaio institutum ita loqui : Ego civis Sanctorum per Baptismum effici cupio, et sancte promitto, sceptrum meum Christo velle subjicere, Ecclesiam ejus pro viribus defendere, et numquam a sancto proposito deficere : protestor tamen, quod si forte fidem fregero, si hæreticus, si apostata, si paganus evasero, si Religionem Catholicam persequi, et funditus evertere conatus fuero : nolo ab Ecclesia, vel ejus Præside, sed a solo Christo pœna temporali puniri : et si forte Præses Ecclesiæ per sententiam excommunicationis me de cœtu piorum expulerit, volo ut nihominus fideles Ecclesiæ filii mihi, ut regi servire et obedire teneantur, neque ab hujus obedientiæ vinculo absolvi ullo modo possint. Quæro nunc a Barclaio, an ejusmodi rex ab Ecclesia, ut idoneus, ad Baptismum possit admitti? affirmabit opinor ; sed a prudentibus irridebitur. Nam si quis civitate terrena donari vellet, et protestaretur, si proditor civitatis fieret, nolle se a præside civitatis, sed a solo rege in longinqua regione manente, immediate posse puniri ; quis non rideret? Certe qui paratus esse debet, juxta Evangelium, vitam propriam exponere pro Christi fide, nonne magis paratus esse debet regnum terrenum amittere? ridiculum autem est, dicere, paratus sum regno privari, si fidem fregero ; sed nolo privari per sententiam hominum, volo per Angelos de cœlo sententiam pronuntiari. Certe etiam Ecclesia valde esset imprudens, si in gremium suum admitteret eum, qui vellet impune grassari in Ecclesiæ membra, et nollet fidelem populum posse per ullam hominum mortalium auctoritatem a sua tyrannide liberari.

CAPUT XXV.

Defenditur quinta ratio Bellarmini pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

In cap. 25. Barclaius excutit rationem meam quintam, ac primum eam refert his verbis : Quinta et postrema ratio est ex cura, et officio pastorali. Cum Petro dictum est, inquit, *Pasce oves meas*, Joan. ult., data est illi facultas omnis, quæ pastori necessaria ad gregem tuendum : at pastori necessaria est potestas triplex, una circa lupos, ut eos arceat omni ratione, qua poterit : altera circa arietes, ut si quando cornibus lædant gregem, possit eos recludere : tertia circa oves reliquas, ut singulis tribuat convenientia pabula ; ergo hanc triplicem potestatem habet Summus Pontifex.

His recitatis subjungit Barclaius : « Ex hoc principio, et fundamento tria, ut illi videtur, argumenta urgentia deducuntur. Sed ne longius abeat, respondeo in primis ad istud ipsum fundamentum, totum verum esse, ac pro me stare, atque inde contrarium ejus, quod ipse asserit bellissime colligi. » Hæc ille, qui post multa inania verba texit hunc syllogismum : « Christus commendando suas oves Petro dedit omnem potestatem necessariam ad tuendum gregem. Atqui non dedit ei potestatem temporalem : ergo potestas temporalis, non est necessaria ad tuendum gregem. »

Respondeo : Si per potestatem temporalem velit intelligi Barclaius potestatem, quæ sit in se proprie, et formaliter temporalis, admitti potest argumentum : sed nego inde sequi, non esse necessariam summo Pontifici potestatem, quæ, licet sit in se spiritualis, tamen extendi possit ad temporalia, prout ad spiritualia, referuntur, eisque subordinantur. Sin autem per potestatem temporalem intelligat potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia : tum dico, falsam esse assumptionem : et addo syllogissimum Barclaii eo vitio laborare, quo nullum est in arte disserendi notius, id enim assumit, et sibi concedi petit, quod vertitur in quæstionem. Assumit enim S. Petro non fuisse datam temporalem potestatem, quasi hoc ipsum non esset quod in toto libro suo probare contendit. Et certe si isto modo disputare liceret, possem ego quoque ita ratiocinari : Christus Petro dedit eam solum potestatem, quæ necessaria est ad tuendum, et pascendum gregem : atqui dedit potestatem spiritualem, quæ extenditur ad temporalia, ut ad spiritualia referuntur ; ergo ejusmodi potestas necessaria est ad gregem tuendum, atque pascendum. Sed audiamus alium syllogismum Barclaii, priori non dissimilem.

« Deinde, inquit, progredimur hoc modo. Absurdum est summum Pontificem, quatenus successor est B. Petri, habere plus potestatis, quam habuit Petrus. At Petrus nullam habuit potestatem temporalem in Christianos : ergo nec summus nunc Pontifex, quatenus successor ejus est. »

Ac ne hic quoque objiciatur, eum assumere, quod erat probandum, probat assumptionem ex Bellarmino lib. v. de Pontif. cap. 6, ubi dicit, potestatem spiritualem, et temporalem esse similes spiritui, et carni : et quemadmodum spiritus, et caro possunt esse conjuncta, ut in homine, et separata, ut in angelis, et bestiis, sic etiam potestas spiritualis, et temporalis possunt esse conjunctæ, ut nunc sunt inter Christianos ; et separatæ, ut erant tempore Apostolorum, quando nullus erat in Ecclesia princeps politicus. Ex his ita colligit Barclaius :

« Si separatæ erant hæ potestates tempore Apostolorum, ut erant revera de jure, et de facto : consequitur necessario, divum Petrum nullam habuisse temporalem potestatem : alioqui falsum esset eas fuisse separatas. »

Hoc argumentum tanti facit Barclaius, ut paulo infra dicat :

« Et vero hæ rationes apertiores sunt, quam quibus aliquis sine fraude reniti, et repugnare possit : ut mirum sit homines eruditos, cæterosque pios, ita zelo quodam inconsiderato obcæcari, ut dubia pro certis, pro perspicuis obscura, pro rectis contorta, pro expeditis denique involuta, et implicata multis controversiis, et contradictionibus amplecti, et sequi non dubitent. » Hæc ille, qui usque ad finem capitis pergit reverentiam suam erga Sedem Apostolicam prædicare, nostram cæcitatem redarguere, et multa ex iis, quæ antea dixerat, more suo repetere.

Respondeo : Verissime dictum a Bellarmino simillimam esse potestatem spiritualem, sive Ecclesiasticam spiritui, et temporalem, sive politicam carni : quam similitudinem ante Bellarminum ad hanc rem explicandam adhibuerunt S. Gregorius Nazianzenus, Hugo de S. Victore, S. Thomas, Alexander Alensis, Thomas Waldensis, et alii. Nec minus vere dictum est, eas potestates tempore Apostolorum fuisse separatas, quo modo spiritus Angelicus separatus est a carne : et caro brutorum separata est a spiritu : nunc autem conjunctas esse, quo modo spiritus, et caro conjunguntur in homines. Ex his autem recte colligitur, S. Petrum habuisse potestatem Apostolicam, id est, spiritualem, et Ecclesiasticam, supremam, et amplissimam, et non habuisse potestatem regiam, sive imperatoriam, aliamve mere temporalem, atque politicam : sed non recte colligitur, potestatem spiritualem S. Petri non se potuisse extendere ad omnia temporalia, et ad ipsa regna, et imperia dirigenda, et corrigenda, si reges, et imperatores Christiani fierent. Itaque discrimen inter tempus Apostolicum, et nostrum, non est circa potestatem, quæ semper eadem fuit in S. Petro, et in successoribus ; sed circa materiam subjectam, sive circa usum potestatis ; tunc enim potestas Apostolica non exercebatur in regibus dirigendis, quia nulli erant reges in Ecclesia Christiana, cujus Ecclesiæ pastor, et rector est Christi Vicarius : nunc autem eadem illa potestas exercetur in regibus dirigendis, et corrigendis, quoniam non desunt in Ecclesia reges, et principes politici.

Ac ut exemplis rem illustremus, certe spiritus humani a corporibus separati, iidem sunt, qui antea erant cum corpora animarent, et eamdem ipsam potestatem habent, quam antea habebant : et tamen nunc separati non regunt corpora, ut antea regebant, et iterum post resurrectionem regent, sic etiam spiritus Angelici sive boni, sive mali, dum corpora nulla assumunt, non exercent potestatem in membra corporis : cum autem vel corpora aerea sibi adjungunt, vel in corpora humana ingrediuntur, corpora illa nutu movent, eisque imperant et moderantur : nec tamen ullus erit tam imprudens, qui existimet Angelos acquirere potestatem novam, cum corpora assumunt : pari ratione cum in corpore humano membrum aliquod abscinditur, et a reliquo corpore separatur, non potest spiritus membrum illud movere, eique dominari ; non quod potestas spiritui desit, sed quia deest membrum, in quo movendo spiritus exerceatur. Denique initio Ecclesiæ Christianæ antequam Apostoli Diaconos ordinarent, non poterant Apostoli

Diaconis uti, eisque imperare : posteaquam autem ordinati sunt, iis Apostoli utebantur, eisque imperabant. Num igitur concedemus, defuisse Apostolisali quam potestatem Ecclesiasticam antequam Diaconi esse cœpissent in Ecclesia? concedemus omnino, si cum Barclaio desipiamus, qui ex defectu materiæ defectum colligit potestatis. Ex his apparet, quam levia sint argumenta Barclaii, quæ ipsius judicio demonstrationes indissolubiles videbantur.

CAPUT XXVI.

Defenditur prima pars rationis quintæ pro potestate summi Pontificis in temporalibus.

In cap. 26. aggreditur Barclaius refutare primam partem rationis meæ quintæ : erat autem hæc ratiocinatio. Pastori necessaria est potestas circa lupos, ut eos arceat omni ratione qua poterit ab ovili : lupi autem, qui Ecclesiam vastant, sunt hæretici : ergo si princeps aliquis ex ove, aut ariete lupus fiat, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit pastor Ecclesiæ cum mittere per excommunicationem, et simul jubere populo ne eum sequatur, ac proinde privare dominio, quod habet in subditos.

Ad hanc ratiocinationem Barclaius respondens admittit omnia, excepta illa extrema parte conclusionis, qua diximus, posse Pastorem jubere populo, ut non sequatur amplius regem suum distinguit enim hanc partem, ac dicit : Posse quidem pastorem jubere fidelibus, ut non sequantur regem hæreticum in hæresibus, sed non posse jubere, ut non sequantur eum in rebus politicis.

Addit autem posse quidem regem hæreticum privari communione fidelium in rebus sacris, sed neque hoc esse faciendum, si periculum sit schismatis, et scandali, et graviorum malorum, ex Augustino lib. III. cap. 2. contra Epist. Parmeniani : de qua re diximus, cap. 9. Ubi hæc eadem Barclaius fusius tractavit : jam enim admonui, Barclaium in repetitione rerum earumdem magnam partem libri sui consumere voluisse.

His igitur omissis, tota ratio, ob quam negat Barclaius posse a summo Pastore prohiberi fidelibus, ut regi hæretico obedientiam etiam in rebus politicis præstent, ea est, quoniam jure divino debetur regibus obedientia : et non potest ullus homo, ac ne ipse quidem summus Pontifex dispensare in jure divino ; et ad hoc probandum adducit rescriptum Innocentii III. qui cap. Cum ad monasterium, de statu Monach., dicit : « Non posse dispensari cum monacho, ut uxorem ducat, vel rerum proprietatem habeat » : et hoc loco multa disputat de jure divino, et humano, et de matrimonio Constantiæ Rogerii regis filiæ, quæ cum esset sanctimonialis, ex dispensatione Clementis III. Pontificis, nupsisse dicitur Henrico VI imperatori.

At nos supra, rationem Barclaii nullius roboris esse demonstravimus : quoniam de jure divino est, ut inferior obediat superiori, quamdiu superior est : sed si desierit esse superior, desinet etiam præceptum de obedientia illi exhibenda. Id quod ostendimus ex multis similibus : siquidem juris divini est, non solum, ut populus obediat regi ; sed etiam ut filii obediant patri, servi domino, uxores marito : et tamen si filius emancipetur, et servus libertate donetur, et uxor per divortium, aut repudium a marito separetur, non amplius tenentur lege illa divina : quemadmodum etiam promissio jurata jure divino servanda est et tamen si is, cui promissio facta est, eam remittat, non tenebitur eam implere qui promisit. Restitutio jure divino sancita est, at tamen si creditor debitum remittat, restitutionis obligatio nulla restat ; atque exempla similia plurima possent adduci. Sic igitur, jure divino tenetur populus regi servire, dum rex est : sed si rex desinat esse, quod multis modis fieri potest, nulla remanet obligatio servitutis, aut obedientiæ ; non est autem de jure divino, et rex justis de causis deponi non possit : multoque minus juris divini est, ut summus Pontifex declarare non possit, regem hæreticum non esse legitimum regem, nullamque ei deberi a fideli populo obedientiam.

Quod autem attinet ad cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum, res facilis est : id enim solum innocentius docet, non posse consistere matrimonium, et proprietatem rerum cum statu monachorum ; cum ad essentiam vitæ monasticæ pertineant continentia, et paupertas. Itaque non poterit summus Pontifex facere, ut idem monachus sit, et conjugatus : idem monachus, et dives opum in particulari. Aliud autem est, utrum possit summus Pontifex dispensare cum monacho, ut transeat a vita monastica ad vitam sæcularem, et sæcularis effectus matrimonium inire possit, et opes proprias retinere, de hoc enim varie sentiunt doctores. De Constantia vero Rogerii regis filiæ fabulam esse existimamus, quod sanctimonialis, et vetula cum esset, dispensatione Clementis III. nupserit Henrico VI. Nam Gotefridus Viterbiensis, qui Henricum VI. in litteris, et moribus instituebat, scribit, nuptias Henrici cum Constantia celebratas Mediolani anno salutis 1186. sedente in Apostolica Sede Urbano III. et ipsa Constantia annum trigesimum agente, ex quo sequitur, ut falsum sit dispensasse cum ea in votis monasticis Clementem III. vel, ut alii dicunt, Cœlestinum III, ut alii, Alexandrum III; nam hic jam obierat, illi nondum sedere cœperant : falsum quoque sit, eam nupsisse cum esset vetula annorum supra quinquaginta : falsum denique fuisse antea sanctimonialem, cum id nullus scribat ex iis, qui eo tempore vixerunt. Vide Card. Baronium tom. XII. Annalium ad annum 1186.

CAPUT XXVII.

Utrum votum, an juramentum magis obliget.

In cap. 27. Barclaius, ut causæ suæ undique adjumenta conquirat, confert votum monachorum cum juramento illo, quo populi regibus fidelitatem, et obedientiam pollicentur. Ac dicit, Pontificem ex aliquorum Doctorum sententia dispensare posse in votis monachorum, sed etiam si hoc detur, non esse admittendum, ut dispensare possit in juramento, quo populi ad regis obedientiam se adstringant. Videtur igitur sentire Barclaius majus vinculum juramenti esse, quam voti, cujus tamen contrarium diserte sanctus Thomas in 2. 2. qu. 89. art. 8 et omnis fere schola theologorum in Sent. dist. 39. Votum enim est promissio facta Deo : juramentum est confirmatio promissionis homini factæ : magis autem tenetur homo implere promissionem factam Deo, quam homini. Deinde qui votum violat, infidelis est Deo : qui juramentum frangit, crimen irreverentiæ in Deum committit : gravius autem crimen infidelitatis est, quam irreverentiæ : cum infidelitas omnis erga superiorem irreverentiam conjunctam habeat, non omnis irreverentia infidelitatem. Igitur gravius peccat votifragus, quam juramenti violator : proinde magis obligat votum, quam juramentum. Denique votum res est absolute bona; juramentum bonum est necessitate cogente : alioqui Dominus Matth. v. dicit : *Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Et Jacobus in epistola sua cap. 5. *Ante omnia*, inquit, *fratres mei nolite jurare :* nusquam autem legimus, nolite vovere ; sed contra, rex et propheta David hortatur, dicens in Psal. LXXV. *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (1). Igitur votum nobilius juramento est, ac per hoc gravius peccat qui votum frangit, quam qui juramentum violat ; proinde magis obligat votum, quam juramentum : quare si summus Pontifex dispensare potest in votis, multo magis poterit in juramento.

Sed Barclaius resistit hac ratione : « Totus ordo monachalis, aliique in Ecclesia, ut quidam volunt, ab humanis constitutionibus, et jure positivo profecti sunt, in quos idcirco plena, et omnimoda potestas Pontifici est, uti superius paulo dixi nus : at submissio et obedientia regibus, ac principibus, atque omnibus omnino præpositis, et superioribus debita, est juris naturalis, et divini utroque testamento confirmata. Nam licet de humano jure sit, ut hac, aut illa reip. forma utamur, vel hunc, aut illum Principem habeamus ; tamen ut eum, quem semel accepimus, revereamur, eique in omnibus, quæ Dei mandatis non repugnant, submisse pareamus, non humanæ solum, sed naturalis, et divinæ est ordinationis. »

Respondeo : Hoc argumentum ab omni parte nutat : nihil enim solidi, nihil firmi habet. Nam quod totus ordo monachalis ab humanis constitutionibus, et jure positivo profectus sit, non modo falsum, sed etiam hæreticum est, siquidem consilia Evangelica, in quibus ordo monasticus fundatur, non ex humana constitutione, sed ex ipso ore Domini, ac Dei nostri Jesu Christi profecta sunt : de qua re fuse tractavi in lib. de monachis, neque id ullus Catholicus negat. Deinde vota ipsa monastica, in quibus essentia Monasticæ vitæ consistit, juris esse divini, non modo Catholici omnes docent, sed et ipse Barclaius paulo ante confessus est. Unde ergo nunc totum ordinem mona-

(1) Matth. V, 34 ; V, 12 ; Psalm. LXXV, 12.

sticum ab humanis constitutionibus, et jure positivo profectum esse dicit ? Præterea, si, ut ipse in hoc suo argumento assumit, submissio regibus, ac principibus, atque omnibus præpositis, et superioribus debita, est juris naturalis, et divini in utroque testamento confirmata ; ergo submissio monachorum suis præpositis, et superioribus debita, est juris naturalis, et divini, in utroque testamento confirmata. Unde igitur Barclaius colligit, posse Pontificem dispensare in obedientia, et submissione monachorum erga suos præpositos, et superiores ; et non posse in obedientia, et submissione populorum erga reges, et principes, cum utraque sit juris naturalis, et divini in utroque testamento confirmata ? quia etiam cum obedientia monachorum habeat votum, idque solemne adjunctum ; et obedientia populorum simplici juramento confirmata sit : videtur omnino facilius posse dispensari per Summum Pontificem, in obedientia populorum, quam monachorum, cum voti vinculum majus sit, quam juramenti, ut theologi docent. Denique quemadmodum Barclaio teste juris humani est, qua forma reip. utamur, et hunc aut illum principem habeamus ; sed postcaquam aliquem accepimus in principem ut ei pareamus, juris divini est : sic etiam juris humani est quo ritu, et forma vivendi monachi utantur, et hunc aut illum præpositum habeant ; et tamen ut ei, quem in præpositum semel susceperunt, submisse pareant, juris divini est. Ergo omnia paria sunt, neque ulla est ratio cur possit summus Pontifex in uno dispensare, et non in altero, id est, cur possit monachos a vinculo obedientiæ præposito suo promissæ absolvere, et non possit absolvere subditum a vinculo obedientiæ regi suo promissæ.

Pergit Barclaius, et argumentum texit ex natura voti, et juramenti : quod argumentum, quia non multum ad rem facit, et tamen verbosissime ab ipso proponitur, ego in pauca contraham, ut vis argumenti quanta sit appareat : sic igitur ille ratiocinatur : Votum est promissio facta Deo, et Ecclesiæ, proinde creditur principalis est Deus : potest autem Pontifex, qui Vicarius Dei est, et caput Ecclesiæ loco Christi, declarare non displicere Deo, et Ecclesiæ, ut promissio illa ob justam aliquam causam, et magis Deo gratam, quam sit promissionis illius adimpletio, remittatur, et condonetur ei, qui voverat. At juramentum quo pactum aliquod, vel sponsio obsignatur, non facit Deum proprie creditorem, sed hominem, cum quo pacto initum, et cui promissio jurata facta est, quod ex eo perspicuum est, quod homo creditor potest etiam sine ulla causa liberare debitorem, et juramento solvere ; si illi promissionem sibi factam libere remittere velit : neque hic habet locum interpretatio, aut declaratio summi Pontificis, cum homo ipse creditor per se loquatur. Ergo non potest summus Pontifex homines a juramento solvere, quoniam privaret creditorem invitum obligatione sibi optimo jure quæsita, et omni jure divino, et humano licita.

Respondeo : Quando summus Pontifex solvit homines juramento, non tollit jus quæsitum ex justa, et licita obligatione : sed vel declarat obligationem, et promissionem fuisse, vel factam esse illicitam, ut cum absolvit populos a juramento fidelitatis præstito principi hæretico, vel qui postea in hæresim lapsus est : aut tollit vinculum juramenti, relicta promissione in suo vigore, ad eum finem tantum, ut possit, qui promiserat, sine periculo sacrilegii prosequi jus suum coram legitimis judicibus.

Sed hæc Barclaio non erant incognita, ut qui juris prudentiam præcipue profiteretur : ideo subjungit : « Sed esto auferre ex causa possit, et promissionem jurisjurandi vinculo liberare (de hac re amplius cum canonistis hic contendam) auferat igitur ; quid ei deinde facto consequens in nostro hoc negotio videtur ? liberum fore populum, dices, ab imperio, et subjectione principis, statim atque jurisjurandi nexu solutus est. Ita ne vero ? an non perspicis, jusjurandum hoc non esse nisi accessionem tantum confirmatricem illius obligationis, qua fides, et obedientia principi promissa est, an ignoras accessiones tolli, et liberari posse sine interitu principalis obligationis ? Manet ergo adhuc obligatio, cui jusjurandum accesserat : quæ quoniam juris naturalis, et divini est, non minus tenet hominum mentes, et conscientias apud Deum, quam si esset juramento sustentata ».

Respondeo : Potest quidem, ut supra dixi, tolli vinculum juramenti, etiamsi non tollatur promissionis obligatio. Sed quando summus pontifex propter hæresim, aut aliam justam causam, solvit populos a juramento fidelitatis, simul etiam solvere solet a vinculo promissionis, ac jubere, ut populi non amplius obediant ei, cui promissionem obedientiæ fecerant : posse autem id Pontificem, ut Christi Vicarium, præstare, nos supra ex doctoribus, et conciliis, et ex ipsis etiam divinis litteris ostendimus, et ante multos annos idipsum quinque rationibus theologicis ostendimus : neque Barclaius omnibus suis argumentis, et cavillationibus aut rationes refellere potuit. Nam quod hoc loco iterum repetit, et inculcat, obligationem parendi regibus esse juris naturalis, et divini, non semel a nobis explicatum est, id esse intelligendum de obligatione parendi regibus, dum reges sunt : non esse autem juris naturalis, et divini, ut rex non possit regno privari, si hæreticus efficiatur, et ratio manifesta, et usus frequens apertissime demonstravit.

« At, inquit Barclaius, hoc axiomate Bellarminus præcipue nititur, dum vult ostendere, Papam non posse subjicere se ipsum sententiæ coactivæ conciliorum quoniam (inquit lib. II. de Conciliis, cap. 18.) Papæ potestas super omnes est de jure divino : non autem potest Papa dispensare in jure divino. »

Respondeo : Si Papa se ipse subjiceret sententiæ coactivæ conciliorum, aut principum quorumcumque, vere subjiceret superiorem inferioribus, ac per hoc cum divino, et naturali jure pugnaret : nam jure divino Papa est Pastor, et Pater, et Præpositus omnium Christianorum, ac per hoc superior omnibus, qui oves, et filii, et subditi ipsius sunt : et jure etiam divino superior ab inferiore judicari non potest judicio saltem coactivo. At vero cum Papa judicat regem, vel etiam deponit, nihil agit contra jus divinum, quoniam superior inferiorem judicat, pastor ovem, pater filium, præpositus subditum, quod est juri divino, et naturali rationi maxime consentaneum. Quamvis enim reges in temporalibus non agnoscant superiorem temporalem, vel etiam nullum agnoscant directe nisi Deum : tamen agnoscere debent superiorem spiritualem, cujus potestas ad temporalia se extendit, quatenus ea spiritualibus subordinantur, ut supra non semel dictum est.

Ad extremum sic loquitur Barclaius : « Ne qua erremus, tenendum est, Apostolicæ potestatis plenitudinem eam tantum potestatem complecti, quam Dominus Jesus Dei filius, cum in hoc mundo versaretur, ut homo inter homines habere voluit : et eatenus Papam nobis Christum referre, et ejus esse Vicarium ; non autem potestatem illam, quam ut Dei filius, Deus ipse Patri æqualis ab æterno habuit, et divinitati suæ omnipotentiæ reservavit, de qua ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra* ».

Respondeo : Non admitto solum, quod Barclaius hic postulat, plenitudinem Apostolicæ potestatis, non esse parem omnipotentiæ divinitatis Christi : sed addo etiam, non esse omnino æqualem illi potestati, quam in terris habere voluit, et habuit Christus, ut homo. Christus enim etiam dum mortalis cum mortalibus versaretur, habuit potestatem, quam Theologi vocant excellentiæ, per quam sacramenta instituere poterat, et sine sacramentis peccata remittere, et alia id genus, ad quæ plenitudo potestatis Pontificiæ non pertingit. Itaque non sum de numero eorum de quibus ait Joan. de Turrecremata scripsisse, in can. Conjunctiones 35 quæst. 2. Mirum est, quod summi Pontifices loquantur moderate de potestate eis data, et quidam doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt adulando eos quasi æquiparare Deo. Nihilominus tamen securus affirmo, potuisse Dominum nostrum Jesum Christum tempore mortalitatis suæ, disponere de temporalibus omnibus, et reges, principes regnis dominisque privare, et hanc potestatem Vicario suo sine dubio concessisse, ut ea utatur, quando necessarium judicaverit ad animarum salutem, quæ illi præcipue curæ esse debet.

CAPUT XXVIII.

Digressio circa sententiam cap. Inter corporalia, de translatione Episcopi.

In cap. 28, invehitur Barclaius in Canonistas, quos dicit potestatem omnem divinam, et humanam Pontifici attribuere, ex oratione veræ sententiæ verborum Innocentii III. Pontificis, quæ habentur cap. inter corporalia, de translatione Episcopi. Ibi enim Innocentius dicit, fortius esse vinculum conjugii spirituale, quod est inter Episcopum, et Ecclesiam, quam sit vinculum conjugii carnalis inter virum, et mulierem. Et quoniam vinculum conjugii carnalis homo solvere non potest, juxta illud Matth. XIX. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, Vinculum autem conjungii spiritualis non raro Papa dissolvit : videtur sequi, ut, aut falsum scripserit Innocentius, aut Papam Deo æquare voluerit.

Sed quoniam hæc disputatio ad institutum nostrum non pertinet, et Barclaius, ideo solum hanc digressionem libro suo inseruit, ut occasionem haberet Canonistas carpendi : nam, et in hoc capite audacter scribit, nihil esse meris Canonistis imperitius ; et in cap. sequenti non veretur dicere, Innocentium IV. et Joannem Andream canonistarum facile principes ineptissime hunc locum Innocentii III. explicavisse : propterea non ero in hoc capite confutando prolixior. Nam neque canonistæ, inter quos multi viri doctissimi inveniuntur, defensione mea indigent, neque ego scientiam canonum ita calleo, ut audeam me patronum canonistarum profiteri. Illud unum annotare placuit, Barclaium calumniatorem videri, dum dicit canonistas summo Pontifici divinam auctoritatem ex verbis Innocentii perperam intellectis, tribuere. Id enim tantum abest a vero, ut contra potius nonnulli eorum propter istum canonem Pontifici detrahere, aut illum colligere, non vereantur. Glossa certe, ubi Innocentius dicit, fortius esse vinculum spirituale, corrigit, dicens, dignius, non fortius : et Ostiensis in Summa, de Elect. num. 21. ut ipse hoc loco Barclaius refert : Illa, inquit, ratio non est sufficiens, salva auctoritate, et reverentia reddentis. Denique neque Innocentius IV. neque Jo. Andreas, neque Abbas Panormetanus, neque Ancaranus, neque ullus alius ex iis quos videre potui, ex verbis Innocentii III. divinam potestatem summo Pontifici tribuunt, ut Barclaius calumniatur.

CAPUT XXIX.

De vero sensu cap. Inter corporalia, de translatione Episcopi.

In cap. 29. Barclaius rejectis aliorum explicationibus, profert sententiam suam de vero sensu cap. Inter corporalia, de translatione Episcopi : et in summa dicit, verba hujus capituli pugnare cum mente legislatoris, ut aliud Pontifex senserit, aliud scripserit. Hoc autem, quid aliud est, nisi Pontificem facere vel ignorantem, qui nescierit mentem suam explicare, vel malignum, qui voluerit mentiendo lectores decipere ? At fuit Innocentius omnium consensu Pontifex optimus, et sapientissimus, ut procul ab eo abfuerit tum ignorantia, tum malignitas. Dicamigitur quid mihi videatur Pontifex in hoc obscuro capitulo docere voluisse ; et nisi fallor, ostendam, verba capitula non tantum in se esse verissima, sed etiam ad mentem Pontificis explicandam aptissima. Fortius esse dicit Pontifex vinculum conjugii spiritualis, quam carnalis. Id esse verum probatur hac ratione, quoniam vinculum conjugii spiritualis non potest in totum solvi, ne per mortem quidem, semper enim manet impressus character Episcopalis, qui nulla vi deleri potest : vinculum autem conjugii carnalis per mortem ita solvitur, ut si maritus defunctus ad vitam rediret ; non posset uxorem repetere, quam vivens duxerat, doctrina est Apostoli ad Roman. VII. Deinde vinculum conjugii spiritualis a solo Pontifice Maximo solvi potest, non quidem omnino, ut diximus, sed in ordine ad Ecclesiam particularem cui junctus erat. Solus enim Christi Vicarius Episcopos transferendo, vel deponendo, vel facultatem renunciandi tribuendo, solvit a vinculo, quo Ecclesiæ sunt tenebantur obstricti : vinculum autem conjugii carnalis non solus Papa, sed ipsi etiam contrahentes aliquando licite, libereque dissolvant. Siquidem matrimonium ratum, non consummatum potest alter conjugum jure solvere, si ordinem religiosum profiteri velit, ex concilio Trid. sess. 24. can. 7 neque in hac re ullam a Summo Pontifice facultatem petere debet. Item matrimonium inter infideles contractum, et consummatum, quod utique verum matrimonium est, potest dissolvere alter conjugum, si ad fidem Christianam convertatur altero conjuge in infidelitate remanente, ex Apostolo I Cor VII. Item in testamento veteri, matrimonia etiam consummata passim ipsi conjuges per libellum repudii dissolvebant, neque Pontificis auctoritatem expectabant, ex Deuteronom. cap. XXIV. Denique matrimonia rata, et consummata fidelium solvi possunt quoad thorum, et cohabitationem, certis de causis, ab Episcopis particularibus ; matrimonium spirituale, ne quoad cohabitationem quidem ab alio, quam a Summo Pontifice solvi potest. Ex his igitur manifeste colligitur vinculum spirituale conjugii, quod a solo Pontifice solvi potest, firmius ac fortius esse, quam vinculum conjugii carnalis, quod ab ipsis conjugibus, vel ab inferioribus Sacerdotibus solvitur. Atque huc respexisse videtur Innocentius Pontifex, cujus propositum in eo capitulo erat docere, translationes Episcoporum sine Pontificis Maximi consensu fieri non posse.

CAPUT XXX.

Respondetur ad objectiones contra primam partem rationis quintæ pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

In cap. 30. Barclaius post longas digressiones revertitur ad primam partem rationis quintæ Bellarmini, quam in cap. 25. sibi refutandam susceperat. Ait igitur :

« Admittimus quidem ejus propositionem, Pastori scilicet necessariam esse potestatem circa lupos, ut eos arceat omni ratione qua potest. Admittimus et assumptionem, lupos videlicet, qui Ecclesiam Dei vastant, esse hæreticos. Ex quibus concludi hoc modo : Ergo si princeps aliquis ex ove, aut ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, et simul jubere populo ne eum sequatur, ac proinde privare eum dominio in subditos. Vitiosa collectio, cujus loco in bona dialectica reponendum est : Ergo si princeps aliquis ex ove, aut ariete fiat lupus, potest princeps Ecclesiæ eum arcere omni ratione qua potest. »

Respondeo : Nullum hic est vitium, sed compendio dictum est, quod longiori circuitu dici potuisset : cum ratio, qua potest, et solet Pastor Ecclesiæ hæreticos, quasi lupos ab ovili suo arcere, ista est, ut per sententiam excommunicationis eos removeat a commercio Catholicorum, et per absolutionem a vinculo subjectionis efficiat, ne populus Catholicus principem hæreticum deinceps sequatur. Neque propositum mihi fuit in libris scribendis, syllogismos proprie formare secundum figuras et modos, ut in scholis faciunt, qui de proposita quæstione, exercendi gratia disputant : sed vim rationum explicare, atque ostendere, ut alii faciunt, qui libros theologicos scribunt.

At, inquit Barclaius, potest quidem Pastor Ecclesiæ jure suo excommunicare regem hæreticum : sed absolvere populum a juramento fidelitatis, aut jubere ne populus Catholicus regem hæreticum in rebus politicis sequatur, jure non potest, cum hoc juri divino, et naturali repugnet.

Ac ne illi fortasse objiciamus, quod non servaverit formam argumentandi, format hunc syllogismum.

« Summus Pontifex nihil præcipere, vel dispensare potest contra jus naturale, et divinum : atqui subjectio, et obedientia principibus, et superioribus debita, est de jure naturali, et divino : ergo summus Pontifex nihil contra eam præcipere, vel dispensare potest : et per consequens non potest præcipere subditis ne principi suo temporali obediant in eo ; in quo princeps est, et superior, et si de facto præceperis, licebit subditis, tamquam extra territorium jus dicenti, impune non parere. Utrumque propositum est certo certius, ex quibus conclusio necessaria consecutione inducitur. Qui hujus argumenti vim enervaverit, is magnam mecum gratiam inibit. Ego mehercle, ut ingenii mei tenuitatem ingenue fatear, non satis perspicio, qua possit solida ratione elidi. »

Respondeo : Hæc sunt omnia refutata in cap. 26. neque aliquid novi Barclaius attulit hoc loco, sed aliis, et aliis verbis more suo eadem repetivit. Sed ne queratur nihil nos ad insolubilem ejus demonstrationem in forma respondisse, distinguo assumptionem : nam cum assumit : Atqui subjectio, et obedientia principibus, et superioribus debita de jure naturali, et divino ; si intelligat de principibus, et superioribus, pro tempore quo principes, et superiores legitimi sunt : verum assumit, sed nihil inde concludere potest : nam principes hæretici post sententiam Summi Pontificis declarantis illos excommunicatos et depositos, non sunt amplius legitimi principes, vel superiores : sin autem intelligat de principibus, et superioribus, pro quocumque tempore, etiam post abrogatum illis imperium ; falsum assumit, neque de hac re ullum esse dubium potest. Nam jure divino tenentur subditi non solum obedire regi tamquam præcellenti, sed etiam ducibus, tamquam ab eo missis, ut scribit S. Petrus in prior. epist. cap. 2 ; et tamen postea quam rex abrogavit duci potestatem, non tenentur amplius illi obedire, quemadmodum neque ipsi regi obedire tenentur, quando jure a regni solio dejectus est. Quare Barclaius si aliquid solidi afferre voluisset, debuisset probare, principes terræ cum semel principatum adepti sunt, jure divino in principatu ita stabilitos esse, ut nulla vi, nulloque jure dejici possint a Principatu : hoc autem, in quo totius vertitur cardo quæstionis, numquam probare potuit.

Sed dicet, esto Principes deponi possint, non tamen deponi possunt, nisi a superiore

Respondeo : Papam omnino superiorem esse cum sit Vicarius Jesu Christi, non puri hominis, sed Dei et hominis, ac per hoc sit vice Christi pastor, et pater, et rector, et caput omnium Christianorum, etiam principum, regum, et imperatorum, ut sæpe dictum est, et ex ipsis divinis litteris manifeste deducitur.

« At, inquit Barclaius, Papa quidem superior est, sed non in eadem specie superioritatis : superior enim est regibus, et principibus in rebus divinis, et spiritualibus : in temporalibus autem fatentur ipsi pontifices, se regibus superiores non esse, ut notum est ex cap. Per Venerab., Qui filii sint legitimi. Ubi Pontifex dicit, regem non habere superiorem in temporalibus. »

Respondeo : Jam hæc omnia supra esse tractata, et discussa : ostendimus enim Pontificem superiorem esse regibus etiam in temporalibus, quando propter spiritualia necesse est disponere de temporalibus, quæ spiritualibus subordinata esse debent : idque ostendimus ex communi sententia doctorum, allatis testimoniis supra septuaginta ; item ex conciliis Ecclesiæ generalibus non paucis, denique ex ratione in divinis litteris fundata adversus quæ nihil attulit Barclaius, nisi clamores tragicos, et verba turgida, sed nania. Quod autem Innocentius scribit, reges non habere superiorem in temporalibus, verissimum est in eo sensu, in quo id Innocentius dicit, quod videlicet sint reges, supremi principes temporales, neque habeant super se alios reges, vel imperatores, excepto Deo, qui est rex regum, et Dominus dominantium : sed hoc non prohibet, quo minus habeant reges superiorem spiritualem tanta præditum potestate, ut possit temporalia dirigere ad spiritualia, cum ordinis ratio postulet, ut potestas temporalis subjecta sit spirituali, quando in unum conveniunt, et unam Ecclesiam faciunt, quomodo corpus in homine subjicitur spiritui, et ab eo regitur, et, ubi opus est, corrigitur, et castigatur.

Subjungit postea Barclaius longissimam apostrophem populorum ad Pontificem, in qua quod ipse millies repetivit, iterum repetendo tribuit populis ; quæ imperitos, et leves permovere forsitan possint : sed homines cordati, et prudentes facile intelligent, hæc esse refugia miserorum, qui quod viribus obtinere non valent, ea gemitibus, et importunitate extorquere conantur. Verumtamen ne lector existimet, nos laborem respondendi subterfugere velle, aut quæ Barclaius in persona populi dicit, majora esse, quam re vera sint, instituam responsionem per modum dialogi, et populum verbis Barclaii loquentem, et Pontificem verbis meis respondentem inducam.

CAPUT XXXI.

Dialogismus inter Populum nimis addictum regi terreno, et pontificem populo salubriter consulentem.

Pop. — Pater sancte, nequaquam es rege nostro in temporalibus superior : ideoque non potes obsequium temporale, quod illi præstamus, impedire.

Pont. — Quando salus tua æterna in periculum adducitur propter obsequium temporale, quod regi præstas ; tunc omnino superior sum rege tuo etiam in temporalibus : nam et illum, et te ad vitam æternam dirigere debeo ; et omnia impedimenta de medio tollere, quæ hoc iter impediunt.

Pop. — Cur nos facere prohibes, quod Deus nos facere imperat ?

Pont. — Absit ; non hoc prohibeo, sed contra potius impero, ne facias, quod Deus te facere prohibet. Ego pastor sum a Christo, qui Dominus gregis est, constitutus. Vos populi, oviculæ estis, reges vestri arietes sunt. Itaque dum reges vestri arietes esse perseverant, sino ut vos regant, et ducant : sed si vertantur in lupos, æquum ne erit, ut patiar duci oves Domini mei a lupis ? Itaque jure veto, ne illos sequamini : nam et hoc Dominus vetat, quoniam cum nimis grandi periculo oviculæ reguntur a lupis.

Pop. — An quia tuum est, voluntatem Dei in lege divina, et Scripturis comprehensam interpretari ?

Pont. — Tu dixisti.

Pop. — At non est tamen illa interpretatio adhibenda, quæ legem penitus evacuet, et mandatum omnino destruat, ac dissolvat.

Pont. — Quam legem Dei interpretando destruximus, aut dissolvimus unquam, vel prædecessores mei, vel ego ?

Pop. — Si quid dubii, aut obscuri est in lege divina, ad sedem Petri, id est, ad sedem, quam tu nunc tenes, interpretationis veritatem accepturi confugimus : quod autem per se clarum est, et perspicuum, id nulla interpretationis luce indiget.

Pont. — Quid tum ?

Pop. — Cum Dominus, et Salvator noster jubeat, nos reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris et quæ sunt Dei Deo : et deinde per Apostolum principibus, et potestatibus subditos esse, et dicto obedire : tuum est nobis declarare, quæ sunt Cæsaris, id est, quæ a nobis regi nostro debeatur, et quæ sunt Dei, ut sua utrique reddamus ; et in ea distinctione vocem tuam libenter audiemus. At cum dicis, nolite quidquam Cæsari, sive principi vestro reddere, contradicis Christo, ac proinde vocem tuam non audimus.

Pont. — Quando Dominus dixit : Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, jussit censum dari ei, qui tunc imperabat, neque Judæos ad idololatriam cogebat, neque adhuc erat ab ulla legitima potestate depositus : quod idem jussit multo antea per Hieremiam Prophetam Deus fieri erga Nabuchodonosor regem Babylonis propter eamdem causam, sed cum tempore Machabæorum Antiochus rex populum avertebat a fide, et Religione divina, non jussit Deus ut eum pro rege habere pergerent, sed inspiravit Mathathiæ, et filiis ejus, viris fortissimis, ut exercitu congregato bellum cum Antiocho tamquam cum hoste gererent, et populum in libertatem vindicarent. Sic igitur et tu, populo Christiane, regi legitimo, et qui a lege Dei, et Catholica Religione te non avertit, quique propterea a me Christi Vicario amatur ut filius, reddes obedientiam debitam, in iis, quæ contra legem Dei, et fidem Catholicam non jubebit. Regem autem, qui te sive blanditiis, sive alio modo a via, quæ ducit ad vitam, revocare conatur, et per sententiam meam a cœtu piorum ejectus, et regno privatus est, pro rege non habebis ; sed obedientiam civilem regi debitam alteri exhibebis, qui in ejus locum legitime successerit. Porro Deo, quæ Dei sunt reddes, quando fide, spe, et charitate Deum coles, neque ullius hominis timore, vel amore separari te sines. Itaque numquam ex me audies, nolite quidquam Cæsari aut principi vestro reddere, sed hoc audies, nolite seduci, ut etiam pro Cæsare, aut principes vestro habeatis, qui re vera Cæsar, et princeps esse desiit.

Pop. — Fatemur quidem, et profitemur sanctitatis tuæ expositioni atque interpretationi in legis divinæ observatione locum esse : sed eam non admitti asserimus, quæ facit ut jus naturale, et divinum sit ludibrio, et penitus contemnatur, veluti ne a re, de qua agitur, aberremus : jubemur principibus, et potestatibus obedire : tuas in hujus mandati observatione explicationes, et restrictiones, quæ modo mandatum ipsum non extinguunt, tamquam filii obedientes libenter amplectimur : veluti cum nullam inde obligationem parendi regibus oriri dicas, nisi in iis, quæ ad temporalem ipsorum jurisdictionem pertinent, spiritualia omnia Vicario Christi, atque Ecclesiæ reservanda esse. Item cum admones non esse regi obediendum in eo, quod contra jus divinum, vel naturale imperat, aut quod alioqui bonis moribus adversatur. At quando simpliciter, et absolute præcipis, ne principi nostro legitimo, ejusve monitis, mandatis, et legibus ullo modo obediamus : præcepto tuo parere non possumus, quia hoc non est mandata Dei interpretari, quod sanctitati tuæ conceditur : sed penitus antiquare, et abrogare, quod nullo modo potes.

Pont. — In multiloquio non deerit peccatum : videris enim ex Barclaii alicujus schola prodüsse, dum tot verba sine ratione multiplicas : gravius autem peccas dum doctorem tuum docere, et legislatori legem dare præsumis : sed gravissime delinquis, et erras, dum Christi Vicario imponis, quod faciat jus naturale, et divinum ludibrio haberi, quodque mandatum Dei de obedientia principibus debita antiquare, et abrogare velit, nusquam enim ego, aut prædecessores mei simpliciter, et absolute (ut tu loqueris) præcepimus, ne principi legitimo, ejusve monitis, mandatis, et legibus ullo modo obediatur. Istæ calumniæ, et imposturæ sunt doctoris tui Barclaii : quod enim dicimus, et docemus, hoc est, ut principi ab Ecclesia, publica auctoritate excommunicato, et deposito, qui proinde legitimus princeps esse desiit, nulla deinceps obedientia deberetur. Id vero cum nullo divino mandato pugnat : divinum enim mandatum non hoc habet, ut ei, qui princeps legitimus esse desiit, obedientia deferatur. Tu vero diligenter attende, et expende, utrum majorem fidem habere debeas patri tuo, Christi Vicario, et matri tuæ Ecclesiæ ; an uni falso fratri, qui te seducit, ac facit, ut contra mandatum Dei, patri, et matri non obedias : dum obedientiæ regiæ zelum sine scientia vis habere.

Pop. — Christus cum claves regni cœlestis Petro tradidit, non dedit ei potestatem faciendi de peccato non peccatum.

Pont. — Nescis quid loquaris : siquidem in bono sensu dedit Christus Petro potestatem faciendi de peccato non peccatum, et de non peccato peccatum : peccatum est inire matrimonium in gradu prohibito, non jejunare in quadragesima, die festo laborare serviliter, et tamen hæc omnia, et alia id genus plurima, dispensante Petro auctoritate clavium sibi datarum, peccata esse desinunt; contra vero potest Petrus addere novum gradum consanguinitatis et affinitatis, addere novum diem jejunii, addere novum diem festum, et hinc fient peccata, si quis in gradu illo addito conjugium contrahat, aut diebus additis non jejunet, aut ab opere servili non se abstineat, quæ tamen antea peccata non fuissent. Sic igitur peccatum fuisset regi tali, vel tali non obedire, et tamen si per claves Petri ille talis rex hæreticus declaretur, excommunicetur, et deponatur, jam non erit peccatum illi non obedire. Verum est tamen clave Petri ad id non se extendere, ut possit summus Pontifex declarare, non esse peccatum quod est peccatum, aut esse peccatum quod peccatum non est; id enim esset dicere malum bonum, et bonum malum : quod longissime abest, et semper abfuit, et aberit a doctrina illius, qui Ecclesiæ præest, quæ est columna : et firmamentum veritatis.

Pop. — Nos igitur communem Canonistarum doctrinam in hac parte sequemur, qui tradunt, mandato Papæ non esse parendum, si vel injustum sit : vel ex eo multa mala, seu scandalum verisimiliter exstaturum, aut turbatio status Ecclesiæ, et reipub. Christianæ oritura, et ideo si Papa mandaret Religiosis aliquid, quod esset contra substantiam ordinis, id est, quod repugnaret regulæ ab iis professæ, ut interpretatur Felinus, id cap. Accepimus de fid. instrum. et cap. Si quando, de rescrip., non tenentur ei obedire : ut idem Innocentius docet in cap. Ne Dei, de simonia, quem refert, et sequimur Martinus de Corazius, in tract. de Principibus quæst. 498. et Felinus dicto cap. Si quando, et dicto cap. Accepimus : quanto igitur minus debent regum subditi Pontificem, eos ab obedientia jure divino, et naturali regi suo debita, et arctissimo juris jurandi fœdere sancita, retrahere conantem audire ?

Pont. — Quæ sit communis sententia non solum canonistarum, sed etiam theologorum, et juris civilis peritorum, imo et ipsorum sacrorum conciliorum discere poteris ex prolegomenis hujus libri, ubi communi consensu affirmatur jure posse a Summo Pontifice justis de causis regem excommunicari, et deponi et subditos ab omni obedientiæ et fidelitatis vinculo liberari. Non est autem credibile, Canonistas omnes secum ipsos pugnare. Cum ergo dicunt aliqui Canonistarum non esse obediendum Pontifici quando mandatum ipsius injustum est, aut scandalorum, et perturbationis causa ; primum, non loquuntur de Pontifice ex Cathedra docente Ecclesiam universam : deinde non loquuntur absolute, sed conditionaliter, id est, si id fieret, si forte contingeret, ut Pontifex alicui particulari homini mandaret aliquid contra legem Dei ; tunc enim nota est S. Petri doctrina Act. v : Obedendum est Deo magis, quam hominibus. Sed quando Pontifices prædecessores mei, ut Gregorius VII., Innocentius IV. et alii principes magnos excommunicare, ac deponere, et subditos eorum ab obedientia liberare voluerunt, id fecerunt ex Cathedra, in concilio, publica cæremonia, ex auctoritate Dei, et sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli sibi divinitus communicata : proinde, qui dicit, non esse obediendum Vicario Christi, ita præcipienti, is universam condemnat Ecclesiam, et non jam canonista, quam canonum depravator dici debet, et quamquam non existimamus ullum bonum canonistam in hunc errorem incidisse : tamen si quis esset, secure posset fidelis Christianus, et prudens uni, vel alteri canonistæ conditiones canonum anteponere : quod autem dicis, jure divino, et naturali deberi obedientiam regibus : Verum est de regibus legitimis, et nondum per sententiam judicis depositis : et quoniam ab horum, non ab illorum obedientia te retrahimus ; propterea vel falsum nobis imponis, vel frustra de nobis quereris.

Pop. — Si ob eam causam non jubes regis nostri jugum abjicere, quod per obedientiam illi exhibitam, spirituale bonum impediatur ; respondemus, id quicquid est mali, ex quodam accidente evenire, sive per accidens fieri : malum enim ex bono, aut bonum ex malo per se oriri non potest : accidens autem illud dolenter ferimus, sed impedire non possumus. Nos officium regis debitum Dei jussu persolvimus, et secundum patientiam boni operis gloriam, honorem, et incorruptionem quærimus, ille si debito sibi obsequio, et tanto Dei beneficio abutatur, Deum supra se judicem, et vindicem acerrimum sentiet : nobis non licet officium deserere, et Dei mandatum præterire, ut bonum inde, quantumvis magnum consequatur, ne eam, quam Apostolus nunciat, nobis ipsis acquiramus.

Pont. — Videtur tibi satis apte convenire, quod Spiritus sanctus per os David prophetæ, et regis ait : Noluit intelligere, ut bene ageret : siquidem detrimentum spirituale, id est, periculum subversionis animarum, quod est annexum obedientiæ ad regem hæreticum, præsertim quando is rex fidem Catholicam moliatur evertere, sufficiens causa est Vicario Christi, qui super totam Christi familiam constitutus est, ut regem illum excommunicationis sententia feriat, et dominio illo privet, quod super fideles habebat. Ubi vero rex, alioqui legitimus, ob detrimentum spirituale regno privatus est, per sententiam ejus, qui Ecclesiam universam regit, non solum non tenetur populus illi parere, sed tenetur non parere ; ac per hoc cum illi jure deposito obedientiam præbet, non per accidens, sed per se causa est mali, et inobedientiæ peccatum incurrit, ut inobedientiæ peccatum evitet. Neque officium regi debitum Dei jussu persolvit ; sed officium regi, indebitum Deo prohibente persolvit, qui vero regi, ut dictum est, jure deposito obedientiam denegat, non facit malum, ut bonum inde sequatur : sed facit bonum, ut malum gravissimum evitetur : neque damnationem sibi ipse acquirit, sed a damnatione, quam alioqui incurreret liberatur. Quod si hæc non intelligis, populo stulte et insipiens : cur non audis me Pastorem tuum ? cur judicio tuo fidis ? cur seduceris ab alieno ? *Oves certe Pastorem proprium sequuntur, quia sciunt vocem ejus ; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum*, inquit Veritas, Joan. x.

Pop. — Qui jubet nos regibus obedire, et reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, nullam bonos inter et malos principes distinctionem facit, ac per hoc nec nos distinguere debemus.

Pont. — Addo etiam cum Apostolo Petro, obediendum esse non tantum bonis, et modestis, sed etiam dyscolis, I Petr. II. Itaque non distinguimus inter bonos et malos, dum superiores sunt : sed quæstio nostra est, an sit obediendum regi per sententiam rejecto, ac deposito ; huic enim obedientiam exhiberi Christus non jubet, et Vicarius Christi prohibet : proinde qui obedientiam illi exhibet, Christo non obsequitur, et Vicarium Christi lædit.

Pop. — Si, ut docet B. Augustinus, is qui continentiam Deo voverit, nullo modo debet ista compensatione peccare, ut ideo credat uxorem sibi esse ducendam, quia promisit quæ nuptias ejus appetit, futuram se esse Christianam : atque ita acquirat Christo animam in morte infidelitatis positæ feminæ, quæ parata est, si huic nupserit fieri Christiana qua nos apud Deum excusatione utemur, si ut speratum aliquod bonum eveniat, juris urandi religionem, et fidem violemus Deo, regique nostro datam ! nihil enim anima pretiosius, pro qua Dominus, et Salvator mori dignatus est : si ergo ut eam Christo lucremur, peccare non liceret, eccujus rei causa peccandum ?

Pont. — Non sunt facienda mala, ut veniant bona, hæc doctrina Apostolica est, ac per hoc et nostra : hinc non licet votum castitatis violare, ut animas Christo lucremur : neque licet contra jusjurandi religionem aliquid facere, ut mundum universum salvum faciamus : sed non ideo non licet mihi, cui Christus dixit in persona S. Petri, Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, et in votis dispensare, et a juramenti vinculo solvere ; qui autem Apostolica auctoritate, vel voto, vel juramento solutus est, jam non peccat contra votum, vel juramentum, si ea faciat, quæ antea ligatus voto, vel juramento facere non poterat : quemadmodum enim inter homines, qui debet alteri pecunias, peccat, si non restituat : sed si creditor solverit debitorem obligatione reddendi, jam non peccabit etiam si numquam restituat : sic etiam dum votum, aut juramentum viget, et ligat : peccat qui illa non servat; sed si Vicarius Dei, accepta a Deo auctoritate, et ipsius Dei nomine relaxat obligationem voti, vel juramenti, jam non peccat qui ea non servat : stulta igitur est illa interrogatio tua, eccujus gratia peccandum? quasi hoc a populo Sacerdos discere opus habeat.

Pop. — Quod autem præterea dicis, te nos ab hujus officii vinculo absolvere, atque absolutos declarare : id non omnem conscientiis nostris scrupulum adimit; sed animo pendere, ac dubitare magis de tua potestate facit : quod sciamus præceptum, cujus tu nobis gratiam te facturum promittis, Dei et

naturæ lege esse sancitum : sanctitatem vero tuam non posse, ne quidem de plenitudine potestatis, legis naturalis, et divinæ gratiam cuiquam facere.

Pont. — Jam indocilem omnino te præbes, cum ad eadem semper revolveris. Non ego tibi gratiam facio præcepti naturalis, vel divini, cum ab obedientiæ vinculo te absolvo, non enim permitto ut regi non pareas, quod esset contra jus divinum ; sed facio, ut ille qui tibi rex erat, non sit tibi deinceps rex : quemadmodum, qui donat servum libertate, non concedit, ut servus non teneatur obedire Domino, quod esset etiam contra jus divinum : sed facit ut Dominum non habeat, cui obediat, et qui filium emancipando eximit a potestate patria, non docet liberum esse filiis, parentibus non obedire, sed facit ut ille, qui filius erat, jam non censeatur filius. Et qui votum, aut juramentum relaxat, non dat facultatem violandi vota, vel juramenta, sed facit, ut non habeat votum, vel juramentum.

Pop. — Tibi igitur in spiritualibus, regi in temporalibus obsequemur : utrumque Deus jubet, utrumque præstabimus.

Pont. — Si (ut paulo ante dicebas) pendebas animo, et dubitabas : cur in re dubia te ipse judicem constituisti, et tam audacter conclusisti? Deus certe in Deuter. cap. xvii. in rebus dubiis, et obscuris remittit homines ad Sacerdotem, nec vult ut unusquisque sit judex. Et tu ipse paulo ante dixisti, in rebus dubiis ad Sedem Petri esse confugiendum : cur igitur in dubitatione tam gravi ad locum, quem elegit Dominus, id est, ad Sedem Petri non confugisti? Ac ut intelligas te tua conclusione nihil effecisse : attende primum, Deum quidem jubere, ut Pontifici obedias in spiritualibus, sed non jubere ut in spiritualibus tantum ; imo jubere, ut consequenter etiam obedias in temporalibus, sed regi qui legitime regnat, non regi, qui ob hæresim, vel alia justa de causa regno privatus est : nam et ipsi Pontifici obedire non deberes in spiritualibus, si forte (quod fieri non posse pie credimus) in hæresim lapsus ab Ecclesia Pontificatu privatus esse denunciaretur. Attende postremo, dubitationem de potestate Papæ, an ad temporalia se extendat non esse dubitationem de re temporali, sed de re spirituali, et supernaturali, quæque non ab arbitrio, vel judicio hominum, sed ab intelligentia Scripturarum et interpretatione voluntatis divinæ dependet, quare non tuo judicio, sed Ecclesiæ in tam gravi dubitatione stare debuisti. Ecclesia vero, et per caput suum Christi Vicarium, et per Concilia, id est, per principalia membra sua, et per doctores theologos, et canonistas, id est, per linguas suas, non obscure docuit, Potestati spirituali subjectam esse potestatem temporalem, ut corpus animæ, et ideo potestatem temporalem, etiam regiam, a potestate spirituali, quæ plenissime reperitur in Papa, dirigi, et corrigi, judicari, et mutari posse, cum deviat.

Pop. — Minas denique, quas mandato inferis miramur quidem, et ex parte metuimus : sed non ita sumus meticulosi tamen, ut plus eas, quam oportet timeamus, aut iis ita terreamur, ut metu injustæ excommunicationis, justum, ac jure debitum obsequium regi nostro denegemus. Licet enim vulgo jactetur, omnem excommunicationem esse timendam : scire tamen oportet injustam excommunicationem, non lædere eum in quem fertur, sed eum potius a quo fertur : si ideo nos anathematis mucrone ferias, quia nolumus mandatum Dei, te jubente, prætergredi, et malum facere, maledictio verletur in benedictionem, ut, quamvis ligati exterius videamur, interius soluti, atque innocentes maneamus.

Pont. — Hoc nimirum est quod Sapiens dicit : Impius cum in profundum venerit, contemnit. In hanc te foveam præcipitem egit superbia, quia te ipse judicem rerum divinarum, et cœlestium constituisti : et in hujus foveæ profundum demersus judicium non solum Vicarii Christi, sed ipsius etiam Christi contemnis. Nam etiam si timere te dicas minas censurarum Ecclesiæ ; tamen cum audacter pronuncias, eis te non pariturum, non solum timorem excludis, sed addis manifeste contemptum : qui enim vere timet, saltem ex timore mandata observat. Quod autem dicis, injustam sententiam non lædere eum, in quem fertur, verum est quando is, in quem fertur, eam humiliter tolerat, et observat, donec injustitia, vel potius nullitas ejus manifeste se prodat. Sed cum is, in quem fertur, eam superbe contemnit, et audacter mandata transgreditur, si non lædit eum excommunicatio injusta, vel nulla, lædit tamen superbia, et tumor, quo Pastoris mandata contemnit. Sed hæc dicenda essent, si censura, et mandata, de quibus nunc loquimur, aliquam injustitiæ, vel nullitatis speciem præ se ferrent. At cum

Vicarius Christi sub excommunicationis pœna populis jubet, ut regi hæretico, vel alias juste excommunicato, atque deposito, non obediant : quæ suspicio injustitiæ suboriri potest? non enim ut tu falso affirmas, Pontifex anathematis mucrone te ferit, quia non vis mandatum Dei, ipso jubente, prætergredi, et malum facere : sed contra potius, quia mandatum Dei, Pontifice prohibente, vis transgredi, et malum inobedientiæ facere. Nusquam enim mandavit Deus, ut regi hæretico, et excommunicato, ac deposito, populus obsequium præstet ; sed mandavit, ut hæreticos vitet, et ne Ave quidem illis dicat, ut Pastori suo obediat, et vocem ejus audiat.

Atque hæc sunt, quæ Barclaio in persona populi dicere placuit ; ad quæ non sine stomacho respondi, cum valde me pigeat eadem toties replicando tempus, et operam perdere : et tamen hac puerili apostrophe tandem finita, jactat Barclaius firmissimis demonstrationibus, et ineluctabilibus argumentis rem totam esse conclusam.

CAPUT XXXII.

Refutantur falsa quædam pronunciata Barclaii, quæ digrediendo effutiit.

In capite trigesimo primo Barclaius multa repetit, quæ supra dixerat de majoribus nostris, qui Principes infideles, cum facile possent eos opprimere, patienter tolerarunt : item de turbis excitatis in Ecclesia occasione Gregorii VII et Bonifacii VIII qui Principes Christianos, vel re ipsa deposuerunt, vel deponere tentarunt. Addit vero reprehensionem Clementis Septimi, et Pauli Tertii in hæc verba.

« De postremis duobus Pontificibus ausim affirmare (est enim orbi notissimum) in causa eos fuisse perdendæ Religionis in Anglia, quod istam tam invidiosam, et late patentem potestatem in regni illius principem, et populum sibi assumere, et exercere conati sint. »

Hæc vero falsitas et calumnia tam est manifesta, et notoria, ut mirum sit ab homine, qui se in historiis versatum profitetur, proficisci potuisse. Sed odium in Pontifices, et maledicendi libido, non solum mentem excæcat, sed etiam memoriam perdit. Quis enim ignorat Clementem Septimum optasse modis omnibus Henrico VIII. Angliæ regi sibi amicissimo gratificari modo justitia, et Religio id paterentur? At Henricum anathemate feriit ; et extat sententia Clementis in Henricum apud Nicolaum Sanderum lib. I. de Schismate Anglicano. Verum est, sed coactus fuit, et causa anathematis adeo justa fuit, ut ne Barclaius quidem eam reprehendere possit, quamvis maxime vellet : nimirum Henricus contra omnia jura, cum maximo totius orbis terræ scandalo, lite pendente ad tribunal Summi Pontificis, et ipso Summo Pontifice palam prohibente, et censuras Eccl siæ comminante, Catharinam legitimam conjugem a se abdicavit, et Annam Bolenam sibi multis modis affinem matrimonio junxit ; ita separavit quod Deus conjunxit, et conjunxit quæ Deus separari mandavit. Quæro igitur a Barclaio, an potuerit Clemens Pontifex, salva pietate, aliud agere quam quod egit? certe peccare non licet ullius boni acquirendi gratia : quomodo autem Pontifex non peccasset, si matrimonium regis cum Catharina jure contractum diremisset ? et matrimonium ejusdem regis cum Anna, quæ ipsius regis soror et filia ex affinitate erat, approbasset? id enim ita se habere, ex confessione ipsius regis, Nicolaus Sanderus demonstrat lib. I. de schismate Anglicano. Ergo causa perditionis Angliæ, non Pontificis justitia, sed regis impetens libido fuit. Paulus vero tertius severiorem quidem sententiam in Henricum protulit, sed quando jam rex a Catholica fide defecerat, seque per novam et inauditam hæresim caput Ecclesiæ constituerat, et regnum suum a communione corporis Christi mystici separaverat. Quare non potuit esse causa Paulus Pontifex perditionis Angliæ, quæ jam perierat : neque aliud propositum fuit Pontifici, nisi ut gregrem, et regem perditum, si quo modo posset, inveniret, atque ad viam veritatis errantem reduceret, et mortuum in peccatis ad vitam gratiæ revocaret ; ut de eo dicere posset, Filius meus mortuus erat, et revixit, pericrat, et inventus est. Vide apud Sanderum loco citato, defectionem regis, et regni anno 1534. et sententiam Pontificis Pauli III anno 1535. quam etiam sententiam idem Pontifex ob spem aliquam conversionis regis ostensam, ut in eodem loco Sanderus notat, executioni mandari noluit.

Subjungit postea falsitatem aliam, non in

naturæ lege esse sancitum : sanctitatem vero tuam non posse, ne quidem de plenitudine potestatis, legis naturalis, et divinæ gratiam cuiquam facere.

Pont. — Jam indocilem omnino te præbes, cum ad eadem semper revolveris. Non ego tibi gratiam facio præcepti naturalis, vel divini, cum ab obedientiæ vinculo te absolvo, non enim permitto ut regi non pareas, quod esset contra jus divinum ; sed facio, ut ille qui tibi rex erat, non sit tibi deinceps rex : quemadmodum, qui donat servum libertate, non concedit, ut servus non teneatur obedire Domino, quod esset etiam contra jus divinum : sed facit ut Dominum non habeat, cui obediat, et qui filium emancipando eximit a potestate patria, non docet liberum esse filiis, parentibus non obedire, sed facit ut ille, qui filius erat, jam non censeatur filius. Et qui votum, aut juramentum relaxat, non dat facultatem violandi vota, vel juramenta, sed facit, ut non habeat votum, vel juramentum.

Pop. — Tibi igitur in spiritualibus, regi in temporalibus obsequemur : utrumque Deus jubet, utrumque præstabimus.

Pont. — Si (ut paulo ante dicebas) pendebas animo, et dubitabas : cur in re dubia te ipse judicem constituisti, et tam audacter conclusisti? Deus certe in Deuter. cap. xvii. in rebus dubiis, et obscuris remittit homines ad Sacerdotem, nec vult ut unusquisque sit judex. Et tu ipse paulo ante dixisti, in rebus dubiis ad Sedem Petri esse confugiendum : cur igitur in dubitatione tam gravi ad locum, quem elegit Dominus, id est, ad Sedem Petri non confugisti? Ac ut intelligas te tua conclusione nihil effecisse : attende primum, Deum quidem jubere, ut Pontifici obedias in spiritualibus, sed non jubere ut in spiritualibus tantum ; imo jubere, ut consequenter etiam obedias in temporalibus, sed regi qui legitime regnat, non regi, qui ob hæresim, vel alia justa de causa regno privatus est : nam et ipsi Pontifici obedire non deberes in spiritualibus, si forte (quod fieri non posse pie credimus) in hæresim lapsus ab Ecclesia Pontificatu privatus esse denunciaretur. Attende postremo, dubitationem de potestate Papæ, an ad temporalia se extendat non esse dubitationem de re temporali, sed de re spirituali, et supernaturali, quæque non ab arbitrio, vel judicio hominum, sed ab intelligentia Scripturarum et interpretatione voluntatis divinæ dependet, quare non tuo judicio, sed Ecclesiæ in tam gravi dubitatione stare debuisti. Ecclesia vero, et per caput suum Christi Vicarium, et per Concilia, id est, per principalia membra sua, et per doctores theologos, et canonistas, id est, per linguas suas, non obscure docuit, Potestati spirituali subjectam esse potestatem temporalem, ut corpus animæ, et ideo potestatem temporalem, etiam regiam, a potestate spirituali, quæ plenissime reperitur in Papa, dirigi, et corrigi, judicari, et mutari posse, cum deviat.

Pop. — Minas denique, quas mandato inferis miramur quidem, et ex parte metuimus : sed non ita sumus meticulosi tamen, ut plus eas, quam oportet timeamus, aut iis ita terreamur, ut metu injustæ excommunicationis, justum, ac jure debitum obsequium regi nostro denegemus. Licet enim vulgo jactetur, omnem excommunicationem esse timendam : scire tamen oportet injustam excommunicationem, non lædere eum in quem fertur, sed eum potius a quo fertur : si ideo nos anathematis mucrone ferias, quia nolumus mandatum Dei, te jubente, prætergredi, et malum facere, maledictio verletur in benedictionem, ut, quamvis ligati exterius videamur, interius soluti, atque innocentes maneamus.

Pont. — Hoc nimirum est quod Sapiens dicit : Impius cum in profundum venerit, contemnit. In hanc te foveam præcipitem egit superbia, quia te ipse judicem rerum divinarum, et cœlestium constituisti : et in hujus foveæ profundum demersus judicium non solum Vicarii Christi, sed ipsius etiam Christi contemnis. Nam etiam si timere te dicas minas censurarum Ecclesiæ ; tamen cum audacter pronuncias, eis te non pariturum, non solum timorem excludis, sed addis manifeste contemptum : qui enim vere timet, saltem ex timore mandata observat. Quod autem dicis, injustam sententiam non lædere eum, in quem fertur, verum est quando is, in quem fertur, eam humiliter tolerat, et observat, donec injustitia, vel potius nullitas ejus manifeste se prodat. Sed cum is, in quem fertur, eam superbe contemnit, et audacter mandata transgreditur, si non lædit eum excommunicatio injusta, vel nulla, lædit tamen superbia, et tumor, quo Pastoris mandata contemnit. Sed hæc dicenda essent, si censura, et mandata, de quibus nunc loquimur, aliquam injustitiæ, vel nullitatis speciem præ se ferrent. At cum

Vicarius Christi sub excommunicationis pœna populis jubet, ut regi hæretico, vel alias juste excommunicato, atque deposito, non obediant : quæ suspicio injustitiæ suboriri potest? non enim ut tu falso affirmas, Pontifex anathematis mucrone te ferit, quia non vis mandatum Dei, ipso jubente, prætergredi, et malum facere : sed contra potius, quia mandatum Dei, Pontifice prohibente, vis transgredi, et malum inobedientiæ facere. Nusquam enim mandavit Deus, ut regi hæretico, et excommunicato, ac deposito, populus obsequium præstet ; sed mandavit, ut hæreticos vitet, et ne Ave quidem illis dicat, ut Pastori suo obediat, et vocem ejus audiat.

Atque hæc sunt, quæ Barclaio in persona populi dicere placuit ; ad quæ non sine stomacho respondi, cum valde me pigeat eadem toties replicando tempus, et operam perdere : et tamen hac puerili apostrophe tandem finita, jactat Barclaius firmissimis demonstrationibus, et ineluctabilibus argumentis rem totam esse conclusam.

CAPUT XXXII.

Refutantur falsa quædam pronunciata Barclaii, quæ digrediendo effutiit.

In capite trigesimo primo Barclaius multa repetit, quæ supra dixerat de majoribus nostris, qui Principes infideles, cum facile possent eos opprimere, patienter tolerarunt : item de turbis excitatis in Ecclesia occasione Gregorii VII et Bonifacii VIII qui Principes Christianos, vel re ipsa deposuerunt, vel deponere tentarunt. Addit vero reprehensionem Clementis Septimi, et Pauli Tertii in hæc verba.

« De postremis duobus Pontificibus ausim affirmare (est enim orbi notissimum) in causa eos fuisse perdendæ Religionis in Anglia, quod istam tam invidiosam, et late patentem potestatem in regni illius principem, et populum sibi assumere, et exercere conati sint. »

Hæc vero falsitas et calumnia tam est manifesta, et notoria, ut mirum sit ab homine, qui se in historiis versatum profitetur, proficisci potuisse. Sed odium in Pontifices, et maledicendi libido, non solum mentem excæcat, sed etiam memoriam perdit. Quis enim ignorat Clementem Septimum optasse modis omnibus Henrico VIII. Angliæ regi sibi amicissimo gratificari modo justitia, et Religio id paterentur? At Henricum anathemate feriit ; et extat sententia Clementis in Henricum apud Nicolaum Sanderum lib. I. de Schismate Anglicano. Verum est, sed coactus fuit, et causa anathematis adeo justa fuit, ut ne Barclaius quidem eam reprehendere possit, quamvis maxime vellet : nimirum Henricus contra omnia jura, cum maximo totius orbis terræ scandalo, lite pendente ad tribunal Summi Pontificis, et ipso Summo Pontifice palam prohibente, et censuras Eccl siæ comminante, Catharinam legitimam conjugem a se abdicavit, et Annam Bolenam sibi multis modis affinem matrimonio junxit ; ita separavit quod Deus conjunxit, et conjunxit quæ Deus separari mandavit. Quæro igitur a Barclaio, an potuerit Clemens Pontifex, salva pietate, aliud agere quam quod egit? certe peccare non licet ullius boni acquirendi gratia : quomodo autem Pontifex non peccasset, si matrimonium regis cum Catharina jure contractum diremisset ? et matrimonium ejusdem regis cum Anna, quæ ipsius regis soror et filia ex affinitate erat, approbasset? id enim ita se habere, ex confessione ipsius regis, Nicolaus Sanderus demonstrat lib. I. de schismate Anglicano. Ergo causa perditionis Angliæ, non Pontificis justitia, sed regis impetens libido fuit. Paulus vero tertius severiorem quidem sententiam in Henricum protulit, sed quando jam rex a Catholica fide defecerat, seque per novam et inauditam hæresim caput Ecclesiæ constituerat, et regnum suum a communione corporis Christi mystici separaverat. Quare non potuit esse causa Paulus Pontifex perditionis Angliæ, quæ jam perierat : neque aliud propositum fuit Pontifici, nisi ut gregrem, et regem perditum, si quo modo posset, inveniret, atque ad viam veritatis errantem reduceret, et mortuum in peccatis ad vitam gratiæ revocaret ; ut de eo dicere posset, Filius meus mortuus erat, et revixit, pericrat, et inventus est. Vide apud Sanderum loco citato, defectionem regis, et regni anno 1534. et sententiam Pontificis Pauli III anno 1535. quam etiam sententiam idem Pontifex ob spem aliquam conversionis regis ostensam, ut in eodem loco Sanderus notat, executioni mandari noluit.

Subjungit postea falsitatem aliam, non in

historia, sed quod gravius est, in Fide, et Religione Catholica: « Reges, inquit, non in eadem causa sunt, sed supra omnes leges humanas, omneque jus positivum, soli Deo administrationem reddituri, et quanto tardius, tanto severius puniendi. Adversus privatos executio parata est, quam nequeunt nisi ex indulgentia principis evitare. Adversus Principes, quæ potest fieri executio, cum nullis humanarum legum sanctionibus teneantur, nullisque ad pœnam vocentur legibus, tuti imperii potestate? Nam quod in jure expressum est, principem legibus esse solutum, cum de omnibus legibus, tum maxime de pœnalis intelligunt, ut iis Princeps, etiam si delinquat, non coerceatur. »

Hæc vero Barclaii sententia primum secum ipsa pugnat: nam si legibus omnibus humanis reges soluti sunt, certe non delinquunt, cum secundum eas non operantur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio, inquit Apostolus ad Rom. IV; quo modo ergo Barclaius in ultimis verbis dixit, Principes non puniri, etiam si delinquant? ad id fit enim eos delinquere, cum leges humanas non servant, et tamen affirmat eos legibus non teneri: qui autem legibus non tenentur; utique non delinquunt, si eas non servent. Respondebit fortasse, principes non teneri legibus, quantum ad coactionem, teneri autem quantum ad directionem. Quamvis autem videantur verba ejus principes ab omni legum humanarum obligatione liberare: tamen admissa responsione quam ante allata, iterum quæro, velit ne Barclaius principes solutos vi coactiva legum humanarum omnium tum civilium, tum Ecclesiasticarum, an civilium tantum: nam si dixerit, eos solutos esse vi legum civilium tantum; certe aliter sentit, aliter loquitur: disertis enim verbis dicit, principes esse super omnes leges humanas, omneque jus positivum, et nullis humanarum legum sanctionibus teneri: leges autem Ecclesiasticas, quæ a summis Pontificibus, conciliisve Episcoporum condantur, humanas esse, et ad jus positivum pertinere dubitari non potest. Sin autem, ut verba sonant, solutos velit esse Barclaius Principes legibus Ecclesiasticis Pontificum, et Conciliorum, errat in doctrina fidei manifeste, et repugnat iis, quæ supra non semel repetivit, Principes Christianos omnes subjectos esse spirituali potestati summi Pontificis, ut oves baculo pastoris: et posse censuris Ecclesiasticis, et ipsa etiam excommunicatione coerceri, et cap. 32. addit, Posse Principes per summum Pontificem privari omnibus commodis regenerationis in Christo, item tradi Satanæ usque ad legitimam errati, et contumaciæ satisfactionem. Et quoniam privari tot commodis, et Satanæ tradi, gravissima pœna est omnium consensu, fateri debet, paratam esse adversus principes executionem, et eos quoque ad pœnam legibus vocari: quæ sunt omnino contraria iis, quæ hoc loco scripsit, sed veniamus ad ea, quæ ad institutum nostrum proprie pertinent.

CAPUT XXXIII.

Defenditur pars secunda rationis quintæ principalis pro potestate summi Pontificis in temporalibus.

In cap. 32. Barclaius ex longa digressione domum rediens, proponit, ac discutit, et refellere aggreditur secundam partem rationis meæ principalis, quæ hac ratiocinatione continebatur: Potest pastor arietes furiosos destruentes ovile, separare et recludere: Princeps autem est aries furiosus destruens ovile, quando est catholicus fide, sed adeo malus, ut multum obsit Religioni, et Ecclesiæ, ut si Episcopatus vendat, Ecclesias dirripiat, etc. Ergo poterit pastor Ecclesiæ eum recludere, vel redigere in ordinem ovium.

Hanc ratiocinationem Barclaius impugnaturus incipit a censura vocabulorum, ac dicit, excludere dicendum erat, non recludere: recludere enim aperire est. At ego per recludere, non excludere, sed includere significare volui: solent enim pastores arietes furiosos includere in aliquem locum, ut non possint cornibus ovicolas petere, vel pedibus conculcare. Sed recludere, inquit ille, aperire est, non claudere. Verum est id quidem, cum dicimus, recludere fores, aut domum, aut carcerem: sed cum dicimus recludere aliquid intra fores, aut hominem in domo, vel carcere recludere, tum recludere, accipitur pro eo quod est claudere, vel includere: et hoc posteriore modo significare volui, arietem a pastore recludi in loco aliquo angusto, et munito, unde non facile possit egredi. Ac ne putet Barclaius, me sine auctore esse loquutum, legat Hincmarum in vita S. Remigii, Ivonem in Epist. 49, Aimoinum, in lib. IV. historiæ cap. 57, et inveniet passim recludere ab auctoribus non malis usurpari pro includere, quo modo religare, non est solvere, sed iterum, vel arctius ligare. Ac ut os Barclaii penitus obstruamus, audiat S. Hieronymum. auctorem primæ classis, in libro adversus Vigilantium, sic loquentem: « Ais vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum, et Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, et ubi voluerint adesse præsentes: Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, et non inter homicidas tetrimo carcere, sed in libera, honestaque custodia, in Fortunatorum Insulis, et in campis Elysiis recluduntur: » hæc S. Hieronymus, cui non audebit, opinor, Barclaius dicere, recludere aperire est, proinde includuntur dicendum erat, non recluduntur. Ac ut ex eodem S. Hieronymo referamus Barclaio gratiam fraternæ correptionis: meminerit se cap. 30. jurasse per Herculem, cum ait: Egomet Hercle, etc. et audiat S. Hieronymum in Epistola ad Damasum, de filio prodigo dicentem, « Absit ut de ore Christiano sonet, me Hercule, et me Castor, et cætera magis portenta, quam numina. » Sed his omissis, veniamus ad seria.

Admittit Barclaius ratiocinationem meam totam, et omnia, quæ inde per bonam consecutionem deducuntur. Sed negat inde aliud effici posse, nisi ut Pastor, id est Papa arietem furiosum, id est regem deterrimum possit per excommunicationem ab ovili excludere, et privare spiritualibus beneficiis Sacramentorum, et suffragiorum: sed non ultra procedere ad ullam pœnam temporalem, qualis in primis est privatio temporalis jurisdictionis, aut dominii.

Sed Barclaius non percipit vim argumenti ex proposita similitudine, quam admisit, ut aptam atque idoneam ad hanc rem explicandam, et probandam. Neque enim pastor arietem furiosum solum excludit a grege; sed alligat, et recludit, sive includit in aliquo angulo, ut non possit amplius Dux esse gregis. Et ad hujus pastoris similitudinem successor sancti Petri, et Vicarius Christi Principem Christianum destruentem Ecclesiam, alligat vinculis excommunicationis, et quodam modo includit in angulum, dum non finit, ut regat amplius populos Christianos.

Quod autem Barclaius dicit: Posse principem excommunicari, sed non posse privari nisi spiritualibus bonis, ac per hoc non posse privari auctoritate, vel jurisdictione, vel domino temporali, neque posse subditos ejus absolvi a fidelitate, et obedientia, quam illi debebant, mirum est, cum sacri Canones, quorum scientiam ipse profitetur, inter excommunicationis effectus ponant, non solum privationem Sacramentorum, et suffragiorum; sed etiam commercii civilis, ac præcipue forensis, ut non possit excommunicatus pro tribunali sedere, et judicare, neque subditi comparere in judicio coram excommunicato, ut est communis sententia, ex cap. Ad probandum, de sent. et re judic. et ex cap. Decernimus, de sent. excommunic. in 6. Item privationem, vel suspensionem jurisdictionis, et absolutionem subditorum a fidelitate; de qua re apud Gratianum 13. q. 6. Can. penultimo sic legimus. « Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate a juramento absolvimus, et ne sibi fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant. » et can. ultim. « Juratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi quamdiu excommunicatus est serviant, prohibeo, qui si Sacramenta prætenderint, moneantur, oportere Deo magis servire, quam hominibus. » Denique in c. su hæresis privari etiam domino docet sanctus Thomas in 2. 2. q. 12. art. 2. his verbis. « Quam cito a quo per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto subditi absoluti sunt a dominio ejus, et a fidelitatis juramento, quo ei tenebantur. » Et quamvis extra casum hæresis ex vi sententiæ excommunicationis non sequatur privatio dominii temporalis, sive rerum particularium, sive regnorum, et principatuum; tamen posse per summum Pontificem privari reges aliosque principes justis de causis regno, vel principatu, probatum est supra testimoniis, et rationibus multis, neque ea potuit Barclaius cavillationibus suis ullo modo convellere.

« At, inquit, bona temporalia, quæ civili, et humana potestate possidentur, de manu principis politici accipiuntur, ergo non possunt auferri per excommunicationem, quæ est sententia judicis temporalis. »

Respondeo: Bona temporalia, quamvis humana, et civili potestate possideantur, tamen bonis spiritualibus subordinantur, et potestas ipsa temporalis potestati spirituali subjicitur. Ideo verum quidem est, non posse

spiritualia tolli per sententiam judicis temporalibus, neque potestas spiritualis temporali subjicitur : sed non est verum, non posse temporalia aliqua tolli per excommunicationem, quæ est sententia judicis spiritualis. Neque hoc in dubium revocari potest, cum satis constet commercium civile, et actiones forenses, bona esse temporalia, et civilia : et tamen istis bonis temporalibus privari excommunicatos, præsertim post publicam denunciationem, vel declarationem.

CAPUT XXXIV.

Refutatur error Barclaii de exemptione clericorum.

Transit deinde Barclaius ad exemptionem clericorum, sumpta occasione ex eo quod dixerat, bona temporalia non posse dari, nec auferri, nisi a principe temporali, et neminem posse judicium principis in temporalibus declinare. Et quia poterat aliquis objicere clericos exemptos esse a potestate principum, ac per hoc etiam in temporalibus posse eorum judicium declinare ; respondet : clericos privilegio principum exemptos esse, cum alioqui jure communi subditi essent, sicut cæteri. Digreditur igitur in hoc capite, et sequenti ad exemptionem clericorum, et multa dicit, quæ non solum a veritate, sed etiam a communi scriptorum sententia abhorrent.

Primum dicit, antequam clerici beneficio principum eximerentur, jure communi subjectos fuisse judicio Magistratuum temporalium. Id probat duplici ratione : primum ex eo, quod clerici, non solum clerici sunt, sed etiam cives Reipublicæ politicæ ; et citat librum meum de clericis cap. 28. Deinde ex eo quod olim sub optimis, et piissimis principibus causæ clericorum tam civiles, quam criminales, exceptis causis Ecclesiasticis, apud politicos, et temporales judices agitabantur, et citat caput quintum decimum hujus libri, ubi hoc demonstrasse putat.

Ad hoc respondeo : Clericos non solo privilegio Principum, sed etiam decretis Summorum Pontificum, et quod majus est, divino jure exemptos fuisse, ac per hoc exemptos fuisse, antequam Principum privilegio eximerentur. Quod autem Clerici sint cives, et pars quædam reip. politicæ, probat, eos teneri ad observandas leges civiles vi rationis, non vi legis, atque ad hoc probandum ego rationem illam adduxi, qua nunc abutitur Barclaius ad probandum jure communi subjectos fuisse clericos civili Magistratui : quod tamen inde non recte probatur. Quod vero sub piis principibus ante Justiniani tempora causæ civiles, et criminales clericorum apud Magistratus politicos aliquando agitarentur : dico, inveniri quidem leges principum in Codice. tit. de Episcopis, et Clericis, quæ disponunt de causis clericorum apud seculares judices terminandis : sed inveniri etiam Canones Conciliorum ejusdem ætatis, ut Carthaginiensis tertii can. 9. Milevitani can. 19. Chalcedonensis can. 9. et aliorum quibus prohibetur clericis accessus ad judicia sæcularia. Itaque piis principibus nondum satis nota, et explicata erat exemptio, quam jure divino clerici habebant ; et sancti Patres paulatim eam explicare, atque introducere nitebantur.

Secundo, Barclaius dicit, mirari se, Bellarminum asserere, Papam potuisse eximere simpliciter clericos propria auctoritate per legem canonicam, a subjectione temporalium Principum. « Id enim, inquit, pace tanti viri dicam, est falso falsius : quia lex Christi neminem privat jure, dominioque suo : privaret autem, si per eam jus, et dominium temporale, quod principes antequam fierent Christiani in clericis habebant, ipsis invitis auferret. » Hæc ille.

Sed ut magis Barclaius miretur, non solus Ballarminus, neque soli illi, qui inter Theologos, et Jureconsultos maxime favere videntur exemptioni clericorum ; sed illi etiam, qui parum favere existimati sunt, idem prorsus dicunt : hæc enim sunt verba Domini a Soto in 4. Sentent. dist. 25. q. 2. art. 2. conclus. 6. « Papa potuit etiam inconsultis principibus, et debuit clericos ab eorum exactionibus, et foro excipere : cui quidem exemptioni principes contravenire nequeunt. » Atque hoc idem docet Didacus Covarruvias Jureconsultus nobilis Sotum sequutus in practicis quæst. q. 31. concl. 3. his verbis : « Potuit Summus Pontifex clericos, et eorum res a jurisdictione sæculari eximere : idque conveniens fuit, et est Christianæ reip. non tantum in spiritualibus, quod jure divino jam erat institutum, sed etiam in temporalibus », et concl. 4. « Quamvis exemptio Clericorum a jurisdictione sæcularium jure tantum humano sit introducta,

princeps tamen sæcularis, utcumque summus sit, non poterit huic immunitati, aut exemptioni propriis legibus, propriave auctoritate derogare. » Desinat ergo jam Barclaius mirari si Bellarminus dicit, quod fere omnes dicunt, et nolit ipse, quasi solus sapiat, id negare, quod fere nullus negat.

At, inquit : lex Christi neminem privat jure, dominioque suo. Verum est per se, ac proprie ; quasi hoc ipsum intendat, nisi aliquis culpa sua privari mereatur. Sed tamen dum evehit laicos ad ordinem altiorem, id est, clericorum, non est mirum si consequenter privet principes jure, quod in eos habebant, dum essent in gradu inferiore : neque desunt exempla in aliis rebus tam prophanis, quam sacris. Evehit rex privatum hominem, qui subjectus erat comiti, ad Principatum ; consequenter privat comitem jure quod in illo habebat, et fortasse comitem eumdem subjicit illi Principi jam effecto, cui idem comes antea jam præerat. Evehit Papa simplicem Presbyterum, subjectum alias Episcopo in Metropolitanum, ac per hoc sine ullius injuria facit, ut qui antea subjectus erat Episcopo, incipiat tamquam Metropolitanus Episcopo præesse, cui paulo ante subjectus erat. Jus habebat maritus infidelis in conjugem infidelem : convertitur mulier ad fidem, et consequenter liberatur a subjectione viri infidelis, et sine injuria ulla lex Christi privat virum infidelem jure, quod in uxorem suam habebat : pari ratione per matrimonium per verba de præsenti contractum, acquirit vir Christianus jus in uxorem Christianam, et tamen si intra tempus a jure præscriptum, velit illa ad professionem vitæ altioris ascendere, et sanctimonialis fieri, lex Christi privat virum jure, quod acquisierat, non per se, sed consequenter : non enim intendit lex Christi virum illum jure suo privare, sed feminam ad altiorem gradum evectam honorare. Denique evehitur filius familias in Episcopum, privatur pater ipsius potestate patria, non ut ipse afficiatur injuria, sed quia non decet patrem spiritualem subjici potestati parentis carnalis.

At rursus objicit Barclaius dicens : « Deinde cum ipsemet Papa exemptionem suam, non alio jure, quam Principum largitate, et beneficio nactus sit, (nam ut adversarii fatentur subjectus erat de jure, et de facto Ethnicis principibus, sicut alii cives) absurdum est dicere, eum potuisse liberare alios ab illa subjectione : alioqui id in eum conveniret, Alios salvos fecit, seipsum non potuit salvum facere. »

Respondeo : Argumentum Barclaii duplici vitio laborat : nam et antecedens habet falsum, et consecutionem vitiosam. Falsum in primis est, Pontificem non alio jure, quam principum largitate, et beneficio, exemptionem suam nactum esse : qui enim Vicarium suum in terris eum constituit, is hoc ipso exemit eum ab omni potestate principum terræ : sed etiam si subjectus jure fuisset regibus, vel imperatoribus ethnicis : non tamen sequeretur, eum subjectum quoque esse debere regibus, vel imperatoribus Christianis, nisi ipsorum largitate et beneficio eximeretur. Nam cum sit ipse super omnem familiam constitutus, et reges, atque imperatores ab eo in eamdem familiam coaptentur, ut ab ipso regantur, et dirigantur, certe nulla ratio patitur, ut ipse illis subjiciatur, quibus jure divino præsidet. Sed bene habet, quod Barclaius ita irridendum putavit Vicarium Christi, quo modo perfidi Judæi Christum irridebant : qui tamen vel inviti confitebantur, multos a Christo ab ipsa morte salvos factos fuisse, et sacrilege mentiebantur, eum non potuisse seipsum ab interitu salvum facere.

Tertio, Barclaius dicit, non esse verum quod multi dicunt, a veteribus Conciliis fuisse Clericos a potestate, et jurisdictione Magistratuum civilium exemptos ; qui etiam addit, Patres, qui in Conciliis interfuerunt, vetuisse quidem, ne clerici adirent tribunalia judicum sæcularium : sed non vetuisse, ne vocati responderent : neque ullo modo prohibuisse temporalibus judicibus, ne causas clericorum audirent : sed nec prohibere ulla ratione potuisse. Ac primum id ostendere conatur ex concilio III. Carthaginiensi, can. 9. ubi sic legitur : « Item placuit, ut quisquis Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, sive clericorum, cum in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali judicio : in civili vero perdat, quod evicit, si locum suum obtinere voluit. Cui enim ad eligendos judices undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo, de judicio sæculari poscit auxilium : cum privatorum Christianorum causas Apostolus ad Eccle-

siam deferri, atque ibi determinari præcipiat. » Hactenus verba concilii, in quibus nihil videre potuit Barclaius, pro clericorum exemptione : sed tantum id ait egisse Patres, ut eorum clericorum levitatem, et procacitatem coercerent, qui post causam in Ecclesia tractari cœptam, spretis, et relictis judicibus Ecclesiasticis, laico se arbitrio judicioque committunt.

At nos multa videmus in hujus concilii verbis pro exemptione clericorum. Primum enim aperte damnant Patres recursum ad judicia sæcularium Magistratuum : quod certe non facerent, si sæculares Magistratus omni ex parte legitimi judices Ecclesiasticorum fuissent, quæ enim culpa erat appellare a judicio Episcopi ad judicium præsidis provinciæ, vel ipsius principis, si præses, vel princeps legitimus judex erat, non solum clerici, sed etiam Episcopi ? Deinde concilium rescindit sententiam judicis sæcularis contra clericum latam, dum judicat, ut in criminali judicio clericus a sæculari judice absolutus amittat locum suum ; et in judicio civili, perdat quod evicit, id est, neutri prosit sententia in favorem ejus a judice sæculari pronunciata : quamvis autem hæc loco pœnæ decernantur ; tamen injusta fuisset pœna, si crimen non fuisset clerico sæculare judicium agnoscere. Denique quia Barclaius dicit, concilium reprehendere solum eos clericos, qui post inchoatam causam in judicio ecclesiastico, eam transferunt ad judicium sæcularium potestatum, quod injuriosum videri potest ecclesiasticis judicibus : audiat Milevitanum concilium ejusdem ætatis, et in eadem Africa celebratum : sic enim loquitur, can. 19. « Placuit, ut quicumque ab imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur ; si autem episcopale judicium ab imperatore postulaverit, nihil ei obsit. » Ubi videmus non agi de judicio inchoato, sed absolute, et sub pœna gravissima prohiberi clericis ne confugiant ad Imperatorem pro sæculari judicio obtinendo : concedi autem si Episcopale judicium ab Imperatore petatur, ad evitandum videlicet sæculare judicium.

Transit deinde Barclaius ad concilium Chalcedonense, in quo sic statuitur, can. 9 : « Si quis clericus adversus clericum habeat negotium, non derelinquat proprium episcopum, et ad sæcularia percurrat judicia : sed prius actio ventiletur apud proprium episcopum, vel certe consilio ejusdem episcopi apud quos utræque partes voluerint, judicium obtinebunt : si quis præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subjacebit. » Ex hoc canone dicit Barclaius nihil colligi, nisi ut in prima instantia apud episcopum causa ventiletur : deinde, si opus fuerit, ad sæcularis judicis examen deferatur. Sed ista glossa destruit textum : nusquam enim in toto canone, vel aperte, vel obscure mentio fit judicii sæcularis ; et expresse in hoc canone dicitur, ut clerici ad sæcularia judicia non recurrant. Præterea in eodem loco concilium addit ; « Quod si clericus causam habeat adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum episcopus, vel clericus habet querelam, petat aut Primatem diœceseos, autem sedem Urbis regiæ Constantinopolitanæ, et apud ipsam judicetur. » Ubi cum optima esset occasio nominandi Præsidem provinciæ, aut ipsum imperatorem : nulla tamen eorum mentio facta est. Quid igitur (quærit Barclaius) sibi vult illud. Sed prius actio ventiletur apud Episcopum ? prius enim refertur ad posterius : et cum non sit in concilio explicatum, quid posterius faciendum sit, ratio postulat, ut intelligamus, posterius recurrendum esse ad judicium sæculare, ut constituit postea Justinianus, Novella constitutione 83.

Respondeo : Prius causa clerici ventilanda est apud Episcopum proprium : quod si ibi terminata non fuerit, recurrendum est ad superiores mediatos, Metropolitanum videlicet, Patriarcham, et Papam : sed id non expressit concilium ; quia notum erat, tum ex usu aliorum tribunalium, ubi semper a minore judice appellatur ad majorem ; tum ex Concilio Sardicensi generali can. 4. et 7. ubi ultima provocatio Ecclesiasticorum, declaratur esse ad Episcopum Romanum, ad quos canones respiciens Gelasius Papa primus in Epistola ad Faustum scribit : « Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri : ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt ; » et in Epistola ad Episcopos Dardaniæ : « At illam, inquit, de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt : ab illa autem nemo est appellare permissus. » Neque oportet canones Ecclesiæ per Novellas Justiniani exponere, cum possumus per alios canones, aut per usum Ecclesiæ illos explicare.

Adducit postea contra se Barclaius concilium Agathense, ubi can. 3. statuitur : « Ne clericus quemquam præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non permittente pulsare » : et queritur corruptum esse hunc canonem a Gratiano, qui in sua collectione 11. q. 1. can Clericum, ita posuit, « Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem Episcopo, non permittente pulsare » : miratur etiam cur Bellarminus maluerit in hujus canonis citatione sequi potius Gratiani corruptionem, quam concilii veritatem.

Respondeo : Non est ullo modo credibile, Gratianum, virum probum, et Christianæ perfectionis studiosum voluisse textum concilii depravare : sed potius credendum est, habuisse Gratianum aliam lectionem illius canonis, quam nos habeamus. Sed ut ut res se habeat, utraque lectio exemptionem clericorum satis aperte demonstrat. Nam in ipso concilio etiamsi verba illa prima, clericus nec quemquam præsumat apud sæcularem judicem pulsare, non multum pro exemptione facere videantur : tamen sequentia verba : « Sed si pulsatus fuerit, non respondeat » : multum omnino faciunt pro exemptione : mandatur enim clerico, ut in judicium coram sæculari judice vocatus, non compareat, quo nihil apertius dici potuit : et in eumdem sensum recidit quod est apud Gratianum, clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem pulsare. Nam si non licet clerico respondere in judicio sæculari : neque licebit clerico, vel laico clericum ad judicium sæculare vocare.

Quod autem notat Barclaius in secunda parte canonis, puniri laicum gravissima pœna, qui per calumniam clericum, vel Ecclesiam fatigare tentaverit : non significat, licitum fuisse laicis trahere clericum vel causam Ecclesiæ ad forum sæculare, modo id sine calumnia fieret : sed significat crimen longe gravius esse, et pœna gravissima puniendum, si addatur calumnia, quam si absque calumnia id fiat. Sed neque certum est, concilium loqui de foro sæculari : potest enim fieri, ut laicus clericum accuset quidem ad suum forum, id est, ecclesiasticum, et tamen eum per calumniam injuste fatiget.

Addit deinde Barclaius canonem octavum concilii primi Matisconensis, ubi sic legitur : « Ut nullus clericus ad judicem sæcularem quemcumque alium fratrem de clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere quocumque loco præsumat : sed omne negotium clericorum, aut in episcopi sui, aut presbyteri, aut archidiaconi præsentia finiatur. » Addit denique, canonem tertium decimum concilii tertii Toletani, in hæc verba : « Diuturna indisciplinatio, et licentiæ inolitæ præsumptio usque adeo illicitis ansibus aditum patefecit, ut clerici conclericos suos relicto Pontifice suo, ad judicia publica pertrahant : proinde statuimus hoc de cætero non præsumi : si quis hoc præsumpseris facere, et causam perdat, et a communione efficiatur extraneus.

His testimoniis conciliorum allatis, subjungit Barclaius : « Hæc illa sunt solemnia, et fere sola sacrorum canonum decreta, in quibus errorem suum fundant, qui falso putant, concilia potuisse eximere, et de facto exemisse clericos de potestate laicorum, quos tamen ipsimet canones adeo perspicue redarguunt, ut nihil necesse sit alia ad eam opinionem convellendam aliunde accersere. »

Respondeo : Primum non sunt hæc sola concilia, quæ exemptionem clericorum declarant, sed multa alia, ex quibus hæc breviter commemoranda censui. In concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 43. sic legitur : « Nimis de jure divino quidam laici usurpare conantur, cum viros ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstanda sibi fidelitatis juramenta compellunt. » In concilio Constantiensi, sess. 31. habentur hæc verba : « Laici nullam in clericos jurisdictionem, aut potestatem habent. » In concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. : « Cum a jure tam divino, quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes, et singulas constitutiones, etc. » In concilio Tridentino sess. 25. cap. 20. de reformatione : « Ecclesiæ, et personarum Ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus instituta est. »

Ad hæc, et similia, quæ nimis aperte loquuntur, nihil Barclaius respondit, sed ea, quasi numquam legisset, omisit.

Deinde nos non dicimus a conciliis proprie clericos fuisse exemptos, sed eorum exemptionem declaratam, et pœnis additis confirmatam.

Denique mirum est, cur Barclaius dicere audeat, ex canonibus allegatis redargui, et convelli opinionem exemptionis, cum ea multis modis confirmetur, et roboretur. Nam si laici Magistratus legitimi judices clerico-

rum essent; quo jure Matisconense concilium supra citatum, omnia negotia clericorum in episcopi, aut presbyteri, aut archidiaconi præsentia finienda esse decerneret? Et cur concilium Toletanum etiam citatum, tanta verborum asperitate vocaret præsumptionem, et illicitos ausus, recursum ad sæculare judicium? Et quo modo denique idem concilium auderet sententiam judicis sæcularis irritare, et recurrentem clericum ad forum sæcularis judicis excommunicare? id enim significant illa verba: « Causam, perdat, et a communione efficiatur extraneus. »

CAPUT XXXV.

Refutatur grande verbum Barclaii, quo exemptio clericorum fundatus tollitur.

In cap. 33. Barclaius omni timore, vel pudore deposito, ita pronunciat: « Amplius dicam, et veritatem dicam, licet odium fortassis mihi pariturum ab iis, quibus omnia sunt invidiosa, quæ suo studio, et desiderio vel minimum adversantur. Dicam ergo, et grande verbum proloquar, cujus forte, aut nondum meminit quisquam, aut si meminit, saltem eos quorum intererat id scire, non ut debuit commonefecit, clericos scilicet per totum orbem, quocumque ordine, vel gradu sint, non esse adhuc ullo modo exemptos, et liberatos a potestate temporali principum sæcularium, in quorum regnis, et regionibus vitam degunt, sed perinde, ac cæteri cives, iis subjectos esse in omnibus, quæ ad politicam, et temporalem administrationem, et jurisdictionem pertinent, inque eos jus vitæ, ac necis, sicut in cæteros subditos ad ejusmodi Principes pertinere. »

Hoc grande verbum Barclaii, nihil est aliud, nisi grandis temeritas, et intolerabilis error hominis unius, qui ut regibus aduletur, non veretur opponere se veritati, et scriptoribus omnibus theologis, et canonistis, quorum duos paulo ante citavimus, Sotum videlicet, et Covarruviam: quibus addere potuissemus scriptores alios innumerabiles, et quod majus est concilia quatuor generalia paulo ante citata, Lateranensia videlicet duo, Constantiense, et Tridentinum, in quibus generatim affirmatur, non habere laicos ullam in clericos potestatem; neque excipiuntur imperatores vel reges. Neque est quod laboremus in demonstranda hujus doctrinæ novitate, nam ipse fatetur, se verbum grande prolocuturum, cujus forte nondum meminit quisquam.

Sed videamus, quibus argumentis, tam grande, et adhuc inauditum verbum Barclaius persuadere orbi terrarum nitatur, contraham autem in breve compendium totam ejus ratiocinationem, ut quam vim habeat, facilius percipiatur. Sic igitur ille: « Christiani tum clerici, tum laici subjecti erant principibus infidelibus, atque ab eis judicari possunt: quia Christi lex neminem privat jure dominioque suo. Rursus Principes fideles exemerunt quidem privilegiis suis clericos a potestate Magistratuum inferiorum; sed non exemerunt a potestate sua: nusquam enim memoriæ proditum est ab ullo scriptore, principes, qui istis clericos privilegiis donarunt, ita eos a se liberos dimisisse, ut sibi amplius non subessent. Imo nec potuerunt principes, nec adhuc possunt clericos in suis regnis constitutos ea libertate donare, ne ipsis potestate temporali subsint; neve delinquentes ab iis judicari, et puniri possint, nisi eadem opera sese principatu abdicent. Nam proprium est principis posse animadvertere in cives, et membra suæ reipublicæ; sunt autem clerici, quod ad temporalia attinet, cives, et membra reipublicæ politicæ, cujus caput, et rector est princeps. Quare Carolus V. imperator Hermannum archiepiscopum Coloniensem in jus ad se vocari jussit, ut de criminibus a clero, et universitate ei objectis se purgaret, teste Surio in Comment. anni 1545. Et multi principes sibi quædam clericorum delicta specialiter vindicanda reservarunt, eaque suis magistratibus judicanda committunt: ut sunt illa crimina, quæ in Gallia privilegiata vocantur, veluti Majestatis, gestationis armorum, adulterinæ monetæ, et similia ». Hæc ille. Ex quibus omnibus sequitur, clericos non esse exemptos a potestate, et jurisdictione principum temporalium.

Respondebo nunc ordine ad singulas propositiones. Ad primam illam de subjectione clericorum principibus infidelibus duæ sententiæ sunt, ut supra diximus: et neutra favet Barclaio. Vera sententia est, clericos jure fuisse exemptos etiam a potestate principum infidelium, quamvis de facto subjecti essent: exemit autem eos, tamquam proprios suos ministros ille, qui Apoc. 1 vere dicitur Princeps regum terræ. Itaque juxta hanc sententiam neganda est propositio prima Barclaii, quam neque ille usquam probavit, neque hoc loco probat, sed assumit, ut concessam; quam tamen graviores scriptores non concedunt, videlicet omnes illi, qui exemptionem istam de jure divino esse docent. Sed etiamsi concederetur, nihil inde Barclaius colligeret, quoniam negaretur illa consecutio, Ergo subjecti sunt clerici judicio, et potestati principum fidelium: hanc enim propositionem, quæ est secunda apud Barclaium, negant omnes catholici scriptores, tam theologi, quam canonistæ: negatur autem illa consecutio, quoniam summus Pontifex clericos absolute exemit a potestate principum fidelium, qui ejus potestatem agnoscunt: a potestate autem principum infidelium, qui ejus potestatem non agnoscunt, non ita absolute exemit: cum eos censuris ecclesiasticis coercere non possit: ipsi etiam Christiani principes clericos exemerunt, intelligentes, quanta sit dignitas clericorum, quod principes infideles non fecerunt, cum eis spiritualis illa dignitas nota non esset. Ad illam tertiam propositionem, lex Christi neminem privat jure, dominioque suo: jam supra respondi capite superiore, ubi ostendi, per exemptionem clericorum non privari pincipes jure, quod habebant in eosdem, antequam clerici essent, per se, et proprie, sed consequenter, et quasi per accidens: quemadmodum cum filius familias evehitur ad Episcopale fastigium, eximitur a patria potestate; nec tamen fit injuria patri, quoniam non privatur pater jure suo per se, sed consequenter: non enim intendit Ecclesia privare patrem jure patriæ potestatis, sed evehere personam illam ad gradum, quo dignus est, quamvis inde sequatur illa privatio patriæ potestatis. Vide multa alia exempla capite superiore.

Ad quartam propositionem, quæ erat, a nullo scriptore memoriæ proditum esse, quod principes exemerint clericos a potestate sua, sed solum quod exemerint a potestate magistratuum inferiorum,

Respondeo: Videtur qui hoc dicit, aut nihil legisse, aut lectores fallere voluisse. Scribit enim Ruffinus lib. x. hist. cap. 2. Constantinum imperatorem disertis verbis pronuntiasse, sibi non esse licitum judicare Sacerdotes, sed ab aliis potius se esse judicandum. Ubi satis aperte declaravit, sacerdotes exemptos esse non solum a potestate judicum inferiorum, sed etiam ab ipsius supremi Principis imperio. Cui declarationi consentanea est lex ejusdem Constantini septima in Codice Theodosiano, de Episc. et clericis. « Lectores, inquit, divinorum apicum, et hypodiaconi, et cæteri clerici, qui per injuriam hæreticorum ad curiam devocati sunt, absolvantur; et de cætero ad similitudinem Orientis minime ad curias devocentur, sed immunitate plenissima potiantur ». Hæc ille, qui cum absolute prohibeat Clericos ad curias devocari, et velit plenissima immunitate potiri, et nihil omnino excipiat, manifestum est, eum velle, ut neque ad ipsius principis curiam devocentur: non enim esset plenissima immunitas, si principali potestati essent obnoxii. Similis est lex Theodosii, et Valentiniani Cod. Theod. l. ultima de Episc. et Clericis, ubi sic legimus: « Clericos, quos indiscretim ad sæculares Judices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, Episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est, ut divini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio ». In qua lege dum nihil excipitur, omnia comprehendi videntur, nisi forte principis potestas, temporalis dici non debeat. Ipse quoque Justinianus novella octogesima tertia, quæ sæpe ab adversariis citatur, quasi in ea Clerici in criminalibus exempti non videantur a foro sæculari, habet hæc verba: « Prius hunc spoliari a Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate, et ita sub legum fieri manu ». Ubi videmus, clericos, dum clerici permanent, non esse sub potestate legum, sed solum posteaquam clericali honore per Episcopos privati sunt: ac per hoc non solum exemptos esse, dum clerici sunt, a potestate judicum inferiorum, sed ab ipsis principum legibus, quod ad coactionem attinet: atque hoc est quod concilium Constantiense sess. 31. dixit, « Laicos nullam in Clericos jurisdictionem, vel potestatem habere ». Et certe nomine laicorum principes etiam supremos comprehendit, cum, et ipsi laici sint. Denique, ut alia multa præteream, imperator Fridericus Secundus, in prima sua Constitutione generaliter loquitur, dum ait: « Item statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel civili trahere ad judicium sæculare præsumat, contra constitutiones imperiales, et canonicas sanctiones », hæc ibi. Per sæculare autem judicium non intelliguntur judicia solum judicum inferiorum, sed etiam supremorum, cum omnia sint æque sæcularia. Atque re ipsa sic observari

videmus, ubi sacrorum Canonum reverentia viget.

Ad quintam propositionem, quæ erat, non potuisse principes supremos eximere clericos a sua regia potestate : respondemus, id manifeste falsum esse. Nam etiamsi non possit summus princeps, omnes qui in regno suo degunt ab omni potestate sua eximere, nisi principatu ac abdicet, tamen potest aliquam partem populi sui ab aliqua parte potestatis suæ, vel etiam a tota eximere, et simul vere princeps dici, et esse. Proprium enim summi principis est, tributum a populo sibi subjecto exigere, ut Apostolus docet ad Rom. XIII. *Ideo enim*, inquit, *et tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes* : et potest tamen rex, quos vult in suo regno immunes a tributis facere. Dicitur enim lib. I Reg. cap. XVII. *Qui percusserit Philistæum, ditabit eum rex dicitis magnis, et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel* (1). Sic etiamsi magnus aliquis rex in medio regno suo civitatem unam, vel liberam faciat, vel alicui absolute donet, non ideo rex dici non poterit totius regni sui, præsertim si civitatem illam protegat, et defendat; et cives illi leges regni sponte servent : sic igitur potuerunt reges, clericos in suo regno degentes eximere a potestate sua regia, et reges tamen dici, et esse non solum laicorum, sed etiam clericorum, qui leges ejus politicas libere servant; et causas, quas cum laicis habent, cum actores sunt ad tribunal ipsius deferunt : et judicio, ac sententia ejus in ejusmodi causis acquiescunt. Et quoniam rex pro defensione non solum laicorum, sed etiam clericorum laborat, et vigilat, ideo non solum laici, sed etiam clerici honorem ei deferunt, qui regibus debetur, juxta præceptum apostoli Petri, *Deum timete, regem honorificate*. I Pet. II. Denique pro rege Deum orant, ut Apostolus monet I Timoth. II. dicens : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et pro omnibus, qui in sublimitate sunt* (2) : nec solum pro regibus generatim preces ad Deum fundunt, sed in specie dicunt, pro rege nostro N. vel pro imperatore nostro N.

« At, inquit Barclaius, omnia membra debent subesse capiti, et omnes cives rectori civitatis, ita ut caput, et rector in omnia membra, et cives animadvertere possit : sunt autem clerici membra corporis politici, et cives terrenæ civitatis, quoad temporalia ».

Respondeo : In corpore naturali necesse est, ut omnia membra capiti subsint; quoniam in ejusmodi corpore locum non habet exemptio. Sed in corpore politico, in quo locum habet exemptio, non est necesse, ut omnia membra, id est, omnes cives proprie subsint potestati capitis, id est, rectoris, ac per hoc non est necesse, ut principes in omnes cives animadvertere possint, sicut non est necesse, ut omnes cives solvant tributa, neque ut omnes armis Rempublicam temporalem juvent. « At perturbabitur respublica, si clerici leges principum impune transgrediantur ». Respondeo : Non impune transgredientur, quoniam ab Episcopo suo, vel Pontifice Summo coercebuntur. At « Carolus V. vocavit ad tribunal suum Hermannum Archiepiscopum Coloniensem ». Verum est, sed vocavit, ut principem imperii, eumdem enim ad suum tribunal vocavit Paulus III. Pontifex, ut archiepiscopum, eodem teste Surio, in eodem loco, qui Surius postea scribit, anno 1547. jussu summi Pontificis, et imperatoris Hermannum loco motum fuisse. Sententia vero depositionis a Pontifice lata est; quam autem fuerit Carolus V. diligens observator Ecclesiasticæ immunitatis, ex eo potest intelligi, quod anno 1520. detecta atroci conspiratione adversus eumdem Carolum, in qua Ecclesiastici nonnulli intermisti erant, Carolus in laicos animadvertit, ecclesiasticos superioribus ecclesiasticis puniendos remisit, testis Molin. lib. IV. cap. 21. de Hisp. primog.

Addebat Barclaius, esse quædam delicta gravia, quæ privilegiata dicuntur in Gallia, summis Principibus reservata. Sed hoc argumentum in ipsum auctorem retorqueri potest : illa enim non dicuntur privilegiata, quia princeps ipse sibi reservaverit, quando privilegium exemptionis clericis concessit, ut Barclaius existimat : sed dicuntur privilegiata, quia privilegio Sedis Apostolicæ indultum est regibus Francorum, ut ea delicta cognoscere possint : id quod explicat Clarus q. 36. paragr. fin. versic. ulterius, quæro, et in Clementina, Ut Clericorum, de offic. Judic. ordin. limit. 13.

Ad ultimam propositionem, quam colligit

(1) Rom. XIII, 6; I Reg. XVII, 26. — (2) I Pet. II, 17; 1 Timoth. II, 1.

Barclaius ex supradictis, quod videlicet, exemptio Clericorum a potestate principum nulla sit,

Respondeo : Eam propositionem ex dictis perperam colligi; tum quia demonstratum est, summos principes potuisse, et voluisse clericos a sua potestate eximere : tum quia licet ipsi non voluissent, aut non potuissent, potuit, et voluit Summus Pontifex illos eximere, aut jure divino exemptos declarare : neque possunt principes etiam supremi hanc exemptionem impedire. Atque hæc est communis Doctorum Theologorum, et Canonistarum sententia, cui hactenus nonnisi hæretici restiterunt. Et quidem quod hoc sentiant illi, qui exemptionem volunt esse de jure divino, ne Barclaius quidem dubitat, et expresse docet Navarrus in cap. Novit. de Judiciis, notab. 6. num. 30. Quod autem idem etiam fateantur, et doceant illi, qui exemptionem arbitrantur non esse de jure divino, perspicuum est ex Francisco Victoria, Relect. de potestate Eccles. q. 6. proposit. 5. ex Dominico a Soto, in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. ex Martino Ledesmio in quartum, part. 2. q. 20. art. 4. ex Dominico Bannes in 22. q. 67. art. 1. et ex Didaco Covarruvia pract. quæst. cap. 31. concl. 3. et 4. cujus verba, ut etiam Soti, capite superiore adduximus. Hinc solvitur quæstio, quam Barclaius in extremo capite insolutam reliquit, liceat ne principi privilegium exemptionis clericorum revocare. Respondent enim Doctores allegati, nullo modo licere.

CAPUT XXXVI.

Defenditur secunda, et tertia pars rationis quintæ principalis pro potestate Pontificis Maximi in temporalibus.

In cap. 34. Barclaius post longam digressionem de exemptione clericorum, redit ad oppugnandam secundam partem rationis meæ principalis, quam proposuerat initio cap. 32. Argumentum meum hoc erat : Pastoris munus est arietes furiosos, atque ovile destruentes separare, et recludere : Princeps autem est aries furiosus, atque ovile destruens, quando est Catholicus fide, sed adeo malus, ut multum obsit Ecclesiæ, et Religioni, ut si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, etc. Ergo poterit Pastor Ecclesiæ eum recludere, et in ordinem redigere.

Ad hoc argumentum respondit in illo cap. 32. Barclaius, totum argumentum posse concedi, quoniam ex eo nihil aliud efficitur, nisi posse principem malum, et Ecclesiæ noxium separari a gregis consortio per sententiam excommunicationis. Nos vero eam responsionem in cap. 33. refutavimus, ad quam lectorem remittimus. Nunc igitur in cap. 34. Barclaius hæc addit.

« Ad argumentum, inquit, nunc revertor, quod cap. 32. initio propositum est, et respondeo, nihil illud ad honorum quorumlibet temporalium, nedum ad regni ademptionem pertinere. Certum enim est, et certo certius, excommunicationem, qua sola separantur, et excluduntur perversi Christiani a consortio fidelium, et communione Ecclesiæ, nemini patrimonium, et bona temporalia auferre ». Hæc ille, qui post multa verba in hac re explicanda consumpta concludit, si non possit Papa per excommunicationem adimere patrimonia privatis hominibus, multo minus posse per eamdem censuram privare reges, ac principes imperiis, atque regnis.

« Numquid, inquit, plus ei potestatis in principes, quam in privatos, Dei lege, tributum esse constat? aut numquid principibus, quam privatis duriore, et deteriore conditione est vivendum, ut quod Ecclesia in privatum nequeat, id in Principem possit exercere? »

Respondeo : Cum dixi, arietem furiosum posse per Pastorem separari, et recludi, non intellexi per separationem et reclusionem, solam excommunicationem, sed excommunicationem, et depositionem : quemadmodum enim pastor non solum separat arietem a grege, sed etiam recludit quasi in carcere, ut non amplius gregem ducat : sic Pontifex summus regem destruentem Ecclesiam, non solum separat per excommunicationem a communione fidelium, sed etiam deponit, et in ordinem redigit, ut non amplius populos regat. Itaque tota illa longissima disputatio, qua Barclaius probat, per excommunicationem non privari homines proprio patrimonio, supervacanea est, neque vim argumenti nostri Barclaius assecutus est : quemadmodum etiam vocem, recludere, exposuit per vocem, excludere, cum exponenda esset per vocem, includere, ut cap. 33. docuimus.

Addo præterea magnum esse discrimen inter privatas opes, et publicam jurisdictionem; ut etiam inter substantiam, sive divitias, et potestatem, sive auctoritatem : potest enim homo aliquis pauperrimus esse privatis opibus, et jurisdictionem publicam, atque amplissimam habere : et potest contra ditissimus esse auro, atque argento, agris, et vineis, et armentis : et nullam habere in alios homines politicam potestatem. Ex quo discrimine fit, ut quamvis excommunicatio non privet patrimonio proprio, et opibus, et divitiis, privet tamen jure, et potestate commercii humani, electionum, et contractuum, et similium; et simul impediat publicam forensem jurisdictionem : neque enim licet excommunicatis forensia judicia exercere, audire causas, sententiam ferre, insontes animadvertere, ut supra probavimus, ex cap. Ad probandum, de sent. et re judic.

Quamvis autem ex vi solius excommunicationis, nisi in casu hæresis, et apostasiæ, non sequatur amissio regni, vel imperii : tamen summus Pontifex, qui potest excommunicando suspendere jurisdictionem, ut diximus, potest etiam deponendo privare omni jurisdictione, et potestate regia : quæ ut in prolegomenis ostendimus, communis est Doctorum, et Ecclesiæ ipsius sententia. Nec tamen hinc sequitur, plus habere potestatis Pontificem in principes, quam in privatos : nam privati non possunt deponi a regno, quia regnum non habent, non quia minus obnoxii sint potestati summi Pastoris : et tamen possunt etiam ipsi privari rebus, quas habent; quod fit cum pœna pecuniaria, aut exilii, aut carceris, aut alia corporali pœna mulctantur : falsum enim est, quod Barclaius nimium sæpe repetit, corporalem pœnam in solius politici magistratus potestate positam esse : cujus contrarium praxis ostendit, præsertim in tribunali sancti Officii.

Addit postea Barclaius aliam rationem, quam in forma syllogisticæ ratiocinationis hoc modo disponit :

« Summus Pontifex non habet nunc majus imperium in principes temporales, quam habuit antequam ipse esset princeps temporalis.

« Atqui antequam esset princeps temporalis, nullum in eos temporale imperium ullo modo habuit.

« Ergo nullum nunc quoque in eos ullo modo habet. »

Et quoniam propositio manifesta videtur, probat assumptionem hoc modo :

« Nemo inferior, et subjectus habet imperium in suum superiorem, et dominum, ut possit eum judicare in eo ipso in quo est ei subjectus :

« Papa autem, antequam fieret princeps temporalis, erat regibus, et imperatoribus, quantum ad temporalia, inferior, et subjectus :

« Ergo non habet in eos temporale imperium, ut possit eos in temporalibus judicare. »

Respondeo : Assumptio prioris syllogismi falsa est. Proinde etiam falsa conclusio est. Siquidem summus Pontifex jus, quod habet in temporalibus supra reges, et principes Christianos, non acquisivit ex Principatu temporali, quem nunc possidet, sed habuit a Christo, quando ab eo accepit potestatem Apostolicam, et supremam supra omnem Ecclesiam, ut esset ipsius Vicarius generalis, caput, et rector, et pastor, et princeps omnium fidelium : quamvis enim, ut sæpe dictum est, ea potestas in se spiritualis sit, tamen extenditur ad temporalia eo modo, quo spiritus humanus, quamvis vere, et proprie spiritus sit, non corpus, vel corporalis, tamen regit membra corporis, cui præsidet, et ea castigat, et punit, prout ad salutem expedire cognoscit. Quare probatio assumptionis in posteriore syllogismo, nullas vires habet, nam assumptio quoque syllogismi posterioris est falsa, ac per hoc est etiam totius syllogismi falsa conclusio : si quidem falsum est, summum Pontificem fuisse unquam regibus, et imperatoribus jure subjectum, neque id probavit Barclaius, quod ut probatum assumit.

At, inquit, adversarii dicunt, exemptionem personarum Ecclesiasticarum jure humano introductam esse.

Respondeo : Bellarminus, qui citatur in margine, non dicit jure humano solum, sed jure humano, et divino. Deinde illi ipsi, qui exemptionem Clericorum dicunt esse de jure humano, addunt eam, quoad personas, esse valde conformem juri naturali, et divino, ut perspicuum est ex Dominico de Soto in 4. dist. 25. quæst. 2. concl. 5. Præterea iidem auctores, qui negant exemptionem Clericorum esse de jure divino diserte affirmant, summum Pontificem potuisse, et debuisse eximere clericos, etiam principibus temporalibus inconsultis : neque posse temporales

principes contrarium suis legibus constituere, ut supra notavimus, ex Victoria, Soto, Ledesmio, Bannesio, et Covarruvia : falsum est igitur quod tot verbis inanibus hoc loco Barclaius repetit de exemptione solo principum privilegio, et munere clericis concessa.

Transit postea Barclaius ad tertiam partem rationis quintæ principalis pro potestate summi Pontificis in temporalibus : omitto enim quæ ipse repetit ex c. 15. quæ ibidem refutata sunt, sic autem loquitur : « Superest supremum Bellarmini argumentum, in quo refutando non multa opera opus est. Tertium, inquit, argumentum est » : Potest Pastor, ac debet omnes oves ita pascere, ut eis convenit : ergo potest Pontifex Christianis ea jubere, atque ad ea cogere ad quæ quilibet eorum secundum statum suum tenetur, id est, singulos cogere, ut eo modo Deo serviant, quo secundum statum suum debent : debent autem reges Deo servire defendendo Ecclesiam, puniendoque hæreticos, et schismaticos : ergo potest, ac debet regibus, jubere ut hoc faciant, et nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes.

Ad hoc argumentum Barclaius respondet, si agatur de pastu, et pœnis spiritualibus, totum argumentum concedi posse : tenetur enim summus Pontifex pascere omnes Christianos pastu spirituali : nam ad pascendum pastu corporali, facultates ejus quantumvis amplæ sint, nullo modo sufficerent : sic etiam tenetur cogere omnes ad officium suum pœnis spiritualibus, quarum gravissima excommunicatio est, sed ulterius progredi non potest : et allegat ad hoc probandum Joannem Driedonem in lib. II. de libertate Christiana cap. 4.

Sed hæc Barclaii responsio supra refutata est multis in locis, et nunc ex ipso Driedone, quem ipse citat, refutari potest : scribit enim Barclaius a Driedone nullam aliam judicii, et correctionis Papalis in imperatores delinquentes pœnam, nisi solam excommunicationem poni. At Joan. Driedo repugnat Barclaio, eumque his verbis confutat, lib. I de libertate Christiana, cap. 14. » Verum hoc non est silentio prætereundum, quod Papa ex plenitudine potestatis super universos principes Christianos, potest reges ac principes propter hæresis crimen privare suis regnis, atque imperiis, et in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia, et subjectione eorum. » Hæc Driedo, quem in patronum sententiæ suæ allegavit Barclaius; qui certe insignis Doctor Joannes Driedo non poterat clarius mendacium, et imposturam Barclaii redarguere. Quod ergo nos diximus, et docent omnes Catholici, posse Pastorem summum Christianorum cogere omnes ad officium suum præstandum in obsequium Dei; non intelligitur de sola coactione, per excommunicationem, sed etiam per privationem regnorum, et principatum, si ad salutem gregis idem pastor expedire judicaverit.

CAPUT XXXVII.

Defenditur primum exemplum allatum pro potestate summi Pontificis in temporalibus.

In cap. 35. et 36. refert, et refellit Barclaius argumenta quædam Nicolai Sanderi, quam totam disputationem omittendam hoc loco esse censui, quoniam non suscepi onus probandi omnia argumenta, quæ a Catholicis scriptoribus proponuntur, esse insolubiles demonstrationes. Scio multa interdum probabilia admisceri argumentis solidioribus, quæ quamvis per se, ac sola, vim persuadendi non habeant, tamen addita firmioribus argumentis, non parum juvant ad rem, de qua agitur, confirmandam. Itaque conclusionem Sanderi, quæ communis est inter omnes Catholicos scriptores, adversus Barclaium, cujus manus sunt contra omnes, ut scriptura de Ismaele loquitur, defendendam mihi desumpsi, et simul ad ea, quæ proprie adversus mea scripta Barclaius objecit, respondendum mihi esse judicavi. Igitur in cap. 38. refert argumentum meum primum ab exemplo, et figura veteris testamenti ductum, hæc autem est argumenti summa. Ozias rex in lib. II Paralip. cap. XXVI. cum sacerdotum officium usurparet, et a sacerdotibus repulsus non acquiesceret, continuo lepra divinitus percussus fuit, atque judicio Sacerdotum separatus e cœtu populi, seorsim in domo solitaria habitavit usque ad obitum : ex quo factum est, ut regni administratione privatus fuerit, et filius ipsius in civitate populum judicaverit. Hinc argumentum ejusmodi conficitur : Si ob lepram corporalem poterat sacerdos olim regem judicare, et regno privare : quare id non poterit nunc propter lepram spiritualem, id est, propter hæresim, quæ per lepram figuraba-

tur, ut S. Augustinus docet lib. II. quæst. Evang. quæst. 40 præsertim cum I. Corinth. x. Paulus dicat, contigisse Judæis omnia in figuram ?

Ad hoc argumentum respondet Barclaius, judicio Sacerdotum fuisse regem Oziam propter lepram separatum a reliquo populo; et eodem modo posse nunc regem judicio summi Pontificis propter hæresim separari per excommunicationem a cœtu fidelium : negat autem fuisse regem Oziam regno privatum, et propterea etiam negat, posse regem a Pontifice propter hæresim regno privari. Quod autem non fuerit Ozias regno privatus, probat ex eo quod Scriptura testatur, *anno ætatis sexto decimo regnare cœpisse, et quinquaginta duobus annis regnasse.* IV Reg. xv, et II. Paralip. xxvi, proinde regnasse ab anno sexto decimo usque ad mortem. Idem etiam probat ex eo quod eadem Scriptura dicit, *Joatham, filius regis, gubernabat palatium, et rexit domum regis et judicabat populum terræ* (1) ; hinc enim colligitur, filium regis non auctoritate propria, sed nomine Patris sui ægrotantis regnum administrasse : hæc Barclaius.

Respondeo : Ozias lepra percussus retinuit quidem nomen regium, sed mane : filius vero ejus sine regio nomine regnum cum plena potestate administravit, id verbis disertis testatur Josephus lib. IX. Antiquitatum, cap. 11. ubi dicit, « Oziam privatum vixisse in domo solitaria, et filium ejus rempublicam administrasse, » quod idem satis aperte indicat Scriptura, cum ait : Filius regis judicabat populum terræ : neque addit, id eum fecisse jussu patris, aut patris nomine; neque toto eo tempore quo rex percussus lepra mansit in domo solitaria, ullam partem regiminis ad eum ullo modo pertinuisse. Atque hoc intellexi, cum in argumento dixi, coactum fuisse Oziam filio regnum renunciare : per regnum enim non vocabulum regis, sed auctoritatem significavi : quam auctoritatem pater non retinuit, sed privatus vixit, ut Josephus loquitur. In hoc igitur vis argumenti ab exemplo ducti posita est, quod quemadmodum rex Ozias lepra percussus judicio sacerdotum coactus est habitare in domo solitaria, et regni administratione dimissa privatus vivere : sic etiam rex hæreticus, judicio summi Sacerdotis per excommunicationem separari possit a cœtu piorum, non solum quoad Sacramentorum, et precum communicationem, ut Barclaius admittit, sed etiam quoad forense judicium, et regni administrationem, quod Barclaius negat. At Oziæ relictum est nomen regium. Verum id quidem, sed non ideo nomen regium relinqui debet homini propter hæresim excommunicato, atque deposito : nam lepra spiritualis deterior est lepra corporali : et sacerdos Christianus præstantior est Sacerdote Levitico, et res figurata perfectior est, quam sit ipsa figura, sic enim agnus paschalis par non erat Christo crucifixo, et manna inferius est Eucharistia, et circumcisio Baptismum non æquat.

Quod autem Barclaius disputat de differentia auctoritatis regnandi, et administrationis regni, non faciat ad rem, tum quia Ozias non sola administratione, sed etiam auctoritate privatus fuisse dicendus est, cum Josephus dicat, eum privatum in magno mœrore vixisse post acceptam plagam lepræ : tum etiam quia Barclaius non concedit, regem hæreticum posse privari administratione regni, sic enim ipse loquitur pag. 312, « Quod autem dixi, Papam posse separare regem hæreticum a communione fidelium per excommunicationem, de separatione spirituali animorum, non corporum, intelligendum est, subditi enim regi excommunicato obsequium denegare non debent » : hæc ille, qui sine dubio, ut etiam supra docuit, non permittit, posse per Pontificem interdici regi hæretico administrationem regni, et curatorem illi dari, ut ipse fatetur, datum esse regi Oziæ filium curatorem. Quare falso postea dicit, « figuram Oziæ, lepræ, separationis, bellissime convenire cum rege, hæresi, et excommunicatione : et ex hac figura temporalem Pontificis potestatem omnino fictitiam, usurpatam, atque a jure divino alienam ostendi. » Quo modo enim figura cum re figurata concordat, si in figura ponitur rex coactus habitare in domo solitaria, et negotia regni nulla tractare : in re figurata ponitur rex libere in Urbe regia residere, et jus dicere, ut antea faciebat ? Et si veritas figuræ requirit, ut nihil minus, sed potius aliquid amplius in re figurata reperiatur, quam in ipsa figura : et ideo necesse est, ut rex hæreticus per sententiam Pontificis administratione regni,

(1) IV Reg. XV et II ; Paralip. XXVI, 3.

et ipsa quoque auctoritate privetur, quo modo ex hoc figura temporalis potestas Papæ fictitia, et usurpata, et a jure divino aliena monstratur ? Maneat ergo argumentum nostrum ab exemplo apposite ductum esse : neque a Barclaio potuisse convelli.

CAPUT XXXVIII.

Defenditur secundum exemplum pro potestate Pontificis in temporalibus.

Proponit deinde Barclaius in cap. 28. secundum exemplum a nobis adductum ex lib. II Paralip. cap. XXIII. Ubi narratur, Athaliam reginam faventem superstitioni et idololatriæ Baal a Pontifice Joiada regno, et vita fuisse privatam, et Joas regem in ejus locum institutum.

Ad hoc exemplum refutandum sternit sibi Barclaius viam digressiuncula quadam, ex conflictis rumoribus, et solita maledicentia in Pontifices. Scribit enim hoc exemplum a me allatum, ne indiligentiæ, aut prævaricationis apud Sixtum V. Pontificem accusarer, si illud ab aliis antea notatum omisissem. At ego multo antea quam Sixtus. V. Pontifex crearetur, hæc scripseram, et in scholis dictaveram : deinde, si tam multa alia exempla prætermisi, quæ in Sandero legerum, ut Barclaius ipse testatur, cur timere debui offensionem Pontificis, si istud unum prætermitterem ? Quod vero addit Barclaius, Sixtum V. in animo habuisse, ordinem Jesuitarum ad arctiorem formam vivendi, atque ad certum vestimenti genus cogere ; fabulæ sunt hominum otiosorum, et mirum est Barclaium in his etiam nugis referendis voluisse tempus consumere. Quod vero adjungit, Bullam ejusdem Sixti V. qua Pontimussanæ Academiæ perpetuus Rectoratus Jesuitis addicitur, supposititiam, vel obreptitiam videri, et quamvis vere sit a Sixto concessa, valere tamen non debere, quia statim ab ejus creatione fuerit impetrata : non jam ad fabulas, vel nugas, sed ad calumnias et maledicentiam pertinet : quasi non potuerit idem Pontifex toto illo quinquennio, quo Pontificatum gessit, eam bullam revocare, si supposititiam, aut obreptitiam, aut fraude extortam didicisset.

Sed his omissis, ad exemplum Joiadæ Pontificis Athaliam *reginam exauctorantis*, respondet Barclaius exemplum illud ad rem non facere; quod Athalia nullo jure regnaret, sed immani tyrannide per vim, et scelus regnum occupasset.

At verum quidem est, initium regni Athaliæ tyrannicum, et violentum fuisse : sed cum annis sex quiete regnaverit, credibile est, populum consensu suo regnum ejus approbasse, præsertim cum ignoraretur superesse adhuc unum ex filiis regis defuncti, et fama esset, omnes omnino interiisse. Neque novum, aut insolitum est, ut initia regnorum sint violenta, et tyrannica, et tamen paulo post consentiente populo reges legitimi habeantur. Ipse certe Augustus, qui imperator optimus habitus est, rempublicam injuste initio oppressit, et Principatum sibi armis violenter usurpavit. Otho Galbam occidit : Vitellius Othonem ejecit : Vespasianus Vitellium ; et omnes tamen imperatores a Senatu, Populoque Romano salutati sunt. Quid atrocius, quam quod Philippus gessit, cum Gordianum imperatorem legitimum sustulit, et imperium ejus invasit ? et tamen ipse quoque legitimus imperator habitus est. Mitto Odoacrem Herulum, Gothos, et Longobardos invasores Italiæ ; et alios prope innumerabiles, qui per vim regna occuparunt, et postea tamen accedente consensu populorum reges legitimi habiti sunt.

At, inquit Barclaius, Sacerdos Joiada, non auctoritate propria Athaliam deposuit, sed hortatus est centuriones, et milites cum illis in Athaliam conspiravit : sic enim Scriptura loquitur : *Misit Joiada Pontifex, et assumens centuriones, et milites introduxit in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus.*

Et hoc verum est, sed non impedit quo minus Joiadæ auctoritate regina deposita fuerit. Sacerdos enim non poterat solus implere quod proposuerat ; ideo centurionibus, et militibus ad se accersitis, exposuit illis propositum suum deturbandæ reginæ de solio, tum ob alia crimina, tum quod falsam religionem Baal foveret : neque simplici promissione militum contentus esse voluit, sed fœdus cum eis iniit, et adjuravit eos, ut fortiter proposito suo cooperarentur. Denique ipse armavit milites tradens eis hastas, et reliqua arma regis David, quæ erant in domo Domini : ipse jussit interfici reginam ; ipse novum regem coronavit ; ipso auctore totus populus templum Baal evertit, et aras idolorum destruxit, et sacerdotem Baal aram *ante ipsum occidit.*

CAPUT XXXIX.

Defenditur tertium exemplum allatum pro potestate summi Pontificis in temporalibus.

Tertium exemplum attuleram ex S. Ambrosio, qui Theodosium imperatorem excommunicavit propter cædem, quam Thessalonicæ nimis crudeliter fecerat : deinde coegit eum, ut legem ferret, ne sententiæ latæ de cæde aut publicatione bonorum ratæ essent, nisi post triginta dies a pronunciatione sententiæ, nimirum ut si quid per iracundiam præcipitanter dictasset, intra spatium illud sedato pectore revocaret. Ex quo exemplo collegeram ab episcopo Mediolanense potuisse judicari imperatorem, qui apud Mediolanum sedem habebat. Ex quo rursus deduxeram, si hoc potuit Episcopus, quanto magis princeps Episcoporum Papa ?

Ad hoc exemplum ita respondet Barclaius, ut primum admittat, Episcopum posse cognoscere de crimine principis in foro externo Ecclesiastico, et illud punire pœna Ecclesiastica, qualis in primis excommunicatio est, et hoc modo cognovisse Ambrosium causam Theodosii de cæde, ut peccatum erat, et eumdem Theodosium reum factum excommunicasse : deinde concedit, ab episcopo Ambrosio imperatum fuisse, ut Theodosius legem illam ferret in pœnitentiam peccati commissi, sine quo pœnitentiæ fructu vel signo, eum ab anathematis vinculo non solvisset. Ex his vero colligit, S. Ambrosium habuisse in Theodosium spiritualem jurisdictionem, non autem temporalem, aut politicam.

At ego exemplum illud, quod attinet ad excommunicationem, non attuli adversus Barclaium, qui nondum orbi terrarum innotuerat : sed adversus alios, præsertim Anglos Calvinistas, qui negant principem supremum excommunicari posse a summo Pontifice, vel summum Pontificem ullam habere in supremos principes jurisdictionem, vel potestatem, quod vero attinet ad legem politicam, quam Theodosius ex Ambrosii præcepto tulit ; non utique negamus, eam ad fructum pœnitentiæ pertinere, et a spirituali potestate Episcopi fuisse imperatam : sed ostendere voluimus, posse principes Ecclesiasticos non solum in foro interno conscientiæ, sed etiam in foro externo ecclesiastico disponere de temporalibus, ut ad spiritualia ordinem habent. Certe enim qua potestate S. Ambrosius potuit Theodosium cogere, si a vinculo anathematis solvi vellet, ad legem illam politicam ferendam : eadem potuit eumdem cogere ad aliam legem politicam saluti animarum necessariam ferendam, nisi vellet anathematis vinculo alligari. Ex quo manifeste colligitur, multo majore ratione potuisse Pontificem Maximum, Ecclesiæ universæ præsidem, imperare principibus temporalibus sub anathematis pœna, ut leges politicas spirituali bono necessarias ferant, et contra, ut eas abrogent, quæ spirituale bonum impediunt : atque hoc modo spirituali potestati, temporalem potestatem esse subjectam.

CAPUT XL.

Defenditur exemplum quartum.

Quartum exemplum desumptum fuit ex privilegio sancti Gregorii monasterio sancti Medardi concesso, quod habetur lib. XII. Epistolarum extremo, in quo leguntur hæc verba : Si quis regum, antistitum, judicum, vel quarumcumque sæcularium personarum hujus Apostolicæ, et nostræ præceptionis decreta violaverit, cujuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo privetur, etc. Et similia habentur in alio privilegio ejusdem sancti Gregorii lib. II. epistol. 10. ad Senatorem abbatem.

De hoc exemplo sic loquitur Barclaius. « Si viveret hodie B. Gregorius, et superiora verba eo sensu accipi intelligeret, quasi ipse potestatem habuisset privandi reges suo honore, et dignitate : exclamaret profecto calumniosam esse interpretationem, et se numquam tale quid, vel per somnium cogitasse : ea vero quæ alibi scripta ab eo sunt, fidem abrogant huic expositioni, sunt igitur ista, non imperantis, sed imprecantis verba, quibus admonet et adjurat omne genus hominum, ne privilegium a se datum violent : quod si violaverint, Deum vindicem fore, qui eos suo honore privet, quod genus admonitionis et imprecationis nunc semper addi solet extremis Bullarum, et Constitutionum Pontificiarum, hoc modo,, Nulli ergo hominum liceat hanc paginam, etc., si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus incurrat, sive quod idem est, se noverit incursurum. »

Respondeo : Interpretatio verborum sancti Gregorii, non mea est, sed alterius sancti Gregorii dignitate paris, et sanctitate non multum inferioris. Sanctus, inquam, Gregorius VII Papa in Epistola ad Episcopum Metensem, quæ est vicesima prima libri octavi, hunc locum sancti Gregorii adducit ad probandum jure a se fuisse depositum Henricum imperatorem : « B. Gregorius, inquit, Papa reges a sua dignitate cadere statuit, qui Apostolicæ Sedis decreta violare præsumpserint, scribens ad quemdam senatorem abbatem, his verbis : Si quis vero regum, etc. Quod si B. Gregorius, doctor utique mitissimus, reges, qui statuta violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decrevit : quis nos Henricum non solum Apostolicorum judiciorum contemptorem, verum etiam ipsius Matris Ecclesiæ, quantum in ipso est conculcatorem, totiusque regni, et Ecclesiarum improbissimum prædonem, et atrocissimum destructorem deposuisse, et excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus ? » Hæc ille, cui Barclaius si cedere noluerit in interpretatione verborum sancti Gregorii, nimis temerarius erit : si autem cesserit, fateri debebit, sanctum Gregorium primum non ignorasse potestatem sibi divinitus datam extendi usque ad regum, et principum depositionem. Sed addamus et alium interpretem verborum sancti Gregorii, ut in ore duorum testium stet omne verbum. Thomas Valdensis, vir doctissimus in lib. II. doctrinalis fidei antiquæ artic. 3 cap. 75. « Profecto, inquit, nec B. Gregorius eminentiæ sui status super statum imperialem præjudicavit in aliquo, cum regem sibi verbo tenus præposuit, negotio quod tunc tractabatur attento, quod tunc apte videbimus, si posteriora ejus facta, et scripta quæramus. Vide an se magistrum et imperatorum et regum non arbitrabatur, cum post privilegia quædam Senatori presbytero, et Abbati Xenodochii Francorum directa sub interminatione dignitatis, et honoris omni ejus violatori conclusit : Si quis regum etc. » En quam bene doctor iste Barclaium nondum natum confutavit. Barclaius dicit ex aliis scriptis sancti Gregorii colligi, sanctum Gregorium non existimasse habere se potestatem super reges sæculi, quamvis ejus verba id significare videantur : Thomas Valdensis contradicit, ex aliis sancti Gregorii scriptis colligi, sanctum Gregorium verbo tenus se imperatori subjecisse, re autem vera non ignorasse eminentiam sui status super statum imperialem. Barclaius dicit : Verba sancti Gregorii sonare imprecationem, quam etiam quilibet privatus adjungere potest litteris suis ; Thomas Valdensis contra dicit : Verba sancti Gregorii sonare interminationem honoris, et dignitatis, quam litteris suis adjungere non potest, nisi princeps supremus. Utrum autem major fides habenda sit uni Barclaio, quam duobus viris tantæ eminentiæ, atque doctrinæ, stultum est quærere. Sed etiam si id quæratur ex verbis ipsius sancti Gregorii tota quæstio nullo negotio dissolvetur. Siquidem S. Gregorius tria simul conjungit, videlicet, honore suo privetur, a communione fidelium segregetur, in divino examine ad pœnas æternas damnetur. At duo posteriora non continent imprecationem, sed decretum, sive declarationem : non enim Prælatus, qui dicit, qui hoc fecerit, excommunicetur, imprecatur excommunicationem, sed jubet excommunicari : et qui dicit, qui hoc fecerit, in divino judicio ad pœnas æternas damnetur, non imprecatur damnationem æternam (quis enim tam crudelis invenitur, qui hoc imprecetur ?) sed declarat, qui hoc fecerit, eum gravissime peccaturum, et pœnas æternas in divino examine promeriturum. Igitur eodem modo illud : Honore suo privetur, non est imprecatio, sed decretum, ut ab honore suo decidat, et declaratio, ut liceat populo non obedire ejusmodi regi tamquam honore suo ac dignitate privato. Quemadmodum etiam verba extrema Constitutionum Apostolicarum non significant imprecationem, ut perperam Barclaius exposuit (neque enim summus Pastor, et Vicarius boni illius Pastoris, qui animam suam pro ovibus suis posuit, imprecaretur ovibus indignationem omnipotentis Dei), sed declarationem, et denuntiationem continent gravissimæ pœnæ, quæ contemptores Apostolicorum præceptorum sine dubio consequetur. Hoc enim manifeste significant illa verba : Indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli se noverit incursurum. Quare si sanctus Gregorius nunc in terris viveret, haud dubio exclamaret, calumniosam esse

CAPUT XXXIX.

Defenditur tertium exemplum allatum pro potestate summi Pontificis in temporalibus.

Tertium exemplum attuleram ex S. Ambrosio, qui Theodosium imperatorem excommunicavit propter cædem, quam Thessalonicæ nimis crudeliter fecerat : deinde coegit eum, ut legem ferret, ne sententiæ latæ de cæde aut publicatione bonorum ratæ essent, nisi post triginta dies a pronunciatione sententiæ, nimirum ut si quid per iracundiam præcipitanter dictasset, intra spatium illud sedato pectore revocaret. Ex quo exemplo collegeram ab episcopo Mediolanense potuisse judicari imperatorem, qui apud Mediolanum sedem habebat. Ex quo rursus deduxeram, si hoc potuit Episcopus, quanto magis princeps Episcoporum Papa ?

Ad hoc exemplum ita respondet Barclaius, ut primum admittat, Episcopum posse cognoscere de crimine principis in foro externo Ecclesiastico, et illud punire pœna Ecclesiastica, qualis in primis excommunicatio est, et hoc modo cognovisse Ambrosium causam Theodosii de cæde, ut peccatum erat, et eumdem Theodosium reum factum excommunicasse : deinde concedit, ab episcopo Ambrosio imperatum fuisse, ut Theodosius legem illam ferret in pœnitentiam peccati commissi, sine quo pœnitentiæ fructu vel signo, eum ab anathematis vinculo non solvisset. Ex his vero colligit, S. Ambrosium habuisse in Theodosium spiritualem jurisdictionem, non autem temporalem, aut politicam.

At ego exemplum illud, quod attinet ad excommunicationem, non attuli adversus Barclaium, qui nondum orbi terrarum innotuerat : sed adversus alios, præsertim Anglos Calvinistas, qui negant principem supremum excommunicari posse a summo Pontifice, vel summum Pontificem ullam habere in supremos principes jurisdictionem, vel potestatem, quod vero attinet ad legem politicam, quam Theodosius ex Ambrosii præcepto tulit ; non utique negamus, eam ad fructum pœnitentiæ pertinere, et a spirituali potestate Episcopi fuisse imperatam : sed ostendere voluimus, posse principes Ecclesiasticos non solum in foro interno conscientiæ, sed etiam in foro externo ecclesiastico disponere de temporalibus, ut ad spiritualia ordinem habent. Certe enim qua potestate S. Ambrosius potuit Theodosium cogere, si a vinculo anathematis solvi vellet, ad legem illam politicam ferendam : eadem potuit eumdem cogere ad aliam legem politicam saluti animarum necessariam ferendam, nisi vellet anathematis vinculo alligari. Ex quo manifeste colligitur, multo majore ratione potuisse Pontificem Maximum, Ecclesiæ universæ præsidem, imperare principibus temporalibus sub anathematis pœna, ut leges politicas spirituali bono necessarias ferant, et contra, ut eas abrogent, quæ spirituale bonum impediunt : atque hoc modo spirituali potestati, temporalem potestatem esse subjectam.

CAPUT XL.

Defenditur exemplum quartum.

Quartum exemplum desumptum fuit ex privilegio sancti Gregorii monasterio sancti Medardi concesso, quod habetur lib. XII. Epistolarum extremo, in quo leguntur hæc verba : Si quis regum, antistitum, judicum, vel quarumcumque sæcularium personarum hujus Apostolicæ, et nostræ præceptionis decreta violaverit, cujuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo privetur, etc. Et similia habentur in alio privilegio ejusdem sancti Gregorii lib. II. epistol. 10. ad Senatorem abbatem.

De hoc exemplo sic loquitur Barclaius. « Si viveret hodie B. Gregorius, et superiora verba eo sensu accipi intelligeret, quasi ipse potestatem habuisset privandi reges suo honore, et dignitate : exclamaret profecto calumniosam esse interpretationem, et se numquam tale quid, vel per somnium cogitasse : ea vero quæ alibi scripta ab eo sunt, fidem abrogant huic expositioni, sunt igitur ista, non imperantis, sed imprecantis verba, quibus admonet et adjurat omne genus hominum, ne privilegium a se datum violent : quod si violaverint, Deum vindicem fore, qui eos suo honore privet, quod genus admonitionis et imprecationis nunc semper addi solet extremis Bullarum, et Constitutionum Pontificiarum, hoc modo,, Nulli ergo hominum liceat hanc paginam, etc., si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus incurrat, sive quod idem est, se noverit incursurum. »

Respondeo : Interpretatio verborum sancti Gregorii, non mea est, sed alterius sancti Gregorii dignitate paris, et sanctitate non multum inferioris. Sanctus, inquam, Gregorius VII Papa in Epistola ad Episcopum Metensem, quæ est vicesima prima libri octavi, hunc locum sancti Gregorii adducit ad probandum jure a se fuisse depositum Henricum imperatorem : « B. Gregorius, inquit, Papa reges a sua dignitate cadere statuit, qui Apostolicæ Sedis decreta violare præsumpserint, scribens ad quemdam senatorem abbatem, his verbis : Si quis vero regum, etc. Quod si B. Gregorius, doctor utique mitissimus, reges, qui statuta violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decrevit : quis nos Henricum non solum Apostolicorum judiciorum contemptorem, verum etiam ipsius Matris Ecclesiæ, quantum in ipso est conculcatorem, totiusque regni, et Ecclesiarum improbissimum prædonem, et atrocissimum destructorem deposuisse, et excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus ? » Hæc ille, cui Barclaius si cedere noluerit in interpretatione verborum sancti Gregorii, nimis temerarius erit : si autem cesserit, fateri debebit, sanctum Gregorium primum non ignorasse potestatem sibi divinitus datam extendi usque ad regum, et principum depositionem. Sed addamus et alium interpretem verborum sancti Gregorii, ut in ore duorum testium stet omne verbum. Thomas Valdensis, vir doctissimus in lib. II. doctrinalis fidei antiquæ artic. 3 cap. 75. « Profecto, inquit, nec B. Gregorius eminentiæ sui status super statum imperialem præjudicavit in aliquo, cum regem sibi verbo tenus præposuit, negotio quod tunc tractabatur attento, quod tunc apte videbimus, si posteriora ejus facta, et scripta quæramus. Vide an se magistrum et imperatorum et regum non arbitrabatur, cum post privilegia quædam Senatori presbytero, et Abbati Xenodochii Francorum directa sub interminatione dignitatis, et honoris omni ejus violatori conclusit : Si quis regum etc. » En quam bene doctor iste Barclaium nondum natum confutavit. Barclaius dicit ex aliis scriptis sancti Gregorii colligi, sanctum Gregorium non existimasse habere se potestatem super reges sæculi, quamvis ejus verba id significare videantur : Thomas Valdensis contradicit, ex aliis sancti Gregorii scriptis colligi, sanctum Gregorium verbo tenus se imperatori subjecisse, re autem vera non ignorasse eminentiam sui status super statum imperialem. Barclaius dicit : Verba sancti Gregorii sonare imprecationem, quam etiam quilibet privatus adjungere potest litteris suis ; Thomas Valdensis contra dicit : Verba sancti Gregorii sonare interminationem honoris, et dignitatis, quam litteris suis adjungere non potest, nisi princeps supremus. Utrum autem major fides habenda sit uni Barclaio, quam duobus viris tantæ eminentiæ, atque doctrinæ, stultum est quærere. Sed etiam si id quæratur ex verbis ipsius sancti Gregorii tota quæstio nullo negotio dissolvetur. Siquidem S. Gregorius tria simul conjungit, videlicet, honore suo privetur, a communione fidelium segregetur, in divino examine ad pœnas æternas damnetur. At duo posteriora non continent imprecationem, sed decretum, sive declarationem : non enim Prælatus, qui dicit, qui hoc fecerit, excommunicetur, imprecatur excommunicationem, sed jubet excommunicari : et qui dicit, qui hoc fecerit, in divino judicio ad pœnas æternas damnetur, non imprecatur damnationem æternam (quis enim tam crudelis invenitur, qui hoc imprecetur ?) sed declarat, qui hoc fecerit, eum gravissime peccaturum, et pœnas æternas in divino examine promeriturum. Igitur eodem modo illud : Honore suo privetur, non est imprecatio, sed decretum, ut ab honore suo decidat, et declaratio, ut liceat populo non obedire ejusmodi regi tamquam honore suo ac dignitate privato. Quemadmodum etiam verba extrema Constitutionum Apostolicarum non significant imprecationem, ut perperam Barclaius exposuit (neque enim summus Pastor, et Vicarius boni illius Pastoris, qui animam suam pro ovibus suis posuit, imprecaretur ovibus indignationem omnipotentis Dei), sed declarationem, et denuntiationem continent gravissimæ pœnæ, quæ contemptores Apostolicorum præceptorum sine dubio consequetur. Hoc enim manifeste significant illa verba : Indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli se noverit incursurum. Quare si sanctus Gregorius nunc in terris viveret, haud dubio exclamaret, calumniosam esse

interpretationem Barclaii, et se nihil tale unquam vel per somnium cogitasse.

CAPUT XLI.

Defenditur exemplum quintum.

Quintum exemplum est Gregorii II, qui Leoni imperatori a se excommunicato prohibuit vectigalia solvi ab Italis, ac proinde eum Imperii parte muletavit.

Ad hujus et sequentium exemplorum refutationem, præmittit Barclaius satis prolixam admonitionem adversus argumenta, quæ petuntur ab exemplis, immemor argumentorum, quæ ipse duxit ab exemplis veterum Pontificum et imperatorum, ex quibus plenissime constare dixit, nullam esse in Pontifice potestatem disponendi de temporalibus. Sed quoniam isti sunt loci communes qui ad omnem disputationem accommodari possunt, iis omissis ad rem propositam accedam. Igitur Barclaius præcise negat, verum esse quod historici tradunt, a Gregorio II, Pontifice prohibitos fuisse Italos imperatori hæretico et excommunicato vectigalia pendere : tota vero ejus ratio est, quia Platina in vita Gregorii II, scribit, volentibus populis deficere ab imperatore hæretico, restitisse Gregorium, et auctoritate sua, eos in fide, et obedientia imperatoris tenuisse. Cur autem uni Platinæ major fides habenda sit, quam cæteris historicis antiquioribus, et pluribus ; eam causam reddit, tum quia Platina scripsit historias Pontificum jussu Sixti IV, et habuit Romæ multa vetera monimenta : tum etiam quia Gregorius Pontifex optimus et justissimus cum esset, numquam jussisset contra Evangelium negari censum Cæsari, qui usque ad obitum Cæsar, et imperator Augustus permansit.

At hæc Barclaii disputatio, tam est infirma, ac debilis, ut mirum non sit, quod paulo ante tam longa præfatione exemplorum auctoritatem extenuare conatus sit. Videbat enim nihil firmum adferre se posse ad exemplum tam vetustum et tam evidens refutandum. Primum igitur aio Platinam non esse contrarium historicis cæteris, si tempora distinguantur. Verum est enim per multos annos Gregorium restitisse populis Italicis cupientibus ab imperatore deficere. Sperabat enim assiduis cohortationibus suis aliquando cessurum imperatorem, et ad meliorem mentem, ac saniora consilia rediturum : atque hoc est, quod Platina vere narrat. Sed ubi vidit Pontifex, se operam perdere, et imperatorem quotidie deteriorem fieri, securim ad radicem misit, et imperatorem coetu piorum ejecit, ac jussit, ut ei tamquam impio Italici populi non parerent, neque vectigalia deinceps penderent. Id vero Platina non negat, et historici plurimi Græci, et Latini affirmant, quos in libro meo citavi. Vide de hac tota causa Cardinalem Baronium tom. IX. Annalium, ad annum salutis 726 et 730.

Aio secundo, si Platina contrarium dicat, magis credendum esse historicis cæteris, quam ipsi : nam et multi sunt, et antiquiores, et diligentiores, et historias temporum scribunt : non vitam unius Pontificis, ut Platina facit : quam autem Platina parum diligens fuerit in perscrutandis monimentis Romanorum Archiviorum, vel ex eo potest intelligi, quod Onuphrius Panuinus in additionibus ad Platinam, multa ejusdem Platinæ vel omissa, vel errata demonstrat : et in additione præmissa vitæ Gregori secundi, admonet, Leoni tertio imperatori hæretico jure ereptum fuisse imperium, quod in Italia habebat, a Gregorio secundo Romano Pontifice.

Aio tertio Gregorium virum sanctissimum non peccasse in Evangelium, quando populos Italiæ prohibuit vectigalia pendere imperatori hæretico. Quod enim Dominus ait, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, intelligitur de Cæsare legitime imperante.

Leo vero ille, qui ob crimen hæreseos a summo Pontifice publice excommunicatus fuerat, et ab imperio depositus, non erat vere, et jure Cæsar, sed Tyrannus, et persecutor sub titulo Cæsaris.

At, inquit Barclaius, usque ad mortem Leo permansit in imperio.

Respondeo : Apud Græcos, præsertim hæreticos, imperator de facto, non de jure permansit : apud Latinos, ac præsertim Italos, neque de jure, neque de facto.

CAPUT XLII.

Defenditur exemplum sextum.

Sextum exemplum est Zachariæ Pontificis, qui Childericum regem Francorum deposuit, et Pipinum substituit.

Ad hoc exemplum Barclaius opponit multa, quæ per partes singillatim refellenda sunt.

Primum contendit, Childericum fuisse solo nomine regem, qualis est, ut ipse loquitur, rex Schaccorum.

Respondeo : Negari non potest, quin Childericus nihil omnino in regno per se gereret, sed regnum, et regni negotia per principes, ac potissimum per præfectum Palatii administraret, ut Aimoinus tradit lib. IV, cap. 61, cæterum verum non est, eum solo nomine regem fuisse, fuit enim rex jure successionis, et tamquam verus, ac legitimus rex inunctus, et coronatus erat, et a populis juramentum fidelitatis acceperat. Neque hoc negare Barclaius potest, nisi ipse sibi repugnare velit : nam paulo post scribit, gravissimam injuriam Childerico factam esse a Zacharia Pontifice, et a Pipino principe cum regno dejectus est. At quæ injuria fieri poterat ei, si absque ullo jure falsum regis nomen gerebat? et cur Pipinus in spem regni exarserat, et regium nomen non dissimulanter affectabat (ut paulo infra Barclaius loquitur) si Childericus nihil præter inane nomen habebat?

Secundo Barclaius dicit, Childericum injuste depositum fuisse, in qua re socium habet Joannem Calvinum, lib. IV instit. cap. 7 et Illiricum in historia Magdeburgensi Centuria 8, cap. 10.

Sed nos juste fuisse depositum probamus primo ex testimoniis omnium scriptorum : omnes enim cum laude hanc historiam narrant. Vide Cedrenum in vita Leonis Isaurici, Paulum Diaconum lib. VI, c. V, de gestis Longobardorum, Eginarthum in vita Caroli Magni, Rhegionem lib. II. Chronic. Marianum Scotum lib. III. Chron. Othonem Frisingensem lib. V, historiæ cap. 55. Adonem Viennensem, in Chronic. Aimoinum lib. IV, cap. 61. Abbatem Ursperg. et Sigebertum in Chron. Blondum lib. X. Decadis primæ, Paulum Æmilium lib. I et II de gestis Francorum, Robertum Gaguinum, Papirium Massonium, et alios omnes, hæreticis exceptis.

Secundo ex causa ; nam non solum Childericus, et aliquot ejus prædecessores nulla regni negotia curabant, sed etiam ob eorum socordiam Christiana Religio in eo regno maxime laborabat, ut scribit S. Bonifacius Episcopus Moguntinus in Epistola ad Zachariam Pontificem.

Tertio ex virtute auctoris, et executoris : nam Zacharias, cujus auctoritate hæc res gesta est, omnium consensu vir sanctissimus, et sapientissimus fuit. Sanctus vero Bonifacius, qui jussu Pipinum unxit, et coronavit, non solum Doctor eximius, sed etiam Martyr gloriosissimus fuit. Denique ab eventu, nam translatio ista regni Francorum a Childerico ad Pipinum Deo benedicente faustissima, et Regno, atque Ecclesiæ utilissima fuit.

« At, inquit Barclaius, nullo casu licet malum facere, ut bonum inde quantumvis magnum consequatur : deponi autem regem legitimum a propriis subditis, aut deponentibus consentire, cum ille solum Deum supra se habeat, cui soli gestorum suorum rationem reddere teneatur, per se et simpliciter malum esse jam supra ostendimus. »

Respondeo : Childericum non subditi ejus, sed Pontifex, qui superior erat, jure deposuit : non enim Zacharias solum assensum præbuit in depositione Childerici, sed ex auctoritate eum deposuit, ut mox ostendemus. Neque ullo solido argumento supra Barclaius probavit, reges non habere supra se nisi Deum, cui soli gestorum suorum rationem reddere teneantur. Videat lector, quæ supra dicta sunt, et judicet.

Tertio Barclaius ridet argumentum illud, quod ab eventu felici duxi, ut probarem, juste Childericum fuisse depositum : ac dicit, plebeium, et puerile argumentum esse, et allegat Poetam dicentem.

> Careat successibus opto
> Quisquis ab eventu facta notanda putet,

Addit etiam, eumdem felicem eventum habuisse translationem regni Francorum a Carolovingis ad Capevingos ; et tamen constat Hugonem Capetum per summum scelus exuisse Carolovingos regno, et illud ad Capevingos suos transtulisse.

Respondeo : Argumentum a solo eventu fortuito sine dubio parum valet, ut si quis damnaret prudentiam, vel peritiam imperatoris ex eo solum, quod victor in prælio non fuisset : sæpe enim aliunde accidit amissio victoriæ, quam ex imprudentia, vel imperitia imperatoris : argumentum tamen a felici eventu ex providentia Dei, non parum valet, præsertim cum adjungitur aliis argumentis : solet enim Deus justitiæ favere, nisi ob aliquam causam sapientiæ ipsius videatur aliter esse faciendum.

Quod autem Barclaius reprehendit Hugonem Capetum summi sceleris, et regni usurpati ; et Gaguinum auctorem adducit : nos ei

Cardinalem Baronium opponimus, qui tomo Annalium decimo ad annum Domini 987, multis argumentis probat, Hugonem fuisse legitimum regem, et in eo non defecisse, sed propagatam esse Caroli Magni stirpem. Nec desunt alii, qui Hugonem istum defendunt, ut Papirius Mastonus, et alii : et Gagninus non dicit per summum scelus id ab Hugone factum fuisse. Et certe magnum argumentum hujus rei esse potest, quod Robertus Pius, qui una cum Patre Hugone, et post cum regnavit, vir piissimus, et sanctissimus fuerit : neque enim tanta pietas cum injusta usurpatione alieni regni cohærere potuisset.

Quarto dicit Barclaius, sanctum Bonifacium non peccasse exequendo mandatum Zachariæ Pontificis, quamvis Zacharias mandando peccaverit : reddit autem rationem, quia tenebatur, inquit, Papæ sententiam exequi, licet scivisset illam esse injustam, et ideo licet fecisset Zachariam reum iniquitas imperandi, innocentem esse ostendisset Bonifacium ordo serviendi, et necessitas parendi, et allegat cap. Pastoralis, §. Qui vero, de offic. Judic. deleg. et can. Quid culpatur, 23. quæst. 1 et canon. Miles, 23. quæst. 5.

Respondeo : Hoc dictum non plebeium, aut puerile, sed plane hæreticum est; repugnat enim cum expresso verbo Dei, Oportet obedire magis Deo, quam hominibus, Actor v; quod ipsum declaravit sanctus Augustinus, et alii Patres, qui citantur, 11, quæst. 3. can. Julianus, et aliis multis canonibus ejusdem quæstionis. In illo vero cap. Pastoralis §. quia vero, ubi dicitur, sententiam injustam ab inferiore exequutioni mandandam esse; glossa recte docet, quæ ibi dicitur sententia injusta, absolute justam esse, quia juste a lege inductum est, ut is qui in tempore præscripto non appellavit, adversus eum sententia proferatur, etiamsi alioqui justam causam habuisset, et ibidem rectissime eadem glossa declarat, non esse obediendum mandato superioris evidenter injusto. Et can. Quid culpatur, 23, q. 1. S. Augustinus contra Barclaium loquitur, cum dicit, esse obediendum superiori quando vel certum esse injustum, esse vel non est certum esse injustum quod jubetur, ex quo sequitur, ut quando certum est esse injustum non sit ullo modo parendum, denique in can. Miles, 28 quæst. 1, non agitur de justitia, vel injustitia mandati, atque id solum definitur, privata auctoritate hominem interficere peccatum esse, secus autem si publica auctoritate id fiat. Quare Barclaius sententiæ suæ amore cæcatus, vel noluit jura intelligere, vel non potuit.

Quinto dicit Zachariam Pontificem consensisse Francis volentibus Childerum deponere, et Pipinum regem creare; non autem potestate, vel auctoritate sua, vel Childericum a regno deposuisse, vel in Pipinum regnum transtulisse; et propterea nihil ex hoc exemplo trahi posse ad ostendendam Romani Pontificis auctoritatem in regibus, vel deponendis, vel creandis.

Sed hæc nimia temeritas est, cum testimoniis historicorum omnium contrarium manifeste probetur.

1. Annales Francorum vetustissimi sic habent : « Data auctoritate sua (Zacharias) jussit Pipinum Regem constitui. »

2. Eginarthus in vita Caroli Magni : « Pipinus, inquit, per auctoritatem Rom. Pontificis, ex Præfecto Palatii rex constitutus est. »

3. Aimoinus lib. IV, cap. 61, de gestis Francorum : « Pontifex, inquit, data auctoritate sua, jussit Pipinum regem institui. »

4. Rheginо lib. II Chronici : « Zacharias, inquit, per auctoritatem Apostolicam jussit Pipinum regem creari, et sanctæ unctionis oleo inungi. »

5. Lambertus Schaphnaburgensis, in hist. « Pipinus, inquit, decreto Zachariæ Papæ per unctionem sancti Bonifacii rex appellatus est. »

6. Sigebertus in Chronico : « Anno, inquit, 750. Pipinus Princeps auctoritate Apostolica, et Francorum electione a S. Bonifacio in regem consecratur, et anno 752, iterum inungitur in regem a Stephano Papa. »

7. Hermannus Contractus, in Chronico : « Anno, inquit, 752. Pipinus auctoritate Stephani Papæ detonso ac deposito rege Hilderico rex Francorum factus est.

8. Marianus Scotus lib. III. Chronici : « Zacharias, inquit, Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus, et in monasterium missus est. »

9. Abbas Urspergensis in Chronico : « Anno, inquit, 750, Pipinus per auctoritatem Zachariæ Papæ more Francorum electus ad regnum per manus sancti Bonifacii elevatus est in regni solium. » Et infra : « Stephanus Papa Pipinum sacra unctione in regiæ dignitatis honore confirmavit. »

10. Otho Frisingensis lib. V Hist. cap. 22 : « Auctoritate, inquit, Zachariæ Papæ Pipinus ad regnum eligitur. »

11. Albertus Krantzius lib. I. Metropolis cap. 14 : « Merito, inquit, Summus Pontifex, et Gallorum rex mutuis se attollunt favoribus : quando ab initio hæc sedes domui Caroli hoc præstitit, ut regiam haberet dignitatem. »

12. Paulus Æmilius in Childerico : « Zacharias, inquit, Francos sacramenti Childerico dicto solvit : hique conventu habito regem Pipinum salutaverunt. »

Habemus duodecim testes, quorum aliqui auctoritate Apostolica, alii auctoritate Pontificis, alii auctoritate Apostolica, alii auctoritate sancti Petri, alii decreto Papæ Childericum depositum, et Pipinum exaltatum testantur, postremus scribit, non ausos Francos Pipinum regem salutare, nisi prius sacramento per Pontificem solverentur, quo regi Childerico tenebantur : et tamen Barclaius solita temeritate negat, auctoritate, vel decreto Pontificis id esse factum. Hoc solum supererat, ut cum Matthia Illyrico, nostri temporis hæretico notissimo, et historico mendacissimo diceret, mendacium, ac figmentum esse, quod nostri affirmant, a Zacharia Pontifice regnum Francorum a Childerico in Pipinum esse translatum. Vide Illyricum initio libri, de translatione imperii.

EPILOGUS

Cum exempla sex Barclaius frustra refutare testasset; reliqua sex, quæ supererant, aut volens prætermisit, quod ea clariora esse intelligeret, quam ut cavillationum suarum tenebris obscurari possent : aut morte præventus inchoatum opus dimittere coactus est invitus. Utcumque sit, defunctus opere, et vita apud eum judicem constitutus est, quam nemo potest fallere, et apud quem principum gratia neminem juvat. Ego vero, qui ad tribunal ejusdem supremi judicis brevi sistendus sum, hoc bona conscientia testari me posse confido, nihil a me scriptum in gratiam, nihil in odium. Scripsi quod verum existimavi, quod ab Ecclesia didici, quod ante me plurimi non solum docti, sed etiam Sancti scripserunt. Neque ultro in hanc arenam descendi, sed lacessitus ab homine mihi ignoto, coactus sum defendere senex, quod scripsi juvenis. Quod si Pontificiam potestatem, et scripta mea ita defendi, ut oportebat, quod efficere vehementer optavi, Deo, in cujus manu sumus nos, et sermones nostri, gratias humillimas ago : sin contra accidit, et in aliquo, aut in multis, pro humana imbecillitate defeci, ab illo veniam peto, qui suavis, et mitis est, et multus in misericordia omnibus invocantibus eum. Ecclesiæ quoque, et ipsius Summi Pontificis, Christi Vicarii, censuræ non solum præsens opusculum, sed omnia scripta mea libens, et volens submitto.

FINIS HUJUS TRACTATUS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

APOLOGIA

ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS

PRO RESPONSIONE SUA

AD LIBRUM JACOBI MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS

CUJUS TITULUS EST

TRIPLICI NODO TRIPLEX CUNEUS

IN QUA APOLOGIA REFELLITUR

PRÆFATIO MONITORIA REGIS EJUSDEM

Accessit eadem ipsa responsio iterum recusa, quæ sub nomine Matthæi Torti anno superiore prodierat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

RUDOLFO SECUNDO IMP.

CÆSARI SEMPER AUGUSTO

CÆTERISQUE REGIBUS, AC PRINCIPIBUS, QUI DEUM PATREM, ET ECCLESIAM CATHOLICAM MATREM AGNOSCUNT, DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS

ROBERTUS CARDINALIS BELLARMINUS

Felicitatem a Domino sempiternam precatur.

Ante annos circiter tres Jacobus Magnæ Britanniæ rex juramentum subditis suis Anglis Catholicis suscipiendum proposuit, in quo sub specie fidelitatis, quæ principibus debetur a populis, fidei Catholicæ abnegatio continebatur. Admonitus de hac re summus Pontifex Paulus V, ad quem sollicitudo omnium Ecclesiarum pertinet, pro suo pastorali munere binas litteras, in forma Brevis, ad Anglos Catholicos dedit, instruens eos, et docens, ut caverent insidias; juramentum enim illud sine pernicie animarum suscipi non posse. Et quoniam Archipresbyter Anglorum, qui cæteris dux esse debuerat ad periculum vitandum, primus in foveam cecidit; ego ad eum, cum quo mihi olim necessitudo intercesserat, exhortatoriam Epistolam scripsi. Hæc officia pietatis cum ad regem delata fuissent, mirum in modum ejus animum pupugerunt. Itaque librum edidit, tacito nomine auctoris, quo et Brevia summi Pontificis, et Epistolam meam vehementer exagitavit. Libri inscriptio erat: Triplici nodo triplex cuneus. Ad eum librum, cum primum is ad manus meas pervenit, breviter, et modeste respondere studui; ne forte libellus regius fructum illum nobis eriperet, quem Brevia summi Pastoris, et Epistola mea in animis fidelium Anglorum gignere cœperant. Quia vero regius liber nomen auctoris non præferebat; visum etiam mihi est justis de causis, nomen meum ita tegere, ut tamen juxta regulas Ecclesiasticas nomen alicujus docti viri liber gereret, qui, si opus esset, de libro edito rationem redderet. Hanc meam necessariam defensionem rex in deteriorem partem interpretatus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

excanduit, rursusque in arenam descendens, non solum priorem libellum recudi jussit, se auctorem professus; sed etiam addidit monitoriam præfationem, qua ita responsionem meam carpit potius, quam refellit, ut simul Majestates, et Celsitudines Vestras ad perfidiam sollicitare, atque ab Ecclesiæ Catholicæ complexu abstrahere, et ad sinum adulteræ pellicere non dubitaverit. Ego igitur Apologiam hanc meam, qua præfationem monitoriam, et refutationem libri mei, refellere statui : Vobis reges, et principes orthodoxi, et potentissimi, dicandam esse censui : non ut antidotum contra venenum propinem, quo Majestates, et Celsitudines Vestras in recta fide fundatas, et radicatas nequaquam egere, certissime scio ; sed quia cum in tota præfatione, atque adeo in toto regio libro ego pungar, ego carpar, ego apud Majestates, et Celsitudines Vestras in invidiam adducar, æquum est, ut apud easdem ipse me defendam, et scriptionis meæ rationem reddam, et simul (quod Sacerdotum Domini proprium officium est) dogmata sanctissimæ nostræ fidei impugnantibus pro viribus resistam. Neque debet novum, aut insolens videri, quod scribamus adversus regem, et regios libellos, ubi necessitas fidei id requirit, cum exstent libri non pauci veterum Episcoporum, majorum nostrorum, Hilarii Episcopi Pictaviensis, et Luciferi Episcopi Calaritani adversus Constantium imperatorem hæreticum : Gregorii Episcopi Nazianzeni, et Cyrilli Episcopi Alexandrini adversus Julianum imperatorem apostatam. Aggrediar igitur, vestra bona venia, præfationem monitoriam excutere, atque ab inscriptione principium faciam.

CAPUT PRIMUM.

DE INSCRIPTIONE PRÆFATIONE

« Sacratissimo atque invictissimo Principi, ac Domino Rudolpho II. Roman. Imper. semper Augusto : Serenissimis, atque potentissimis Christiani orbis monarchis, ac regibus, illustrissimis celsissimisque principibus, rebuspublicis atque ordinibus, fratribus, consanguineis, affinibus, fœderatis, atque amicis carissimis : Jacobus Dei gratia magnæ Britanniæ, Franciæ, et Hiberniæ rex, fidei vere Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ, veterisque ac primitivæ Ecclesiæ, tot Episcoporum, aliorumque fidelium martyrii gloria coronatorum sanguine illustris, propagator ac defensor : in Christo Jesu omnium nostrum Salvatore, ac mediatore unico, salutem, felicitatemque perpetuam. »

Hæc inscriptio, quod attinet ad fidem, ab omni parte falsa esse convincitur. Primum enim (*a*) fides, quam rex defendit, non potest esse Christiana, nisi Christi verba sint falsa. Damnat rex in hac ipsa præfatione pag. 42. transsubstantiationem panis in corpus Christi ; et tamen Christus ipse accepto pane dixit : *Hoc est corpus meum* (1) : testibus Matth.

(1) Matth. XXVI, 26.

(*a*) *Fides Protestantium Anglorum non est vere Christiana.*

cap. XXVI. Marco cap. XIV. Luca cap. XXII. Paulo I. Corinth. XI. Neque fieri potest, ut verba illa Christi sint vera, nisi per conversionem, et transmutationem, quam Ecclesia Catholica proprio vocabulo transubstantiationem vocat, ut recte docet conc. Trid. sess. 13. cap. 4.

Negat rex pag. 48. primatum Apostoli Petri, et tamen Dominus Joan. XXI. non semel, sed tertio dixit : *Simon Joannis diligis me plus his?* Et respondente Petro : *Domine tu scis quia amo te*, subjunxit : *Pasce oves meas* (1); ubi nemo negare potest S. Petrum factum esse Pastorem omnium fidelium, et ipsorum etiam Apostolorum, nisi neget fideles omnes, et ipsos etiam Apostolos fuisse oves Christi : quem locum fuse tractavi, et expendi, lib. I. de summo Pontifice cap. 14. 15. et 16.

Affirmat rex pag. 36. Romanum Pontificem esse Antichristum. At Christus, Joan. V. dixit ad Judæos : *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me* (*a*), *si alius venerit in nomine suo, illum accipietis* (2). Ex quo loco colligunt Sancti Patres Augustinus, Chrysostomus, et Cyrillus in hunc locum, necnon Irenæus lib. V. adversus hæreses, Ambrosius in Comment. II Thessal. II. Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 11. Antichristum recipiendum esse a Judæis, ut Messiam. Satis autem constat Romanum Pontificem a Judæis numquam habitum esse pro Messia : proinde ex sententia Christi, Antichristum non esse.

Omitto cætera, quæ rex in hac præfatione damnat, vel negat, ut intercessionem Sanctorum, missam, purgatorium, indulgentias, et similia, quæ qui negat, eum Catholicum Christianum non esse fideles omnes, non solum docti, sed etiam idiotæ sciunt, et profitentur.

Deinde, quod (*b*) fides, quam rex defendit, non possit jure dici Catholica ; intelligi potest ex definitione, quam tradit Vincentius Lirinensis in Commonitorio adversus prophanas vocum novitates : illud enim dicit esse Catholicum, quod semper, et ubique creditum est. Certe autem per mille quingentos annos, ne nomen quidem Protestantium auditum est. Ac ne de omnibus articulis novis, quos rex defendit, disputationem suscipiamus : ille certe primarius, et proprius Anglorum de primatu regis in spiritualibus ; quem articulum rex ipse potissimum propagare, et defendere nititur, adeo recens est, ut primus auctor ejus nostro tempore vixerit, Henricus videlicet, Octavus rex Anglorum : ipse primus abnegata obedientia Summi Pontificis, se caput Ecclesiæ Anglicanæ nominari, et agnosci voluit. Cujus rei testes sunt omnes ejus temporis historici, Joannes Cochleus in libro de vita Martini Lutheri, Laurentius Surius in historia nostri temporis, et alii multi. Sed unum auctorem præterire non possum, qui scribit ea, quibus interfuit : Is est Mauritius Channei Anglus Carthusianos in libro de vita et martyrio Carthusianorum cap. 9. cujus hæc sunt verba :

« (*c*) In principio anni Domini 1535. difficultum fuit per regem Angliæ, et in celebri acto parlamenti sui institutum, ut omnes auctoritatem, et obedientiam, quam debebant Domino Papæ, et cuique alii superiori in aliis regnis, abrenunciarent, et Ipsum regem, ut supremum caput Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus sub juramenti attestatione susciperent : contradicentes vero tamquam rei læsæ Majestatis haberentur, et æquali morte punirentur. » Et cap. 10. scribit, missum fuisse D. Thomam Crowell cum aliquot consiliariis ad tres monachos Carthusianos in turri Londinensi carceratos, ut eis proponeret decretum parlamenti quo jubebantur auctoritati Domini Papæ renunciare, et solum regem in caput Ecclesiæ recipere.

Cumque, inquit, respondissent Patres nostri, se consensuros omnibus, quæ, et in quantum lex divina permiserit ; subjunxit ille (*d*) : Nullam exceptionem admittam, sive lex divina permiserit, sive non. Replicaverunt nostri beatissimi Patres, Ecclesiam Catholicam aliter semper tenuisse, ac docuisse. Respondit ille : Non curo Ecclesiam ; vultis consentire, an non? Dixerunt illi, se propter timorem Dei non ausos esse contraire, ac deserere Ecclesiam Catholicam. Hæc ille, qui satis aperte nos docuit, unde, et quando initium habuerit nova hæc fides Anglicana, quam rex hoc loco Catholicam nominat.

(1) Joan. XXI, 16. — (2) Joan. V. 43.

(*a*) *Judæi Antichristum pro suo Messia recipient.* — (*b*) *Fides Protestantium Anglorum non est vere Catholica.* — (*c*) *Quando cœpit hæresis Anglicana.* — (*d*) *Hæretici non magni faciunt legem divinam, quando repugnat humanæ cupiditati.*

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

excanduit, rursusque in arenam descendens, non solum priorem libellum recudi jussit, se auctorem professus; sed etiam addidit monitoriam præfationem, qua ita responsionem meam carpit potius, quam refellit, ut simul Majestates, et Celsitudines Vestras ad perfidiam sollicitare, atque ab Ecclesiæ Catholicæ complexu abstrahere, et ad sinum adulteræ pellicere non dubitaverit. Ego igitur Apologiam hanc meam, qua præfationem monitoriam, et refutationem libri mei, refellere statui : Vobis reges, et principes orthodoxi, et potentissimi, dicandam esse censui : non ut antidotum contra venenum propinem, quo Majestates, et Celsitudines Vestras in recta fide fundatas, et radicatas nequaquam egere, certissime scio ; sed quia cum in tota præfatione, atque adeo in toto regio libro ego pungar, ego carpar, ego apud Majestates, et Celsitudines Vestras in invidiam adducar, æquum est, ut apud easdem ipse me defendam, et scriptionis meæ rationem reddam, et simul (quod Sacerdotum Domini proprium officium est) dogmata sanctissimæ nostræ fidei impugnantibus pro viribus resistam. Neque debet novum, aut insolens videri, quod scribamus adversus regem, et regios libellos, ubi necessitas fidei id requirit, cum exstent libri non pauci veterum Episcoporum, majorum nostrorum, Hilarii Episcopi Pictaviensis, et Luciferi Episcopi Calaritani adversus Constantium imperatorem hæreticum : Gregorii Episcopi Nazianzeni, et Cyrilli Episcopi Alexandrini adversus Julianum imperatorem apostatam. Aggrediar igitur, vestra bona venia, præfationem monitoriam excutere, atque ab inscriptione principium faciam.

CAPUT PRIMUM.

DE INSCRIPTIONE PRÆFATIONE

« Sacratissimo atque invictissimo Principi, ac Domino Rudolpho II. Roman. Imper. semper Augusto : Serenissimis, atque potentissimis Christiani orbis monarchis, ac regibus, illustrissimis celsissimisque principibus, rebuspublicis atque ordinibus, fratribus, consanguineis, affinibus, fœderatis, atque amicis carissimis : Jacobus Dei gratia magnæ Britanniæ, Franciæ, et Hiberniæ rex, fidei vere Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ, veterisque ac primitivæ Ecclesiæ, tot Episcoporum, aliorumque fidelium martyrii gloria coronatorum sanguine illustris, propagator ac defensor : in Christo Jesu omnium nostrum Salvatore, ac mediatore unico, salutem, felicitatemque perpetuam. »

Hæc inscriptio, quod attinet ad fidem, ab omni parte falsa esse convincitur. Primum enim (*a*) fides, quam rex defendit, non potest esse Christiana, nisi Christi verba sint falsa. Damnat rex in hac ipsa præfatione pag. 42. transsubstantiationem panis in corpus Christi ; et tamen Christus ipse accepto pane dixit : *Hoc est corpus meum* (1) : testibus Matth.

(1) Matth. XXVI, 26.

(*a*) *Fides Protestantium Anglorum non est vere Christiana.*

cap. XXVI. Marco cap. XIV. Luca cap. XXII. Paulo I. Corinth. XI. Neque fieri potest, ut verba illa Christi sint vera, nisi per conversionem, et transmutationem, quam Ecclesia Catholica proprio vocabulo transubstantiationem vocat, ut recte docet conc. Trid. sess. 13. cap. 4.

Negat rex pag. 48. primatum Apostoli Petri, et tamen Dominus Joan. XXI. non semel, sed tertio dixit : *Simon Joannis diligis me plus his?* Et respondente Petro : *Domine tu scis quia amo te*, subjunxit : *Pasce oves meas* (1); ubi nemo negare potest S. Petrum factum esse Pastorem omnium fidelium, et ipsorum etiam Apostolorum, nisi neget fideles omnes, et ipsos etiam Apostolos fuisse oves Christi : quem locum fuse tractavi, et expendi, lib. I. de summo Pontifice cap. 14. 15. et 16.

Affirmat rex pag. 36. Romanum Pontificem esse Antichristum. At Christus, Joan. V. dixit ad Judæos : *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me* (*a*), *si alius venerit in nomine suo, illum accipietis* (2). Ex quo loco colligunt Sancti Patres Augustinus, Chrysostomus, et Cyrillus in hunc locum, necnon Irenæus lib. V. adversus hæreses, Ambrosius in Comment. II Thessal. II. Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 11. Antichristum recipiendum esse a Judæis, ut Messiam. Satis autem constat Romanum Pontificem a Judæis numquam habitum esse pro Messia : proinde ex sententia Christi, Antichristum non esse.

Omitto cætera, quæ rex in hac præfatione damnat, vel negat, ut intercessionem Sanctorum, missam, purgatorium, indulgentias, et similia, quæ qui negat, eum Catholicum Christianum non esse fideles omnes, non solum docti, sed etiam idiotæ sciunt, et profitentur.

Deinde, quod (*b*) fides, quam rex defendit, non possit jure dici Catholica ; intelligi potest ex definitione, quam tradit Vincentius Lirinensis in Commonitorio adversus prophanas vocum novitates : illud enim dicit esse Catholicum, quod semper, et ubique creditum est. Certe autem per mille quingentos annos, ne nomen quidem Protestantium auditum est. Ac ne de omnibus articulis novis, quos rex defendit, disputationem suscipiamus : ille certe primarius, et proprius Anglorum de primatu regis in spiritualibus ; quem articulum rex ipse potissimum propagare, et defendere nititur, adeo recens est, ut primus auctor ejus nostro tempore vixerit, Henricus videlicet, Octavus rex Anglorum : ipse primus abnegata obedientia Summi Pontificis, se caput Ecclesiæ Anglicanæ nominari, et agnosci voluit. Cujus rei testes sunt omnes ejus temporis historici, Joannes Cochleus in libro de vita Martini Lutheri, Laurentius Surius in historia nostri temporis, et alii multi. Sed unum auctorem præterire non possum, qui scribit ea, quibus interfuit : Is est Mauritius Channei Anglus Carthusianos in libro de vita et martyrio Carthusianorum cap. 9. cujus hæc sunt verba :

« (*c*) In principio anni Domini 1535. difficultum fuit per regem Angliæ, et in celebri acto parlamenti sui institutum, ut omnes auctoritatem, et obedientiam, quam debebant Domino Papæ, et cuique alii superiori in aliis regnis, abrenunciarent, et Ipsum regem, ut supremum caput Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus sub juramenti attestatione susciperent : contradicentes vero tamquam rei læsæ Majestatis haberentur, et æquali morte punirentur. » Et cap. 10. scribit, missum fuisse D. Thomam Crowell cum aliquot consiliariis ad tres monachos Carthusianos in turri Londinensi carceratos, ut eis proponeret decretum parlamenti quo jubebantur auctoritati Domini Papæ renunciare, et solum regem in caput Ecclesiæ recipere.

Cumque, inquit, respondissent Patres nostri, se consensuros omnibus, quæ, et in quantum lex divina permiserit ; subjunxit ille (*d*) : Nullam exceptionem admittam, sive lex divina permiserit, sive non. Replicaverunt nostri beatissimi Patres, Ecclesiam Catholicam aliter semper tenuisse, ac docuisse. Respondit ille : Non curo Ecclesiam ; vultis consentire, an non? Dixerunt illi, se propter timorem Dei non ausos esse contraire, ac deserere Ecclesiam Catholicam. Hæc ille, qui satis aperte nos docuit, unde, et quando initium habuerit nova hæc fides Anglicana, quam rex hoc loco Catholicam nominat.

(1) Joan. XXI, 16. — (2) Joan. V. 43.

(*a*) *Judæi Antichristum pro suo Messia recipient.* — (*b*) *Fides Protestantium Anglorum non est vere Catholica.* — (*c*) *Quando cœpit hæresis Anglicana.* — (*d*) *Hæretici non magni faciunt legem divinam, quando repugnat humanæ cupiditati.*

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

Quomodo autem Catholica est, id est, semper credita, si ante annum millesimum quingentesimum trigesimum quintum audita non est? vel si nova non est, sed antiqua: cur sancti illi martyres novitatem ejus ita exhorruerunt, ut dicerent Ecclesiam Catholicam semper aliter tenuisse: et ob timorem Domini crudeli supplicio mori maluerunt, quam novum istud dogma, et prædicatæ fidei contrarium recipere?

Neque solum fides ista regis non est Catholica, quia non semper credita, sed etiam (*a*) quia non ubique credita. Fides enim vere Catholica ab initio Apostolicæ prædicationis in universo mundo seminari, crescere, et fructificare cœpit: sic enim loquitur Apostolus ad Coloss. I.: *In universo mundo*, inquit, *est verbum veritatis Evangelii, et fructificat, et crescit.* Et ad Roman. I. *Fides*, inquit, *vestra annunciatur in universo mundo.* Neque huic veritati repugnat, quod hæreses quoque in universo mundo sunt: nam ut S. Augustinus scribit in lib. de Pastoribus cap. 8. hoc interest inter fidem Catholicam, et hæreses, quod fides Catholica in universo mundo eadem est, hæreses autem, in universo mundo non eædem, sed diversissimæ sunt, ac per hoc nulla earum Catholica dici potest.

Certe Romana Ecclesiæ fides, ut vere, proprieque Catholica eadem est in Europa; eadem est in Asia; eadem in Africa, eadem in orbe nuper invento; eadem in monte Libano; eadem in America, eadem apud ultimos Japones. Contra vero hæreses Nestorii et Eutychetis Orientis loca quædam occupant; ad Occidentem non pertinent. Hæreses Lutheranæ Septentrionis angulum possident, mare non transierunt; Asiam, et Africam non attigerunt; ad Græciam appellere conatæ cum ignominia repulsæ sunt. Sed neque una est fides Lutheranorum, sed multæ, atque adeo inter se contrariæ, ut aliæ alias hæreticas vocent.

Porro fides Anglorum de primatu regis in spiritualibus adeo Catholica dici non potest, ut ne unius quidem regni fides dici possit, cum in ipsa Britannia magna sit multitudo Puritanorum, qui Calvinum auctorem secuti, primatum Ecclesiasticum, non ad regem, sed ad Senatum Ministrorum pertinere contendant. (*b*) Calvinus enim lib. IV. Institut. cap. 5. § 9. cum docuisset monarchiam non esse optimum regimen; addidit, etiam si esset in politica administratione regimen optimum monarchia; tamen in Ecclesia non esse: neque ullum hominem dici debere caput Ecclesiæ, non solum principale, sed neque ministeriale. Et eodem lib. IV. cap. 11. § 13. docet, in causis Ecclesiasticis non esse imperatorem idoneum cognitorem, ac propterea vehementer laudat S. Ambrosium, quod vocatus ad Palatium ad conferendum de fide coram imperatore, omnino accedere recusaverit. Et eodem lib. IV. cap. 20. § 7. disertis verbis dicit, regis officium apostolicum munus non esse: sollicitudinem autem Ecclesiarum ad Apostolicum munus in primis pertinere docet Apostolus, I Corinth. XII. et II Corinth. XI. Et idem Apostolus apud Lucam Act. XX. dicit, Episcopos a Deo positos Ecclesiam regere. Sed apertissime in cap. VI. Amos, invehitur in eos, qui Henricum VIII Ecclesiæ caput appellant.

Quod autem Puritani non admittant primatum regis in spiritualibus, docet ipse idem rex in opere quod inscripsit, Βασιλικὸν Δωρον Nam lib. II. pag. 43. dicit, eos paritatem quandam, et æqualitatem in Ecclesiam inducere. Et in hac ipsa præfatione pag. 48. « Inconfusam, inquit, illam anarchiam, et paritatem Puritanorum invectus sum, ut ex βασιλικῷ meo Δωρῳ satis constat. » Quare cum fides, quam rex defendit, ante paucos annos nata angustissimis limitibus contineatur, non Catholica, id est, vetus, et universalis; sed nova, et particularis nominari debet.

Quod vero (*c*) Apostolica (quod nomen fidei suæ tertio loco rex tribuit) nullo jure appellanda; sed apostatica omni jure nominanda sit, ex eo manifeste convincitur, quod fides, quæ nunc in Anglia viget, seminatores habuerit Bucerum, et Petrum Martyrem Vermilium, utrumque apostatam. Primi autem in Scotia eversores Catholicæ fidei, et hæresis satores fuerunt viri quidam factiosi, et turbulenti, quos Apostolos nominare scelus maximum esset. Neque de hac re mihi fidem haberi volo, sed regi: sic enim ille scribit in Basilico suo Doro lib. II. pag. 40 et 41.

(*a*) *Alia ratio, cur fides Protestantium non possit dici Catholica.* — (*b*) *Calvinus repugnat Calvinistis Anglicanis, qui protestantes dicuntur.* — (*c*) *Fides protestantium Anglorum non est vere Apostolica.*

« Reformata religio in hanc nostram Scotiam divino plane miraculo introducta est: nam cum multa in illo negotio a concitata multitudine temere fierent, et perturbate, multi etiam cupiditatem suarum turbine abrepti, cæco animi impetu, et nullo judicio ad opus illud Dei peragendum ferebantur. » Et paulo post: « In illa et rerum et temporum confusione orti sunt quidam igneæ naturæ concionatores, qui eo potentiæ apud populum provehebantur, ut dulcedinem jam imperii degustantes, inciperent nescio quam democraticæ reip. formam sibi somniare. »

Itaque reformata religio, id est, Catholicæ religionis eversio, ipso rege teste, ab hominibus temerariis, cupidis, sine judicio, cæco impetu, principatum, atque imperium ambientibus, in Scotia introducta est. Mirum est autem valde, quod rex reformationem religionis, ac non potius deformationem appellet, quam ab hominibus cæcis, temerariis, cupidis, ambitiosis, id est, nulla forma virtutis præditis, et multitudine vitiorum deformatis introductam esse concedit.

Dicet fortasse, divino miraculo, per homines deformatos omni genere vitiorum, et qui ab Apostolorum virtutibus longissime absint, Apostolicam fidem in Scotia restitutam fuisse.

At nos contra scimus, divinam legem per Mosem, et Prophetas, viros sanctissimos introductam; Evangelium Christi per Apostolos, qui Spiritus sancti donis omnibus abundabant, mundo prædicatum; cœtus hominum reformatos, quos ordines religiosos appellamus, per homines excellenti virtute præditos, institutos. Nova ista miracula, quibus colligantur de spinis uvæ, et de tribulis ficus, id est, a deformatis reformatio, et ab Apostatis Apostolica Religio, Ecclesia vere Christiana non novit. Sed de hac re in sequenti disputatione plura dicemus.

Sequitur igitur, ut ostendamus (*a*) fidem, quam rex defendit, non esse veteris, ac primitivæ Ecclesiæ, Martyrum sanguine illustris, fidem. Hæc enim est quarta laus, quam rex fidei suæ in inscriptione attribuit. Non esse autem fidem regis Anglorum, fidem Ecclesiæ veteris, ac per hoc neque esse vere Christianam, neque Catholicam, neque Apostolicam; ex iis quæ rex in hac ipsa præfatione docet, nullo negotio demonstrabimus.

Scribit enim rex pag. 38. admittere se, præter scripturas sanctas, tria Symbola, Apostolicum, Nicenum, et S. Athanasii; quatuor prima concilia generalia; et quæ sancti Patres, quadringentis (in Anglico quingentis) post Christum annis unanimi consensu docuerunt. Deinde pag. 42. damnat intercessionem Sanctorum, reliquiarum venerationem, quam intolerabilem idolatriam vocat, Missas privatas, transsubstantiationem, et alia id genus multa; ut etiam pag. 46. purgatorium, indulgentias, satisfactiones pro defunctis, et similia.

Accipiam (*b*) intercessionem Sanctorum, cum reliquiarum veneratione; quæ si ostendere potuero, a Patribus, qui primis quadringentis, vel quingentis annis floruerunt, unanimi consensu approbari, simul effecero, fidem regis Anglorum non esse fidem veteris, et primitivæ Ecclesiæ, sed figmenta, et hæreses Novatorum.

Primum igitur concilium quartum generale, in quo 630. Episcopi interfuerunt, et quod ab ipso rege cum honore suscipitur, ita loquitur act. XI: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Et in Epistola Episcoporum Europæ ad Leonem imperatorem, quæ tempore ejusdem concilii scripta est: « Sanctissimum vero proterium in choro, et ordine sanctorum Martyrum ponimus, et ejus intercessione misericordem, et propitium Deum habere postulamus. » Qui ergo recipit concilium quartum, quod omnium maximum, et frequentissimum fuit, cur intercessionem Sanctorum cum illo non recipit?

Sanctus Basilius vere Magnus in Oratione in 40. Martyres: « Qui, inquit, aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret: ille ut a malis liberetur, hic ut duret in rebus lætis. » Idem de reliquiis Sanctorum eorumdem, quæ per totam eam regionem divisæ erant: « Illi sunt, inquit, qui nostram regionem administrant, et veluti turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non uno loco seipsos includentes, sed multis jam locis hospites facti, et multas patrias exornantes. » Idem in oratione in Psalm. CXV: « Qui contingit, inquit, ossa Martyrum, quamdam sanctificationis societatem assumit ex gratia corpori infidente. » Hæc ille. Quid ni igitur veneremur Sanctorum reliquias, unde

(*a*) *Fides Protestantium Anglorum non est fides veteris Ecclesiæ, sed recens adinventio.* — (*b*) *Intercessionem Sanctorum, et venerationem Reliquiarum admittit vetus Ecclesia orientalis.*

tanta bona nobis proveniunt? vide eumdem Basilium oratione in Mamantem, et oratione in Julittam.

Sanctus Gregorius Nyssenus sancti Basilii frater, oratione in sanctum Theodorum: «Intercede, inquit, et deprecare pro patria apud communem regem, et Dominum.» Et infra: « Quod si majori opus fuerit deprecatione, et advocatione, fratrum tuorum Martyrum coge Chorum, et cum omnibus una deprecare, adnone Petrum, excita Paulum, Joannem Theologum, ac discipulum dilectum.» Idem in eadem oratione de reliquiis loquens: « Corpus, inquit, venerandum, et immaculatum ipsius instrumentum, cum multo honore, et cultu compositum, atque ornatum, in augusto sacroque loco situm est.» Hæc ille, qui etiam addit, pulverem ipsum, qui circa conditorium reliquiarum reperitur, pro magno munere a piis peregrinis rapi consuevisse. Tanta erat in primitiva illa Ecclesia erga sacra pignora piorum devotio, quam rex intolerabilem idololatriam esse dicit, et tamen fidei primitivæ Ecclesiæ defensorem se facit.

S. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Cyprianum: « Tu, inquit, e supernis nos respice, et populum hunc sanctum dirige, etc.» Et ibidem, refert certamen sanctæ cujusdam Virginis pro castitate: « Virginem, inquit, Mariam rogavit, ut periclitanti virgini opem ferret»; ac paulo post refert, eam fuisse exauditam: « Vicit, inquit, virgo, victitur Dæmon.» Idem in Oratione prima in Julianum imperatorem Apostatam, arguit eum, quod sanctorum Martyrum reliquias non coleret, cum Deorum falsorum monimenta veneraretur: « Hæc, inquit, non colis, sed contemnis, et aspernaris, qui Herculis rogum ex calamitate, injuriisque muliebribus illatis excitatum admiraris.»

Eusebius Cæsariensis in lib. XIII. de Præpar. Evangel. cap. VII. Explicans ritum Ecclesiæ veteris: « Hæc, inquit, nos quotidie factitamus, qui vere pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.»

S. Joan. Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum: « Nam, inquit, et ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulcra, et fusu deposito stat Sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant.» Ubi prædicat gloriam sanctorum Martyrum ex eo, quod non solum populus, sed etiam imperator ad reliquias eorum accederet, et Sanctis ipsis supplicaret. Idem in libro adversus Gentiles, loquens de reliquiis sancti Babylæ: « Sententiæ, inquit, nostræ abunde fidem faciunt, quæ quotidiana a Martyribus eduntur miracula.» Et in oratione de sanctis Juventino, et Maximo: «Sæpius, inquit, illos invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur.» Quid hic, quæso, rex dicet? Si Patres veteris Ecclesiæ clamant. Sanctorum tumulos adoremus; quomodo rex veteris Ecclesiæ fidem retinet, et interim dicit, reliquiarum adoratio intolerabilis idololatria est?

S. Ephrem in serm. de laudibus sanctorum Martyrum: « Precamur, inquit, beatissimi Martyres, ut pro nobis miseris, et peccatoribus hominum interpellare dignemini, ut superveniat in nos gratia Christi.»

Beatus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica: « Cum hoc sacrificium, inquit, offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patri recharum, Prophetarum, Apostolorum, et Martyrum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras.» Et Catechesi 18. « Ut autem non solum animæ Sanctorum honorentur, credaturque quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia; jacens in sepulcro Elisæi mortuus, mortuumque Prophetæ corpus attingens vivificatus est.» Hæc ille, qui inde probat corpora Sanctorum honoranda esse, et non solum animas. Atque hi quidem Græci Patres sunt, et Orientis lumina ad ætatem illam pertinentia, quam rex requirit, ut Patres (a) Ecclesiæ veteris, et primitivæ esse intelligantur. Addamus nunc testimonia Patrum Latinorum ætatis ejusdem.

Sanctus Ambrosius in libro de Viduis, «Obsecrandi, inquit, sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare: possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, si quæ habuerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ actumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere: quia ipsi infirmitatem corporis etiam cum vincerent, cognoverunt.» Idem in serm. 93. qui est de sanctis Nazario et Celso satis fuse commendat reliquiarum cultum, qui regi Angliæ idololatria est. Quod si dicas mihi, inquit, quid honoras in carne jam resoluta atque consumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam perennitate virtutis: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum docuit mortem non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et Dæmones? quod et afflixerunt in supplicio, et glorificant in sepulcro? honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo.

Sanctus Hieronymus in Epitaphio sanctæ Paulæ: « Vale, inquit, o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva: fides et opera tua Christo te sociant: præsens facilius quod postulas impetrabis.» Idem in lib. adversus Vigilantium, qui eo nomine hæreticus habitus est in veteri Ecclesia, quod reliquiarum cultum improbaret: «Dolet, inquit, Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis, vel ciliciis colligari, vel projici in stercorilinium; ut solus Vigilantius obrius, vel dormiens adoretur.» Idem in Epist. ad Marcellam, hortatoria, ut commigret Bethleem, inter alia bona ejus loci commemorat, posse sancti Joannis Baptistæ, Helisæi, atque Abdiæ cineres adorare, non enim idololatriam, sed pium cultum essesentiebat adorationem reliquiarum; quia non ignorabat, adorationis esse multa genera, et aliam Deo soli, aliam rebus factis deberi.

Ruffinus ejusdem temporis auctor lib. II. hist. cap. 33. de (a) Theodosio imperatore sic loquitur: « Circumibat cum Sacerdotibus, et populo omnia orationum loca: ante Martyrum, et Apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, et auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.» Hæc ille; nec vana fides: obtinuit enim adversus Eugenium tyrannum Theodosius victoriam incredibilem non viribus militum, sed præsidio Sanctorum, quos fideliter imploraverat. Hunc pium imperatorem, reliquiarum adoratorem, et Sanctorum invocatorem rex Anglorum idololatram vocare non dubitabit, et tamen edoctum scimus a Sacerdotibus Ecclesiæ veteris, et a Deo ita dilectum, ut propter hanc victoriam scripserit ille:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

S. Maximus in serm. de S. Aguete: « Itaque, inquit, o splendida Christo, pulchra Dei filio, et omnibus Angelis, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus.» Idem in serm. de Sanctis Octavio, Adventore, et Solutore: « Cuncti, inquit, Martyres devotissime percolendi sunt, sed ii præcipue venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus.»

Sanctus Gaudentius Episcopus Brixiæ in tractatu de Dedicatione Basilicæ multa scribit de cultu reliquiarum, ac inter alia: « Ut venerandas, inquit, Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit; deinde ut hanc honori earum Basilicam fundare valeremus, ipse largitus est, etc.» Ubi vides, tanti fecisse reliquias Sanctorum Ecclesiæ veteris Patres, ut earum honori etiam Basilicæ conderentur.

S. Paulinus in Epistola 12. ad Severum invocat his versibus sanctum Clarum.

Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum
Ut sis Paulini, Therasiæque memor.

Idem in tertio natali S. Felicis martyris, inquit,

Ad tumulum debes, et terra coronas.

Et ibidem de reliquiis Apostolorum loquens ait:

Nam prius imperio tantum, et victricibus armis,
Nunc et Apostolicis terrarum es prima sepulchris.

Prudentius ejusdem ætatis nobilis poeta Christianus in hymno de S. Laurentio.

O ter quaterque, o septies
Beatus Urbis incola,
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat ossium,
Cui propter advolvi licet
Qui fletibus spargit locum,

(a) *Eadem admittit verus Ecclesia Occidentalis.*

(a) *Theodosius Imper. per intercessionem Sanctorum victoriam maximam obtinuit.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.
Vix fama nota est abditis,
Quam plena Sanctis Roma sit :
Quam dives Urbanum solum
Sacris sepulchris floreat.

Multa similia in singulis prope hymnis de Sanctorum reliquiis, et invocatione scribit.

S. Augustinus serm. 47. de verbis Apostoli : « Habet, inquit, Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverint cum Martyres eo loco recitant ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur; pro cæteris autem defunctis oretur; injuria enim est orare pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendare. » Similis locus habetur tract. 84. in Joan. quibus locis non solum intercessionis Sanctorum meminit sanctus Doctor, sed etiam orationis pro defunctis, et altaris, ubi offertur Sacrificium missæ : quæ non minus damnat rex, quam invocationem Sanctorum. Idem Pater in Epist. 103. ad Quintianum : Portant, inquit, reliquias beatissimi et gloriosissimi martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas Vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis. Idem in lib II. de Civitate Dei cap. 8, fusissime commemorat miracula, quæ Deus suo tempore demonstrabat per invocationem Sanctorum ad eorum reliquias, vel memorias.

Hæc sunt testimonia veteris Ecclesiæ græcæ, et latinæ primorum 300. annorum post Christi Ascensionem in cœlum, de intercessione Sanctorum, et reliquiarum cultu. In promptu autem esset similia testimonia adscribere de cæteris dogmatibus, quæ rex negat, aut damnat : sed quia hæc habentur tum in nostris libris Controversiarum, tum in scriptis multorum aliorum Catholicorum Doctorum ; parco labori et lectorum, et meo. Volui enim ex uno saltem dogmate constare, fidem, quam rex defendit, non esse veteris Ecclesiæ, ut ipse in inscriptione dicit.

At inquiet, multa docentur in Anglia, et Scotia a Ministris, quæ sunt communia veteri Ecclesiæ, atque ea potissimum, quæ in Symbolo fidei, et decretis quatuor primorum conciliorum continentur. Ita est, sed quæstio inter Catholicos, et Protestantes non est, utrum nihil omnino eorum, quæ Protestantes docent, habeatur in libris veterum ; sed utrum ea, in quibus dissentimus, ut intercessio Sanctorum, reliquiarum cultus, oratio pro defunctis, Primatus S. Petri, purgatorium, et similia recepta, et probata sint a veteri Ecclesia, ut a nobis recipiuntur, et probantur ; an rejecta, et improbata, ut a rege, et ejus prædicatoribus rejiciuntur, et improbantur. Nos autem de uno principali dogmate controverso demonstravimus, receptum, et probatum fuisse ab Ecclesia veteri, ut a nobis recipitur, et probatur : et idem in libris nostris de cæteris controversis dogmatibus manifestum fecimus. Itaque nos cum Ecclesia veteri in omnibus articulis convenimus : Protestantes vero in paucis conveniunt, in plurimis dissident, in iis videlicet omnibus, in quibus a nobis dissentiunt, proinde fides, veteris quam adversus nos defendunt, non est fides veteris Ecclesiæ, sed hæresis, ut supra diximus, Novatorum.

Restat ut pauca dicamus de vocibus, propagator, et defensor, quæ in inscriptione ultimo loco ponuntur. Et quidem ubi rex fidem propagaverit, vel Evangelium annuntiaverit, ignorare me fateor.

(a) Titulum defensoris fidei, quem majusculis litteris hoc loco scribi video, ut etiam in priore pagina, et in Basilico Doro, et alibi, non ignoro, neque ullus est, qui ignoret, a Leone X. Pontifice maximo delatum Henrico VIII. Angliæ regi ob librum ab eodem rege scriptum de septem Ecclesiæ Sacramentis adversus Lutherum, cæterosque ejus temporis Novatores. Quod si quæratur, quid nomine fidei in eo titulo significetur ; nihil aliud responderi poterit, nisi fidem illam significatam esse, quam prædicabat, qui titulum accepit, et quam profitebatur, qui titulum dedit, et quæ defendebatur in libro, cujus gratia titulus datus, et acceptus est.

Quæ cum ita sint, non possum non vehementer admirari, cur hunc titulum sibi desumat, qui Romanum Pontificem, a quo titulus datus est, non agnoscit ; qui eam fidem damnat, quam profitebatur, qui titulum primus accepit ; qui denique non septem sacramenta, ob quorum defensionem titulus datus est, sed duo, vel tria tantum esse contendit.

Quæro præterea, qui titulo isto tam honorifico regem Angliæ cohonestavit, Christi Vicarius, an Christi adversarius fuit? Si Christi Vicarius, cur defensor Christianæ fidei, Christi Vicarium non audit? non recipit? non veneratur? Si Christi adversarius, cur Christianus rex titulo a Christi adversario dato gloriatur? cur characterem Antichristi gerit? Quomodo enim ista cohærent, ut quis Romanum Pontificem Antichristum esse credat, et titulum honoris ab eo datum non exhorreat? Ergo rex, si sapit, originem hujus tituli apud se diligenter cogitet, et facile intelliget, eum ad se minime pertinere, et apud homines sapientes plus vanæ ostentationis habere, quam solidæ dignitatis.

(a) *Titulus Defensoris fidei datus a Leone X. Henrico VIII. non convenit Jacobo I*

CAPUT II.

Quod non sit communis causa regis Anglorum, cum regibus, et principibus orthodoxis, et Catholicis.

Initio suæ monitoriæ præfationis conatur rex Anglorum, communem facere causam suam cum omnibus regibus, et principibus Christianis : « Causa, inquit, communis agitur, et quæ ad jus, dignitatemque pertinet omnium non modo regum, sed aliorum etiam quibuscumque suprema est a Deo rerum civilium demandata potestas. »

Cur autem communis causa agatur, unico verbo attingit, cum ait, hoc libro suo contineri Apologiam pro juramento fidelitatis, ex quo intelligi vult, pugnare se adversus Romanum Pontificem pro juramento fidelitatis, quod omnibus regibus, atque principibus præstari debet, et solet a subditis. Quasi Pontifex Romanus ejusmodi juramenta prohibeat, ac velit reges, et principes omni potestate exuere.

Sed (a) frustra laborat rex, ut causam istam communem faciat. Nam neque summus Pontifex in Brevibus suis ad Catholicos Anglos ; neque ego in epistola mea ad Archipresbyterum Angliæ, juramentum quodcumque fidelitatis improbavimus, sed juramentum, quod sub specie civilis fidelitatis, abnegationem Pontificiæ auctoritatis continebat : neque reges, et principes Catholici ita sibi jurari volunt a populis fidelitatem ; ut summi Pontificis auctoritas abnegetur. Quæ duo si demonstrare potuero, nemini dubium relinquetur, quin causa regis Angliæ propria ipsius sit, neque aliquid commune habeat cum causa regum, et principum Catholicorum.

Quod igitur juramentum, quod rex Angliæ fidelitatis, et civilis obedientiæ vocat, non sit juramentum simplicis fidelitatis, neque solius civilis obedientiæ, perspicuum est ex titulo edicti, quo juramentum hoc præscribitur, hic enim est titulus : « Ad detegendos et reprimendos Papistas. » Finis igitur hujus juramenti non est, detegere seditiosos, inobedientes, rebelles ; sed Papistas, id est, eos, qui summum Pontificem, ut Christi Vicarium venerantur. Neque finis est continere populos in ea obedientia, quæ regibus, et principibus debetur ; sed reprimere Papistas, qui civilem obedientiam regibus exhibent ; sed nolunt regem agnoscere caput, vel supremum gubernatorem Ecclesiæ in spiritualibus ; neque volunt primatum Apostolicum summi Pontificis abnegare. Sed quoniam ea, quæ ad hunc locum pertinent, satis copiose tractavi in responsione ad librum regis, qui inscribitur : Triplici nodo triplex cuneus ; et hæc ipsa responsio denuo recusa hic adjuncta fertur ; ad eamdem remitto lectorem, ne bis eadem repetendo, et me, et lectorem frustra fatigem.

Quod autem reges, et principes orthodoxi ita velint fidelitatem, et obedientiam a populis sibi subjectis jurari, et exhiberi ; ut simul velint suam Pontifici Maximo, ut Christi Vicario, fidelitatem, et obedientiam conservari : ex ipsa reverentia, et obedientia, quam ipsi nuper, de more, huic ipsi Summo Pontifici Paulo V. publice per legatos suos, viros amplissimos exhibuerunt, luce clarius demonstratur.

Vidimus enim tota spectante Roma (b), Legatos reipub. Lucensis, deinde Genuensis, ad domum Venetæ, cum splendidissimo comitatu ad Urbem advenire, Summi Pontificis pedes deosculari, latina, et peregrinanti oratione reverentiam, et obedientiam nomine totius reipublicæ exhibere. Vidimus non diu post, regem Hispaniarum per oratorem suum illustrissimum, et excellentissimum Feriæ ducem ; ac post aliquod tempus regem Francorum Christianissimum per oratorem suum illustrissimum, et excellentissimum ducem Nivernensem, cum eo procerum

(a) *Frustra conatur Jacobus rex causam suam communem facere cum Principibus orthodoxis.* — (b) *Honorificæ legationes ad Paulum V. Pont. Max. causa exhibendæ reverentiæ, et præstandæ obedientiæ, more majorum.*

comitatu, eaque nobilium virorum multitudine, quæ tantorum regum magnificentiam decebat, ejusdem Summi Pontificis deosculari pedes, eique amplissimis verbis per eloquentissimos oratores suos reverentiam, et obedientiam præstare, quæ S. Petro Apostolorum Principi, ejusque successoribus jure debetur. Nec defuerunt officio suo supremi, ac liberi Principes cæteri, quotquot nomine Catholico censentur, sive Germani, sive Galli, sive Itali; apparatu quidem minore, sed pietate, et devotione pari.

Quare si reges, ac principes orthodoxi publice profitentur obedientiam supremo Ecclesiæ capiti, Romano Pontifici, a Christianis omnibus deberi; et ipsi exemplo suo præeunt populos, quos regendos susceperunt: Et Pontifex Maximus non modo non improbat juramenta fidelitatis erga reges, et principes; sed probat, et laudat; et ad ea servanda, cum opus est, censoris Ecclesiasticis cogit: quid habet communæ causa regis Anglorum cum cæteris; cum ipse hoc in primis contendat, ut populos suos ab obedientia Summi Pontificis avertat, atque eo modo a Christi corpore, quod est Ecclesia, separet, ac secum in inferna demergat. Vera est enim sententia illa Magni Leonis in epist. ad Episcopos Provinciæ Viennensis: « Quisquis hanc Sedi Principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem; sed inflatus spiritu superbiæ suæ semetipsum in inferna demergit. »

Quæ cum ita sint, poterat rex ab illis verbis abstinere, quæ in injuriam omnium Catholicorum principum prolulit: « Expergiscimini igitur, dum tempus est, neque sinite sommo diuturniore incidi in singulis, ad ruinam universorum, auctoritatis vestræ nervos: » quasi unus rex Anglorum vigilet, unus sapiat; cæteri dormiant, et desipiant universi: neque possint reges auctoritatis suæ nervos integros servare, nisi auctoritatis Pontificiæ nervos ipsi præcidant. Expergiscatur potius rex Anglorum, et verbum Domini diligenter expendat: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Audiat et Apostolum Christi, qui quemadmodum ad Rom. XIII. admonet populos ut subjecti sint, et obediant temporalibus potestatibus, et reddant vectigal, cui debetur vectigal, et tributum cui debetur tributum; ita eosdem monet, ad Heb. XIII. ut obediant spiritualibus præpositis, et subjaceant eis, qui pervigilant, quasi rationem pro animabus ipsorum reddituri.

CAPUT III.

De comparatione regis, et Pontificis.

Ingressurus disputationem rex, duas rationes reddit, (a) cur in Apologia pro juramento fidelitatis, primum edita, nomen suum celaverit, nunc autem prodat. Altera ratio est, quod indignum Majestate sua regia existimaret sub nomine suo disputationem Theologicam evulgare: cum ad reges pertineat scribere potius decreta, et edicta, quam libros. Id autem probat dicens: « Nam neque me Pontifice ulla ex parte inferiorem esse credo (pace ipsius dixerim) quem eadem ratione censores meæ Apologiæ excusant: cum quippe Brevia strictim, et præcise conscripsisse; nec rationes, aut argumenta addidisse, quod non sit illius disputare, sed judicare, atque decernere. »

At censores Apologiæ non dixerunt, non esse Pontificis libros scribere, aut de rebus theologicis disputare. Scimus enim Pontifices aliquos magna cum laude libros doctissimos edidisse: sed Paulum V. Pontificem, cum Brevia illa ad Anglos misit, non librum, sed epistolam hortatoriam misisse, quæ vicem edicti gereret. Addiderunt etiam, imprudentem fore principem, qui iniquam actionem prohibere se non posse crederet, nisi librum integrum Philosophorum more conscriberet. Itaque non dixerunt censores Apologiæ, indignum esse Pontificia, vel regia majestate libros theologicos, vel philosophicos scribere; sed edita, et decreta Pontificum, vel regum non esse scribenda more philosophico cum adjunctis rationibus, et argumentis, subtili et longa disputatione.

Sed his omissis, quæ ad rem non multum faciunt, illud omnino prætereire non possum, quod rex ait, (b) nulla ex parte se Pontifice inferiorem esse. Certe enim si ad Ovile Christi se pertinere credit, non potest se non inferiore illo judicare, cui dictum est a

(a) *Cur rex Jacobus nomen suum non adscripserit Apologiæ pro juramento fidelitatis.* — (b) *Non recte affirmat Jacobus rex, nulla ex parte se Pontifice Romano inferiorem esse.*

Domino: *Pasce oves meas*: nisi forte oves Pastore inferiores esse negare voluerit.

Neque ad rem facit, quod ipse in hac præfatione pag. 21. dicit, nihil in se potestatis Pontificem habere, quod a nobis hæreticus censeatur, Julianoque apostatæ æquetur, extra caulam, gregemque Pontificis esse credatur: proinde eodem jure cum ethnicis principibus censendus, in quos nihil posse Pontificem fatemur: hoc, inquam, ad rem non facit; siquidem hæresis, et apostasia privat hæreticos, et apostatas multis bonis, quæ communia sunt fidelibus; sed non privat Pontificem auctoritate, quam in eos habet: alioqui neque punire eos, neque reduntibus pœnam condonare posset. Et sunt quidem hæretici extra caulam de facto, et in favorabilibus, ut jureconsulti loquuntur; sed de jure, et in pœnalibus ad eam pertinent, atque ad eam ut redeant compelli jure possunt. Neque fatemur absolute (a), Pontificem in Ethnicos Principes nihil posse: sequimur enim Doctrinam S. Thomæ, qui in 2. 2. quæst. 10. art. 10. affirmat, posse infideles principes per sententiam Ecclesiæ privari in certis casibus dominio quod habent super fideles, ut si terras Christianorum vi occupaverint, vel subditos fideles a fide avertere satagant.

Adde quod cum Summus Pontifex multa maxima regna, atque adeo totum orbem Christianum, et ipsos etiam reges, et principes, ut filios pater, atque ut oves pastor gubernet, et regat; mirum est, quod is qui in angulo septentrionis duas insulas subjectas habet, ita de se præsumat, ut dicat: « Nulla ex parte me Pontifice inferiorem esse credo. » Quod si nulla ex parte inferior est; numeret reges, et respublicas, quæ obedientiam illi præstent; quemadmodum nos paulo ante numeravimus reges, et respublicas, quæ solemni ritu Paulo V. Pontifici obedientiam præstiterunt.

Neque iste honor exhibetur Summo Pontifici a regibus tantum Occidentis, nam Justinus imperator, venientem ad se Joannem Papam, pronus in terram adoravit, ut Anastasius Bibliothecarius testatur. Justinianus Senior Joannem secundum, caput omnium Ecclesiarum appellavit, ut videre est L. inter claras, C. de summa Trinitate, et fide Cathol. Scribit etiam Liberatus in Breviario de causa Nestorianorum cap. 22. quo tempore imperator, Silverium Papam in exilium misit, Episcopum Patarensem adiisse imperatorem, et contestatum esse divinum judicium; ac dixisse, multos esse reges, sed nullum talem esse, qualis ille, qui est Papa super Ecclesiam mundi totius.

Sed si Jacobus rex nulla ex parte Pontifice inferiorem se esse affirmat; certe non id affirmare poterit de regibus Angliæ prædecessoribus suis.

Exstat Epistola Henrici Secundi ad Alexandrum III. Pontificem in hæc verba: (b) « Sanctissimo Domino suo Alexandro, Dei gratia Catholicæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Henricus rex Angliæ, dux Northmanniæ, et Aquitaniæ, Comes Andegavensis, et Cenomanensis salutem, et devotæ subjectionis obsequium. » Et infra: « Vestræ jurisdictionis est Angliæ regnum, et quantum ad feudatarii juris obligationem vobis dumtaxat obnoxius teneor, et astringor. Experiatur Anglia quid possit Romanus Pontifex. » Vide Petrum Blesensem epistol. 136. vel Cardinalem Baronium tom. 12. pag. 660.

Exstat epist. Aleonoræ reginæ Angliæ ad Cœlestinum III. ubi hæc leguntur: « Nonne Petro Apostolo, et in eo vobis omne regnum, omnisque potestas regenda committitur? Benedictus Deus, qui talem potestatem dedit hominibus. Non rex, non imperator, aut dux a jugo vestræ potestatis eximitur. » Vide hæc, et alia multa his similia apud Petrum Bles. epistol. 143. vel apud Card. Baronium eodem tomo pag. 863.

Exstat querela regis Anglorum adversus regem Franciæ ad Innocentium III. tamquam ad communem judicem, cap. Novit, de Judiciis.

Exstat Legatio Richardi Regis Angliæ ad Pontificem Romanum in hæc verba: « Pater Sancte, salutat Excellentiam vestram Dominus noster Rex Anglorum Richardus, et postulat sibi justitiam exhiberi de Duce Austriæ. » Vide Matthæum Paris. in historia Anglicana anni Domini 1195.

Exstat apud eumdem Matthæum Paris. in hist. Anglicana anni Domini 1213. resignatio totius regni Angliæ, et Hiberniæ facta a Joanne rege Angliæ de consensu baronum

(a) *Jurisdictio Summi Pontificis ad Hæreticos puniendos extenditur.* — (b) *Reges Angliæ olim summi Pontificis auctoritatem super omnem Ecclesiam, et super ipsos reges, agnoscebant, et confitebantur.*

in manus Innocentii III. Pontificis; et receptio eorumdem regnorum in feudum: ita ut rex tamquam secundarius Dominus a Romana Ecclesia illa se habere agnoscat; et in signum subjectionis debeant successores eidem Ecclesiæ fidelitatem præstare, et homagium recognoscere: necnon in annos singulos mille marcas sterlingorum eidem Ecclesiæ numerare. Ergo rex Anglorum ex testimonio, et sententia majorum suorum, non solum par non est Romano Pontifici; sed duplici jure subjectus, uno communi omnibus Christianis hominibus, ratione Apostolicæ potestatis, quæ in omnes extenditur, juxta illud Ps. XLIV *Constitues eos* (Apostolos videlicet) *Principes super omnem terram*: altero proprio ratione directi dominii, quod in regnum Angliæ, et Hyberniæ Romana habet Ecclesia, testibus duobus omni exceptione majoribus Henrico II et Joanne regibus.

Quamquam hæc subjectio multo est antiquior, si Polydoro Virgilio credimus: scribit enim lib. IV. hist. Anglicanæ, Inam regem fuisse primum, qui (*a*) regnum Angliæ summo Pontifici tributarium fecit circa annum Domini 740. Idem postea tributum confirmatum anno Domini 775. ab Offa rege: nec non postea a rege Atulpho anno Domini 947. Denique a rege potentissimo Anglorum, et Danorum Canuto, qui regnare cœpit in Anglia anno Domini 1016. Idem tributum confirmatum testatur Ingulphus, qui ante quingentos annos scripsit historiam.

Porro quod attinet ad (*b*) Hyberniam, jus longe majus in eam Pontifex habet. Constat enim ab Adriano IV. Pontifice datam fuisse eam insulam Henrico II. regi anno 1156. sub conditionibus multis, quas reges Angliæ minime servarunt. Exstant de tota hac re testimonia historicorum, Gulielmi Neubrugensis lib. III. cap. 9. Polydori Virgilii lib. XIII. Nicolai Sanderi de Schismate Anglicano ab anno 1542; exstant denique literæ Apostolicæ Joannis XXII. ad Edwardum II. datæ.

CAPUT IV.

De comparatione regis, et Cardinalis.

Altera ratio, quæ regem movit, ut Apologiæ suæ nomen suum non adscriberet, fuit imparitas Cardinalis Bellarmini ad regem Jacobum: sic enim ipse loquitur pag. 5. « Altera tacendi nominis ratio mihi fuit eorum conditio, cum quibus ad disceptandum descendebam. Quamquam enim paucis Pontificia Brevia notabam, mihi tamen id præcipue laboris dederam, ut Bellarmini litteras ad Blakwellum refellerem. Neque vero mihi unquam persuasi tantum esse in purpura cardinalitia dignitatis, ut occurrere regio fulgori par, ac æmula, et velut æquali majestate cum eo possit ad certamen componi. Nam et multa millia in subditis habeo, qui splendore natalium Bellarmino non concedant; et hanc illius Ecclesiasticam dignitatem, Cardinalatum, inquam, nescio quo loco, aut pretio habeam, sive ad Scripturæ auctoritatem, sive ad Imperatorum constitutiones expendam: cum sit nihil aliud quam nova Paparum institutio, quam in immensum excrescere decessorum nostrorum, regum inquam, qui his aliquot sæculis rem Christianam rexerunt, mollis, et ad omnia Pontifici connivens lenitas permisit. »

At ego non video in disputatione theologica quid necesse sit paritatem natalium, aut dignitatis, aut imperii quærere cum sola necessaria sit paritas ingenii, atque doctrinæ. Henricus VIII. rex Anglorum non indignum sibi putavit, adversus Martinum Lutherum monachum, vel, ut ipse rex loquitur, fraterculum scribere. Julianus quoque imperator, quia non contentus imperiali splendore, cupiebat etiam clarere nomine eruditionis scripsit libros non adversus reges, sed adversus magistros Christianorum, eumque Cyrillus Episcopus copiosissime confutavit. Denique Nero imperator cum cantu, et cithara cum antagonistis in theatro desertare vellet, non quæsivit reges aut principes, sed homines peritissimos musicæ artis, quos si vicisset, tum magnam gloriam adeptum se esse arbitrabatur.

Sed quando rex Angliæ majestate sua indignum judicat, ut vel ipse scribat in Cardinalem rege longe inferiorem, vel Cardinalis in ipsum scribat Cardinali longe superiorem: de comparatione regis, et Cardinalis adducam judicium et (*c*) testimonia Patrum veterum, qui primis quingentis annis floruerunt, quos a se recipi rex ipse supra testatus est.

Igitur cardinales nihil sunt aliud, nisi episcopi, presbyteri et diaconi, electores, consiliarii, et coadjutores Summi Pontificis. Ac de Episcopis quibuscumque etiam non cardinalibus, scribit Gregorius Nazianzenus in oratione ad populum timore perculsum, et principem, sive præsidem irascentem: « An me, inquit, libere loquentem æquo animo fertis? nam vos quoque potestati meæ, meisque subselliis lex Christi subjecit. Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius, atque perfectius: nisi vero æquum est, spiritum carni fasces submittere, et cœlestia terrenis cedere. » Hæc ille, qui aperte docet Episcopos potestate spirituali majores esse regibus, et potestatem spiritualem præstantiorem esse temporali, atque terrena.

Sanctus Joannes Chrysostomus in lib. III. de Sacerdotio, confert potestatem regis cum potestate Sacerdotis, quo nomine Episcopum præcipue intelligit, ac dicit, sacerdotem tanto majorem a Deo potestatem accepisse, quanto cœlum terræ, et quanto animæ corporibus præstant. Reges enim corpora ligandi, atque solvendi potestatem habent; sacerdotes vero animas ipsas ligant, et solvunt.

Sanctus Ambrosius in lib. de Dignitate Sacerdotali cap. 3. « Nihil, inquit, est in hoc sæculo excellentius Sacerdote, nihil Episcopo sublimius reperitur. »

Ac ne solis hominum testimoniis nitamur, quamvis doctissimorum, sanctissimorum, atque antiquissimorum; audiamus Spiritum sanctum per os Apostoli loquentem in Epist. ad Hebr. cap. VII. *Sine ulla contradictione minor a meliore benedicitur*, ubi melior ponitur pro majore, et potiore, omnium consensu. Certum autem est, regem ab Episcopo bene dici, non Episcopum a rege: proinde sine contradictione potior rege Episcopus est. Quare si Episcopi quicumque majores sunt regibus, multo magis Episcopi Cardinales majores regibus erunt.

Jam vero de presbyteris eadem ratio est, Sunt enim presbyteri minoris Ordinis sacerdotes, et quamvis sub Episcopis, tamen potestatem ipsi quoque habent animas ligandi atque solvendi; reges, et principes benedicendi; et Sacrificium illud admirandum celebrandi, quod Angelicas virtutes longe superat. Quare sanctus Ambrosius, cum Theodosius imperator in presbyterio sedere vellet, jussit eum arceri, dicens: « Purpura imperatores facit, non Sacerdotes: refert hæc Theodoretus lib. V. hist. Eccles.

Addam et verba Severi Sulpitii, auctoris ejusdem sæculi, et testimonium sancti Martini de dignitate presbyterali. Num ergo narravisset Sulpitius, sanctum Martinum aliquando ad convivium imperatoris maximi, cum uno ex presbyteris suis rogatum accessisse; ita subjunxit: « Convivæ aderant, velut ad diem festum evocati, summi, atque illustres viri, præfectus, idemque consul Evodius, quo nihil unquam justius fuit, comites duo summa potestate præditi, frater regis, et patruus, medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autem sellula juxta regem posita consederat. Ad medium fere convivium (ut moris est) pateram regi minister obtulit: ille sancto admodum Episcopo dari potius jubet, expectans atque ambiens ut ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus, ubi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem qui post se prior biberet: nec integrum sibi fore, si aut regem, aut eos qui a rege erant proximi, presbytero prætulisset. » Hæc ille. Vides, rex, quale fuerit judicium sancti Martini, viri omnium ore laudatissimi, de dignitate presbyterorum. Quod si quicumque presbyteri, solam quia presbyteri tali ac tanta dignitate præditi sunt, ut etiam regibus præferantur, quis jure mirabitur, si cardinales æquales regibus a nonnullis esse dicantur.

Porro de diaconis Ecclesiæ Constantinopolitanæ sanctus Joannes Chrysostomus in ipsa urbe regia, in qua imperator residebat, affirmare non dubitavit, majorem eos ipsis imperatoribus habere potestatem, sic enim ad eos loquitur hom. 83. in Matth. « Si dux quispiam, si consul ipse, si is qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe, et coerce; majorem tu illo habes potestatem. » Et si diaconi Constantinopolitani, Chrysostomo auctore, majorem ducibus, consulibus, et ipso etiam imperatore potestatem habebant; cur non eamdem habeant diaconi romani, atque ii potissimum, qui cardinales, id est, principales totius Orbis terræ diaconi sunt? Quæ cum ita sint, desinat rex Anglorum dicere, Cardinalitiam dignitatem nescio quo loco, aut pretio habeam. Jam enim discere potuit ex Patribus veteris, et primitivæ Ec-

(*a*) *Anglia tributaria facta est Romano Pontifici ante annos octingentos sexaginta.* — (*b*) *Hyberniam Adrianus IV. Pont. Regibus Anglorum sub certis conditionibus tradidit.* — (*c*) *Testimonium veteris Ecclesiæ de eminenti dignitate S. R. E. Cardinalium.*

(1) Hebr. VII, 7.

clesiæ, quam solam probat, quo loco, aut pretio habendi sint episcopi, presbyteri, et diaconi ; atque inde conjecturam facere quo loco, aut pretio sint habendi episcopi, presbyteri, et Diaconi (a) Cardinales, qui præter sacrum Ordinem electores sunt supremi Ecclesiæ Catholicæ præsulis, et sacerdotum omnium Principis, atque ipsius Christi in terris Vicarii generalis, et ejusdem coadjutores, et consiliarii principales.

At, inquit, cardinalatus novus est Paparum institutio. Non ita est : Nam si cardinales ut Episcopi, presbyteri, et Diaconi considerentur, (b) a Christo ipso instituti sunt, et ab initio Ecclesiæ, usque ad nostra tempora perdurarunt. Itaque tam sunt antiqui quam antiqua ipsa Ecclesia est. Si vero consideretur officium eligendi Pontificem, eumdemque consilio atque opera adjuvandi, semper hoc officio functi sunt presbyteri, et diaconi Romani, cum episcopis Urbi adjacentibus. Hoc solum interest inter antiqua tempora, et recentia, quod olim ob paucitatem personarum, non distinguebantur presbyteri, et diaconi Romani Cardinales a non Cardinalibus, sed omnes in communi hoc officio fungebantur : postea vero crescente numero presbyterorum, et diaconorum, et confusionem, ac tumultus varios ipsa multitudine pariente ; necesse fuit paucos ex multis seligere, qui hoc munere fungerentur, atque ii dicti sunt episcopi, presbyteri, et diaconi S. R. E. Cardinales.

Neque hæc revocatio ad paucos, et eminentia, quæ inde secuta est Cardinalium, tam recens est, ut nova dici possit, cum anni quingenti, vel sexcenti ab eo tempore numerentur. Multa enim scribit de Cardinalium amplissima dignitate, qua etiam Patriarchas, et Primates omnes superabant, Petrus Damiani in Epistola ad Antipapam Cadaloum Vixit autem Petrus Damiani ante annos sexcentos. Multa scribit S. Bernardus in lib. IV. de Consideratione, ubi præter cætera dicit Cardinales de omni orbe esse eligendos, quoniam totum orbem sunt judicaturi. Multa leguntur in probatis historicis antiquis, ex quibus abbas Urspergensis in chronico ad annum Domini 1116. testatur in concilio generali sub Paschali secundo vocatos Cardinales, potiora membra Ecclesiæ. Hanc vero eminentiam dignitatis, neque rex probare poterit, ex conniventia, vel lenitate principum temporalium processisse ; et nos apertissimam rationem reddidimus, cur tanta sit dignitas Cardinalitia, quia videlicet, ut diximus, ipsi soli summum Pontificem eligant, eique ut collaterales, et coadjutores in regenda universa Ecclesia semper assistant.

Ac ut absolvamus hunc locum de Cardinalibus : excutiam etiam breviter, quæ multo infra rex adjungit, siquidem non contentus iis quæ hoc loco scripsit, iterum pag. 116. ad idem argumentum revertitur, ac primum exprobrat Cardinali Bellarmino obscuritatem natalium. « Jam, inquit, præter regis Majestatem esse puto, ut in lite, ac certamine Cardinali se componat, saltem cum eo Cardinali, qui non felicius, ac illustrius, quam iste natus sit. » Fatetur Bellarminus, parentes suos homines privatos, sed honestos, et probos fuisse ; avunculum vero habuisse (c) Marcellum II. Pont. Maxim. cujus ea virtus, et doctrina fuit, ut etiam ab hostibus testimonium acceperit. Theodorus enim Bibliander homo Lutheranus in tabulis suis Chronologicis, ubi Pontificum successiones describit : Sedit, inquit, anno 1555. Marcellus II. vita sanctus, et doctus. Sed etiam si Card. Bellarminus parentes habuisset opifices, aut rusticos, modo Catholicos, et pios, non erubesceret, cum sciat (d) Principum Apostolorum, alterum piscatorem, alterum tabernaculorum opificem fuisse : David quoque regem, et Prophetarum a pascuis ad regnum evectum : Et quod maximum est, Christum Dominum nostrum fabrum, et fabri filium dici, et haberi voluisse, ut nos humilitatem, et contemptum mundi doceret : Et Apostolum audiat dicentem in priore ad Corinth. cap. 1. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (1).

Addit rex : « Ecclesiastica illa dignitas (Cardinalitia videlicet) quamquam principum incuria, ut jam dixi, ad hoc præsumpti honoris culmen ascendit : tamen si ad ejus originem, et cunabula redeamus, nihil est aliud quam titulus presbyteris, et diaconis

(1) I Corinth. I, 26.

(a) *Cardinales sunt electores, consiliarii, et coadjutores Summi Pontificis.* — (b) *Antiquitas Cardinalium.* — (c) *Marcellus II. Papa; ab ipsis etiam hostibus fidei laudatus.* — (d) *Splendor natalium non necessarius ad Ecclesiasticas dignitates, sed splendor sapientiæ, et virtutum.*

paræciensium Ecclesiarum urbis Romæ attributus : olim quidem presbyteris et diaconis cujuslibet Cathedralis Ecclesiæ universæ concessus, sed cum ejusmodi Cardinalium ingens multitudo undique Romam commeantium Urbem implerent, tandem nomen Cardinalis cæteris ademptum est, et solum Romanarum paræciarum presbyteris, et diaconis reservatum. Et cum ante sanctum Gregorium nemo illius tituli meminerit, qui sexcentis post Christum annis, in quibusdam Epistolis de Cardinalibus loquitur, atque ita multis post Apostolos sæculis, hodierni isti Sedis Apostolicæ electores, invisi omnibus, et incogniti fuerunt. »

Non miror si multa hic dicantur non vera, quoniam (a) rex de rebus sibi incognitis, et sine auctore loquitur. Non est verum diaconos Cardinales habuisse olim titulos paræcienses ; tituli enim paræciarum solis presbyteris dabantur, diaconis autem Ecclesiæ aliæ, quæ diaconarum nomen habebant. Neque verum est olim presbyteris, et diaconis cujuslibet cathedralis Ecclesiæ permissum fuisse titulum Cardinalitium : rarissimæ enim Ecclesia his vocibus utebantur : ac ne in Romana quidem Ecclesia tempore S. Sylvestri omnes diaconi Cardinales erant, sed soli septem : tempore autem Symmachi Pontificis soli viginti octo erant tituli Cardinalium presbyterorum, ut ex Conciliis Romanis sub Symmacho intelligi potest : presbyteri autem Romani multo plures erant quam viginti octo. Illud etiam non est verum, venisse unquam ad Urbem multitudinem ingentem Cardinalium non Romanorum, id enim ex nulla historia (quod sciam) probabitur. Neque illud est verum, nomen Cardinalis demptum aliis, et solis Romanis reservatum, nam usque ad hanc diem Ecclesia Compostellana habet suos Cardinales. Neque verum est ante tempora S. Gregorii nomen Cardinalis fuisse inauditum, legitur enim nomen septem diaconorum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ in concilio Romano sub S. Sylvestro, qui trecentis annis S. Gregorium antecessit.

Subjungit rex : « Sed quomodo, inquit, præter rationem suæ originis, ac institutionis tam prodigiose sint elati, ut ex paræciarum presbyteris, ac diaconis nunc principes sint, regumque æquales, et ex gradu episcopali dignitate minori sint hodie soli Pontificis electores, qui cum generalium conciliorum vice fungantur (unde etiam usus generalium conciliorum exolevit) immo ut nonnisi ex illorum collegio fas sit Pontificem eligi, qui supremam in reges sibi auctoritatem vendicat ; hoc, inquam, tam insolens incrementum quomodo cœperit, nullisque repugnantibus adoleverit, nostrum est omnium providere, qui cum in terris Vicarii Dei simus, jure optimo suspectos habere debemus, istiusmodi nuper exortos principes, qui sua origine modici, humilesque, seipsos ad summum fastigium, suis ipsi suffragiis subvehunt, regibusque deinde se componunt. »

Hic quoque rex ex ignoratione rerum nostrarum, et quia nimis magnam fidem habere videtur hostibus Ecclesiæ, multa non vera ibi elabi passus est. Non enim præter rationem, et institutionem suæ originis, sed potius secundum originis rationem, et institutionem Cardinalitia dignitas crevit. Nam, ut supra diximus, antiqua institutio erat, ut presbyteri, et diaconi Romani cum vicinis Episcopis Pontificem Romanum eligerent, cumque consilio et opera adjuvarent : sed postea excrescente nimium presbyterorum, et diaconorum multitudine, paulatim hæc functio ad paucos redacta est. Ita pauci illi super alios eminere cœperunt, ut Cardinales, id est, principales episcopi, presbyteri, et diaconi, atque adeo principes ecclesiastici jure dici possent : quomodo qui secundas partes a regibus obtinent in administranda temporali republica, principes temporales dici solent.

De æqualitate cum regibus distinguendum esse censeo (b) : nam si de potestate temporali sermo sit, de imperio, de opibus, de viribus, de armis, dubium non est, quin reges longe, ac longe Cardinalibus præstent : si de potestate spirituali, atque Ecclesiastica agatur ; non solos Cardinales, sed omnes episcopos, presbyteros, et diaconos regibus superiores esse : paulo ante ex testimonio Ecclesiæ veteris demonstratum est. Quod vero apud jurisconsultos dici solet, cardinales æquiparari regibus, de externo cultu, et honore intelligendum videtur : usus enim obtinuit, ut quemadmodum principes omnes regibus cedunt, sic etiam cedant Cardinalibus : et in hoc paritas quædam esse videtur.

(a) *Jacobus rex de rebus fide non cognitis loquitur.* — (b) *Cardinales regibus inferiores sunt temporali potestate : sed potestate spirituali, et ecclesiastica superiores.*

Quod addit rex, *Cardinales* presbyteros, et diaconos aliquando minores fuisse Episcopis non Cardinalibus, verum est, quoniam eo tempore non solum inferiores erant, quod attinet ad potestatem ordinis, ut etiam hoc tempore sunt; sed etiam quoad potestatem regendi Ecclesiam universalem, quia ipsi quoque ad concilia Romana vocabantur, et nobiliore loco sedebant, quam presbyteri, et diaconi Cardinales, olim etiam ad electionem summi Pontificis admittebantur. Sed posteaquam soli Cardinales electores esse, et in Consistorio cum Pontifice Maximo Ecclesiam universalem administrare cœperunt; mirum videri non debet, si cardinales Episcopis non cardinalibus anteposîti sint. Non tamen est verum, quod hoc loco rex scribit, (*a*) cardinales cum Pontifice fungi vice conciliorum generalium, et ideo usum generalium conciliorum penitus exolevisse. Nam ab eo tempore quo cœperunt Cardinales ea eminentia excellere, qua nunc excellunt, habita sunt multa concilia generalia, tria Lateranensia, duo Lugdunensia, unum Viennense, unum Constantiense, unum Florentinum, unum Tridentinum, et alia paulo minora. Concilia ergo Romana particularia exoleverunt, et in eorum locum consistoria Cardinalium successisse videntur, concilia generalia non exoleverunt.

Neque illud verum est, nisi ex collegio Cardinalium Pontificem eligi fas non esse. Scimus enim his postremis quingentis annis electos fuisse Pontifices Callixtum II, Eugenium III, Urbanum IV, Gregorium X, Cœlestinum V, Clementem V, Urbanum V, Urbanum VI, Felicem V, quamvis hic postremus legitimus non sit habitus, qui omnes extra Collegium erant. Quod autem rex addit, a Romanis Pontificibus supremam in reges sibi auctoritatem vindicare; si per vindicare, significare velit, usurpare, omnino negamus sin autem vindicare, sit quod suum est asserere : libenter admittimus : sic tamen, ut per auctoritatem, non despoticum imperium, sed paternam, sive pastoralem potestatem intelligamus, de qua re sæpe dictum est, et infra iterum recurret oratio.

Quod etiam rex ait, ad reges, ut Dei in terris Vicarios, pertinere curam videndi, quomodo tam insolens incrementum Cardinalitiæ dignitatis cœperit, nulla ratione admitti potest, sunt quidem (*b*) reges Ministri Dei in terris, ut eos vocat Sapiens in lib. Sap. c. VI. Et Apostolus ad Rom. XIII, sed ministri sunt in iis, quæ ad terrena, et temporalia spectant, nam quod attinet ad spiritualia, et cœlestia, atque uno verbo ad Ecclesiastica, Vicarii Dei Episcopi sunt, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, Act. XX. Et summus Vicarius ille est, cui Dominus dixit, *Sequere me*, et : *Pasce oves meas*. Jo. XXI, proinde videre, an, et quomodo, et quousque crescere debeat dignitas Cardinalitia, quæ est ecclesiastica et spiritualis, ad reges non pertinet.

Minus verum est, quod rex addit, istiusmodi nuper exortos principes suis suffragiis seipsos ad summum fastigium evexisse, regibusque se deinde componere. Nam neque nuper exorti sunt (nisi quingentorum annorum, aut etiam sexcentorum spatium) nuper, dici possit; neque suis ipsi suffragiis, sed auctoritate ejus, qui Dei locum tenet in terris, evecti sunt, neque se regibus ipsi componunt, non enim Cardinalis erat, qui scripsit, Cardinales æquiparari regibus, quod quomodo intelligendum sit paulo ante diximus.

Postremo hæc rex adjungit : « Sed hæc est præcipua, quam nobis inferunt, injuria, quod jus Christianis commune regibus in generalibus conciliis, nobis adimant, cum illorum habendi modum, penitus sustulerint; eorum vi, ac potestate ad se pertracta, et veluti monopolio in Pontificio Conclavi constituto. Et tamen si spes ulla, aut expectatio superesset, posse Christianos omnes ad aliquem in Religione consensum adduci, id esset a generali concilio expectandum, indicto in locum commodum, nec suspectum conventu, ubi Christiani omnes Principes, aut per se, aut per legatos possent adesse, et Ecclesiastici omnes, qui Christianam religionem profitentur, illisque veteribus veræ, antiquæ, Catholicæ, et Apostolicæ fidei fundamentis adhærescunt, totum accessum, ac commeatum haberent, incendiariis utrinque furiosis, ac novitiis, sive Jesuitis, sive Puritanis exclusis. »

Ad hanc ultimam partem pari brevitate respondeo, quod enim nulla auctoritate, aut ratione probatur, simplici negatione refelli solet. Primum igitur nego, (*c*) sublatum esse modum habendi concilia generalia : nego

(*a*) *Dignitas cardinalitia generalium conciliorum usum non sustulit.* — (*b*) *Reges ministri Dei sunt in temporali regimine.* — (*c*) *Vana querela de sublato modo habendi concilia generalia.*

vim et potestatem eorum ad Cardinales pertractam : nego in Pontificio conclavi esse quasi monopolium constitutum. Jam enim concilia generalia enumeravimus, quæ his postremis annis celebrata sunt. Quomodo enim vere dici potest, sublatum esse modum habendi generalia concilia, cum concilia celeberrima, et plurima paulo ante hoc sæculum, et hac ipsa ætate nostra sint habita ?

Quod autem rex queritur, factam sibi, atque aliis regibus injuriam, quod commune jus regibus Christianis in conciliis generalibus sit ademptum : qua veritate nitatur non video, cum in concilio generali apud Tridentum habito, interfuerint legati Cæsaris, Regum pene omnium, et principum plurimorum. Quod addit, indicendum fuisse concilium in locum non suspectum, et commodum : id quoque præstitum est, cum Tridentum in finibus Germaniæ, atque Italiæ constitutum, locus aptissimus, et minime suspectus a Summo Pontifice, et Cæsare, aliisque regibus et principibus judicatus sit.

Quod vero dicit, omnes Ecclesiasticos, qui Christianam Religionem profitentur, totum accessum, et commeatum habere ad (*a*) concilium debere : hoc vero est, recedere a forma quatuor primorum conciliorum, vel potius omnium, quæ habita sunt unquam in Ecclesia conciliorum. Concilia enim Episcorum sunt, non omnium Ecclesiasticorum; alioqui nullus locus tale concilium caperet : neque de dogmatibus fidei judicare ad omnes pertinet, sed ad principes Ecclesiarum, qui Episcopi sunt : sic enim loquitur concilium Chalcedonense, unum ex primis quatuor, quæ a Jacobo rege admittuntur : « Mitte foras superfluos, concilium Episcoporum est. » Cui consentit imperator Theodosius in epist. ad concilium Ephesinum, tom I, cap. 32. sic dicens : « Illicitum est eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum ecclesiasticis immisceri tractatibus. » Ne tamen quererentur Protestantes, aut Calviniani, invitati sunt omnes, et salvus conductus publica fide præstitus, dilatæ quoque rerum gravissimarum determinationes in longa tempora, ut spatium comparandi se, atque ad concilium veniendi, non deesset. Omitto quæ dicuntur in Jesuitas, et Puritanos, quoniam ad convicia pertinent, non ad doctrinam.

CAPUT V.

Quod Card. Bellarminus nulla injuria regem affecit, cum Apostolicorum Brevium, et Epistolæ suæ defensionem suscepit.

Pergit postea rex in præfatione sua, et ut rationem reddat propositi juramenti, de pulveraria conjuratione satis copiose disserit. De qua re quod mihi dicendum videbatur, scripsi in alio libello, qui huic Apologiæ adjunctus est. Venit tandem ad Bellarminum, et primum pag. 15, ex conjecturis probare nititur, librum, quo Brevia Pontificia, et Epistola Bellarmini defenduntur, ejusdem Bellarmini esse, non Matthæi Torti, cujus nomen gerit.

Ad hoc facilis responsio est. Fatetur Cardinalis Bellarminus librum esse suum, sed ut supra admonui, non est visum illi suum nomen inscribere, quia neque adversarius nomen inscripserat suum. Quæritur deinde de modo scribendi, quod sit ab omni modestia alienus; idque probat pag. 16, ex præfatione Typographo Politano adscripta, ubi Cardinalitia dignitas cum regia dignitate componi videtur. At eam præfationem neque Bellarminus scripsit, neque usque ad hanc diem cognoscere potuit, quis ejus præfationis sit auctor; aut quis tandem ille sit Typographus Politanus. Cardinalis enim librum suum, sine ulla præfatione, vel dedicatione Colonensibus excudendum dedit. Qua vero modestia soleat in scribendo uti, lectoribus judicium relinquit.

Arguit deinde pag. 17, rex fastum Cardinalis in scribendo, atque inde colligit, eum cum rege quasi de pari dignitate contendere, quod ejus brevitatem in scribendo imitari voluerit : « Quam ego, inquit, in scribendo brevitatem, eamdem ipse in respondendo sequi voluit, quo compendio in secundo Pontificis Brevi refutando usus eram, eodem in me voluit uti; meoque exemplo sese pene intra unius paginæ angustias coercere. Et quoniam Sacramenti fidelitatis summam in articulos quatuordecim distribui, peccare in suam amplitudinem credidisset, nisi et publicorum ordinum edictum, quo istud jura-

(*a*) *Tale concilium Rex Jacobus petit, quale nunquam a condita Ecclesia celebratum est.*

Quod addit rex, *Cardinales* presbyteros, et diaconos aliquando minores fuisse Episcopis non Cardinalibus, verum est, quoniam eo tempore non solum inferiores erant, quod attinet ad potestatem ordinis, ut etiam hoc tempore sunt; sed etiam quoad potestatem regendi Ecclesiam universalem, quia ipsi quoque ad concilia Romana vocabantur, et nobiliore loco sedebant, quam presbyteri, et diaconi Cardinales, olim etiam ad electionem summi Pontificis admittebantur. Sed posteaquam soli Cardinales electores esse, et in Consistorio cum Pontifice Maximo Ecclesiam universalem administrare cœperunt; mirum videri non debet, si cardinales Episcopis non cardinalibus anteposîti sint. Non tamen est verum, quod hoc loco rex scribit, (*a*) cardinales cum Pontifice fungi vice conciliorum generalium, et ideo usum generalium conciliorum penitus exolevisse. Nam ab eo tempore quo cœperunt Cardinales ea eminentia excellere, qua nunc excellunt, habita sunt multa concilia generalia, tria Lateranensia, duo Lugdunensia, unum Viennense, unum Constantiense, unum Florentinum, unum Tridentinum, et alia paulo minora. Concilia ergo Romana particularia exoleverunt, et in eorum locum consistoria Cardinalium successisse videntur, concilia generalia non exoleverunt.

Neque illud verum est, nisi ex collegio Cardinalium Pontificem eligi fas non esse. Scimus enim his postremis quingentis annis electos fuisse Pontifices Callixtum II, Eugenium III, Urbanum IV, Gregorium X, Cœlestinum V, Clementem V, Urbanum V, Urbanum VI, Felicem V, quamvis hic postremus legitimus non sit habitus, qui omnes extra Collegium erant. Quod autem rex addit, a Romanis Pontificibus supremam in reges sibi auctoritatem vindicare; si per vindicare, significare velit, usurpare, omnino negamus sin autem vindicare, sit quod suum est asserere : libenter admittimus : sic tamen, ut per auctoritatem, non despoticum imperium, sed paternam, sive pastoralem potestatem intelligamus, de qua re sæpe dictum est, et infra iterum recurret oratio.

Quod etiam rex ait, ad reges, ut Dei in terris Vicarios, pertinere curam videndi, quomodo tam insolens incrementum Cardinalitiæ dignitatis cœperit, nulla ratione admitti potest, sunt quidem (*b*) reges Ministri Dei in terris, ut eos vocat Sapiens in lib. Sap. c. VI. Et Apostolus ad Rom. XIII, sed ministri sunt in iis, quæ ad terrena, et temporalia spectant, nam quod attinet ad spiritualia, et cœlestia, atque uno verbo ad Ecclesiastica, Vicarii Dei Episcopi sunt, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, Act. XX. Et summus Vicarius ille est, cui Dominus dixit, *Sequere me*, et : *Pasce oves meas*. Jo. XXI, proinde videre, an, et quomodo, et quousque crescere debeat dignitas Cardinalitia, quæ est ecclesiastica et spiritualis, ad reges non pertinet.

Minus verum est, quod rex addit, istiusmodi nuper exortos principes suis suffragiis seipsos ad summum fastigium evexisse, regibusque se deinde componere. Nam neque nuper exorti sunt (nisi quingentorum annorum, aut etiam sexcentorum spatium) nuper, dici possit; neque suis ipsi suffragiis, sed auctoritate ejus, qui Dei locum tenet in terris, evecti sunt, neque se regibus ipsi componunt, non enim Cardinalis erat, qui scripsit, Cardinales æquiparari regibus, quod quomodo intelligendum sit paulo ante diximus.

Postremo hæc rex adjungit : « Sed hæc est præcipua, quam nobis inferunt, injuria, quod jus Christianis commune regibus in generalibus conciliis, nobis adimant, cum illorum habendi modum, penitus sustulerint; eorum vi, ac potestate ad se pertracta, et veluti monopolio in Pontificio Conclavi constituto. Et tamen si spes ulla, aut expectatio superesset, posse Christianos omnes ad aliquem in Religione consensum adduci, id esset a generali concilio expectandum, indicto in locum commodum, nec suspectum conventu, ubi Christiani omnes Principes, aut per se, aut per legatos possent adesse, et Ecclesiastici omnes, qui Christianam religionem profitentur, illisque veteribus veræ, antiquæ, Catholicæ, et Apostolicæ fidei fundamentis adhærescunt, totum accessum, ac commeatum haberent, incendiariis utrinque furiosis, ac novitiis, sive Jesuitis, sive Puritanis exclusis. »

Ad hanc ultimam partem pari brevitate respondeo, quod enim nulla auctoritate, aut ratione probatur, simplici negatione refelli solet. Primum igitur nego, (*c*) sublatum esse modum habendi concilia generalia : nego

(*a*) *Dignitas cardinalitia generalium conciliorum usum non sustulit.* — (*b*) *Reges ministri Dei sunt in temporali regimine.* — (*c*) *Vana querela de sublato modo habendi concilia generalia.*

vim et potestatem eorum ad Cardinales pertractam : nego in Pontificio conclavi esse quasi monopolium constitutum. Jam enim concilia generalia enumeravimus, quæ his postremis annis celebrata sunt. Quomodo enim vere dici potest, sublatum esse modum habendi generalia concilia, cum concilia celeberrima, et plurima paulo ante hoc sæculum, et hac ipsa ætate nostra sint habita ?

Quod autem rex queritur, factam sibi, atque aliis regibus injuriam, quod commune jus regibus Christianis in conciliis generalibus sit ademptum : qua veritate nitatur non video, cum in concilio generali apud Tridentum habito, interfuerint legati Cæsaris, Regum pene omnium, et principum plurimorum. Quod addit, indicendum fuisse concilium in locum non suspectum, et commodum : id quoque præstitum est, cum Tridentum in finibus Germaniæ, atque Italiæ constitutum, locus aptissimus, et minime suspectus a Summo Pontifice, et Cæsare, aliisque regibus et principibus judicatus sit.

Quod vero dicit, omnes Ecclesiasticos, qui Christianam Religionem profitentur, totum accessum, et commeatum habere ad (*a*) concilium debere : hoc vero est, recedere a forma quatuor primorum conciliorum, vel potius omnium, quæ habita sunt unquam in Ecclesia conciliorum. Concilia enim Episcorum sunt, non omnium Ecclesiasticorum; alioqui nullus locus tale concilium caperet : neque de dogmatibus fidei judicare ad omnes pertinet, sed ad principes Ecclesiarum, qui Episcopi sunt : sic enim loquitur concilium Chalcedonense, unum ex primis quatuor, quæ a Jacobo rege admittuntur : « Mitte foras superfluos, concilium Episcoporum est. » Cui consentit imperator Theodosius in epist. ad concilium Ephesinum, tom I, cap. 32. sic dicens : « Illicitum est eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum ecclesiasticis immisceri tractatibus. » Ne tamen quererentur Protestantes, aut Calviniani, invitati sunt omnes, et salvus conductus publica fide præstitus, dilatæ quoque rerum gravissimarum determinationes in longa tempora, ut spatium comparandi se, atque ad concilium veniendi, non deesset. Omitto quæ dicuntur in Jesuitas, et Puritanos, quoniam ad convicia pertinent, non ad doctrinam.

CAPUT V.

Quod Card. Bellarminus nulla injuria regem affecit, cum Apostolicorum Brevium, et Epistolæ suæ defensionem suscepit.

Pergit postea rex in præfatione sua, et ut rationem reddat propositi juramenti, de pulveraria conjuratione satis copiose disserit. De qua re quod mihi dicendum videbatur, scripsi in alio libello, qui huic Apologiæ adjunctus est. Venit tandem ad Bellarminum, et primum pag. 15, ex conjecturis probare nititur, librum, quo Brevia Pontificia, et Epistola Bellarmini defenduntur, ejusdem Bellarmini esse, non Matthæi Torti, cujus nomen gerit.

Ad hoc facilis responsio est. Fatetur Cardinalis Bellarminus librum esse suum, sed ut supra admonui, non est visum illi suum nomen inscribere, quia neque adversarius nomen inscripserat suum. Quæritur deinde de modo scribendi, quod sit ab omni modestia alienus; idque probat pag. 16, ex præfatione Typographo Politano adscripta, ubi Cardinalitia dignitas cum regia dignitate componi videtur. At eam præfationem neque Bellarminus scripsit, neque usque ad hanc diem cognoscere potuit, quis ejus præfationis sit auctor; aut quis tandem ille sit Typographus Politanus. Cardinalis enim librum suum, sine ulla præfatione, vel dedicatione Colonensibus excudendum dedit. Qua vero modestia soleat in scribendo uti, lectoribus judicium relinquit.

Arguit deinde pag. 17, rex fastum Cardinalis in scribendo, atque inde colligit, eum cum rege quasi de pari dignitate contendere, quod ejus brevitatem in scribendo imitari voluerit : « Quam ego, inquit, in scribendo brevitatem, eamdem ipse in respondendo sequi voluit, quo compendio in secundo Pontificis Brevi refutando usus eram, eodem in me voluit uti; meoque exemplo sese pene intra unius paginæ angustias coercere. Et quoniam Sacramenti fidelitatis summam in articulos quatuordecim distribui, peccare in suam amplitudinem credidisset, nisi et publicorum ordinum edictum, quo istud jura-

(*a*) *Tale concilium Rex Jacobus petit, quale nunquam a condita Ecclesia celebratum est.*

mentum continetur, in totidem particulas divisisset. »

Deus bone, quam misera conditio est sub eo rege vivere, qui injuriam sibi fieri judicat, si quis ab ejus exemplo scribere discat. Alii certe principes gratissimum habent, quod ille scripsit : Totus componitur orbis regis ad exemplum. Adde quod Bellarminus non sciebat, se adversus regem scribere, cujus nomen in fronte libri non viderat, et fidem habuerat iis, qui nunciaverunt librum Anglico idiomate esse nescio cujus decani sacelli regii, versionem autem in latinam linguam esse Chronographi cujusdam regii, quas ille personas, neque de nomine, neque de facie noverat. Itaque non potuit regium in scribendo modum de industria æmulari, qui regium librum esse nesciebat : brevitas autem in scribendo, et distinctio, quam sit illi familiaris, et amica, norunt omnes, qui libros ejus legerunt, ut opus ei non fuerit ab aliis hæc discere.

Descendit paulo post pag. 18, ad accusationem multo graviorem, atque ait : « Quod si inani hac superbia, et amplitudinis suæ ostentatione ita animum explevisset, ut a gravione in me injuria temperaret, videri sane tolerabilior potuisset. Nunc vero quid esse causæ dicat, cur pene continuis in me, meamque Apologiam conviciis suam responsionem referserit ? Nam cum ego nusquam Bellarminum verbo atrociore læserim, et præcipue id caverim, ne hominem mendacii insimularem ; ille haclege humanitatis spreta, novies disertis verbis, me mentiri pronuntiat, et septies falsi arguit. Quod perinde est, ac si mendacium mihi exprobraret, cæteris vero contumeliis, nescio an ulla pars libri vacet, cujusmodi sunt, nugæ, convicia, temeritas, vanitas, impudentia, blasphemiæ, sermonis barbaries, cum eadem felicitate scribendi, cavillationes, applicatio inepta, fingere historias, audacia quæ in hominem sanæ mentis cadere non potest, vel sensu communi caret, imperitia, et levitas, omnem omnino pudorem et conscientiam exuisse, mala fide nobiscum agit, ut lectoribus per fas et nefas imponat. Iis et ejusmodi conviciis nescio ullam ne paginam immunem reliquerit. »

Ad hæc ita respondeo : primum, breviter, et distincte scribere, non potest superbiæ, vel arrogantiæ imputari, nisi ab eo, quem nimia perturbatio transversum agat. Deinde, quod auctor Apologiæ, quam rex suam esse nunc dicit(*a*), nullo atrociore verbo Bellarminum læserit, neque mendacii insimularit, falsum esse, ipsa Apologiæ verba testantur : hæc enim sunt ejus verba pag. 37.

« Magnus ille, et præclarus Controversiarum scriptor Cardinalis nuper exjesuatus Bellarminus, suo quoque talento cœptum hoc opus bonum locupletat, et amplificat, dum quasi flabello admoto, et calcaribus infixis seditionem acuit, accenditque, missis huc ad archipresbyterum litteris, iisque ita scriptis, ut miram sit quomodo partim animi passio, partim ambitiosum fulciendæ Pontificis monarchiæ studium, cum ita abripere, et lumen judicii tam docti viri perstringere, et fascinare potuerint, » pag. 47 : « Cunctos, inquit, mecum hic admirari non possum, quin exoptem, tam crassum errorem tam docti viri, » pag. 69 : « Hoc nobis, inquit, notum est, quod nisi quidam e Cardinalibus, in illo negotio, majori prudentia, et maturitate usi fuissent quam Pontifex : fasti ipsi Pontificii, in quos relati sunt divi, nobis tacentibus, Bellarminum aperte mendacii convicissent, » pag. 83 : « Recte omnino quadrat in Bellarminum tam inepta similitudine utentem Poetæ veteris illius sententia : Perdere, quos vult Jupiter hos dementat.

Hæc, et similia a se scripta oblitus erat rex, quando dixit, nullo atrociore verbo a se læsum fuisse Bellarminum; nisi forte non sint habenda verba atrocia, exjesuatus Cardinalis, flabellum seditionis, ambitione abreptus, crasso errore detentus, aperte mendacii convincendus, a Jove dementatus, etc., quæ tunc libens præterii, quoniam ad argumenta, non ad convicia respondere decreveram.

Postremo quod ego disertis verbis novies regem mentiri pronunciaverim, et septies arguerim falsi, ut rex ipse conqueritur, omnino inficior. Jam enim supra dixi, Apologiam illam numquam me pro regia scriptura habuisse ; nam, neque auctor Apologiæ regem se aliquando nominavit, quin potius semper se pro regio administro, et defensore gessit. At neque ministrum regis mendacii, vel falsi, vel barbari sermonis accusare deberes. Ita est, si vera scriberet; si

(*a*) *An sit verum, quod rex Cardinalem nullo atrociore verbo læserit.*

non sciens, et prudens mentiretur ; si latine loqui didicisset (*a*); quæ enim mendacia sunt, non scio latine appellare, nisi mendacia; quemadmodum etiam nugas, convicia, blasphemias, confictas historias, sermonis barbariem, et alio id genus, quæ in Apologia reperi, suis nominibus appellavi. Judicium lectorum erit, an talia sint, qualia esse dixi. Quamquam si regium librum esse scire potuissem, sententias notassem, a verbis acerbioribus honoris gratia temperassem, quo honore dignum non existimavi decanum, vel chronographum illum, a quo non me solum, sed etiam Summum Pontificem, Vicariam Christi, et Christum Domini tam irverecunde t actari videbam.

Ultimo loco, pag. 19. commemorat ea, quæ proprio ad injuriam suam pertinere arbitratur. « Sed hæc, inquit, forte in ignotum Apologiæ auctorem solummodo probra mittebat; immo vero, nec mihi ipsi nec nomini meo pepercit. Modo affirmat Clementem Pontificem sensisse, me non abhorrere a fide Catholica. Me in Scotia Puritanum, et Protestantium inimicum extitisse. Alibi concludit, quia Jacobus non est Catholicus, hoc ipso hæreticus est. Iterum ex Christiano Calvinistam fecerunt. Alio loco : Neque omnino verum est, Jacobum non deseruisse Religionem, quam primo susceperat. Et postea quam Juliano apostatæ me contuliset, hoc argumento rem concludit : Cum Catholicus non sit, neque Christianus est. Sit hæc honesta necne ratio cum rege agendi, vestro sano judicio relinquo, quos non potest tanta contumelia uni vestri ordinis illata, non graviter commovere. »

Hic vero libenter audirem, honestumne, an turpe rex existimet abhorrere a fide Catholica. Si enim turpe sit a fide Catholica abhorrere, ut re vera turpe est, non fecit regi Bellarminus injuriam, cum scripsit Clementem VIII. Pontificem sensisse regem Jacobum a fide Catholica non abhorrere : sin autem honestum sit a fide Catholica abhorrere, non fecit eidem regi injuriam, cum affirmavit regem Jacobum non esse Catholicum, et quia Catholicus non est, hæreticorum esse, cum hæc duo contraria sint.

Sed ad singula breviter respondeamus. Dico, nullam factam esse regi injuriam, ex eo quod sanctæ memoriæ Clemens Pontifex una nobiscum spem habuerit bonam de regis conversione, et existimare cœperit ex eo potissimum quod Catholicos in Scotia quietam, ac tranquillam vitam ducere patiebatur, eum a fide Catholica non abhorrere. Sperabat enim, et sentiebat de illo, quod bonum illi esse credebat; quod si verum non est, regem a fide Catholica numquam non abhorruisse; nos decepti sumus, Pontifex quoque spe sua frustratus est, sed non ideo injuria regi facta est, quia speravimus, et sensimus de illo, nostro judicio, meliora.

Quod autem scripsit Bellarminus regem in Scotia Puritanum, et Protestantium inimicum fuisse, ad historiam, non ad injuriam pertinet. Id autem ita esse non absolute pronuntiavit, sed addidit, si vera sunt, quæ narrantur ab iis, qui eum intime noverunt. Itaque de rebus sibi ignotis aliis credidit, qui fide digni visi sunt. Si falsa narrarunt, ipsi viderint. Quamquam non desunt conjecturæ ex *Basilico doro*, unde confirmatur quod scripsit Bellarminus : nam lib. 1. pag. 6. sic legitur : « Et nisi mihi mea conscientia certe persuasisset, Religionem illam, quam in Scotia jam profitemur, ipsis expressis, etiam conceptis Scripturæ verbis fundatam esse etc. » lib. vero II. pag. 40 : « At vero, inquit, reformata religio in hanc nostram Scotiam divino plane miraculo introducta est, *etc.*, » dicit enim miraculo introductam; quoniam a furiosis, et cupidis Puritanis introducta fuit. Ex his locis colligitur, regem in Scotia Scoticam religionem professum esse, et displicuisse illi quidem mores Puritanorum, qui illam introduxerant, sed non Religionem, quam per illos miraculo introductam, id est, per malos homines bonam religionem invectam arbitrabatur.

Porro illa consecutio quia rex Jacobus non est Catholicus, hoc ipso hæreticus est; non potest vitio verti apud eum, qui Catholicum se non esse palam profitetur cum in tota illa Apologia nomen Catholicorum semper tribuat illis, qui Romano Pontifici adhærent; a quorum fide, et religione se abhorrere non negat. Quamvis autem in hac præfatione, Catholicum se probare nitatur, cum tamen a Romana religione, et a Romani Pontificis obedientia alienum se esse dicat; non ideo judicio orbis terræ Catholicus unquam haberi, vel dici poterit, quoniam (*b*)

(*a*) *Non est conviciari, convicia adversarii detegere : neque vitio vertì debet, vitia in libro adversarii notare.* — (*b*) *Nomen Catholici solis illis convenit, qui Romanæ Ecclesiæ filii sunt.*

nomen Catholici, Ecclesia Romana ita obtinuit, ut etiam hæretici interrogati, ubi ad Catholicam conveniatur, non suas domos, sed istam unam ostendant, in qua ab Apostolicis temporibus per successiones Episcoporum conservata est antiqua traditio, et unde hæretici omnes, tamquam rami fracti exciderunt. Itaque S. Ambrosius, in Oratione de obitu Satyri, cum dixisset : « Quæsivit, an cum Episcopis Catholicis consentiret, mox addidit explicationem, id est, inquit, an cum Romana Ecclesia consentiret » de quo nomine vide quæ diximus in extrema pagina prioris nostris libelli, qui huic Apologiæ adjunctus est.

Jam vero quod dixi (a), hæreticum non esse Christianum, non ideo dixi quod ignorarem, ampla quadam significatione Christianos dici posse, quotquot in Christo baptizati Christum se colere profitentur : sed quoniam proprie illi soli veri Christiani sunt, qui veram, atque integram Christi fidem in ejus Ecclesia tenent, nullique hæreticæ sectæ adhærent. Quæ communis est sententia veterum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, ut S. Cypriani lib. IV. epist. 2. ad Antonianum. Et lib. de Unitate Ecclesiæ, S. Athanasii orat. 2. adversus Arianos, S. Hieronymi in Dialogo adversus Luciferanos, S. Augustini lib. de gratia Christi cap. 20. et aliorum, quos gratia brevitatis omitto : quare si injuria est de non Catholico dicere eum hæreticum, ac per hoc non Christianum esse, non de me queri debet, qui injuriam sibi fieri credit; sed de Patribus veteris Ecclesiæ, qui me ita loqui docuerunt.

Ex quo intelligimus, non esse falsum, neque injuriosum dicere, eum, qui ex parentibus Catholicis natus est, et baptismum Catholico ritu suscepit, ac postea ab educatoribus depravatus in hæresim incidit; ex Christiano hæreticum factum, religionem, quam cum baptismo susceperat, dimisisse. Non facit, inquam, illi injuriam, qui hoc dicit, sed vere injuriam gravissimam illi fecit, qui eum abstraxit a matre Catholica, et instituendum Calvinianis tradidit. Neque enim dubium esse potest, quin hoc tempore Jacobus rex, non solum unus esset ex ordine regum, sed etiam unus e numero Catholicorum regum, si a parente Catholica institui potuisset.

Porro principes Orthodoxi merito commoveri deberent, si aliquis de ipsorum ordine, et numero nota hæreseos injuste inureretur : sed quod princeps, qui ab ipsorum religione abhorret; qui, ut Antichristum execratur, quem illi ut Christi vicarium colunt; qui intercessionem Sanctorum palam irridet; qui venerationem reliquiarum intolerabilem idololatriam vocat; qui denique purgatorium, missam, et cætera fidei Catholicæ dogmata conspuit; hæreticus et non Christianus dicatur, moleste ferre non possunt, neque commoveri, nisi commotione fraterni doloris, quod tantum regem, quem ipsorum ordini sceptrum, et corona conjunxerat, ab ipsorum communione hæresis et schisma disjunxerit.

Ac ut rex intelligat, non esse novum in Ecclesia, ut sacerdotes Domini libera voce arguant reges hæreticos : adscribam hoc loco verba S. Hilarii Episcopi ad Constantium imperatorem Arianum, ex libro qui incipit : Tempus ex loquendi, quia jam præteriit tempus tacendi : « (b) Nunc, inquit, pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum. » Et infra : « Sed temerarium me forte quisquam putabit, quia dicam Constantium Antichristum esse : quisquis petulantiam istud magis, quam constantiam judicabit, relegat primum Joannem dixisse ad Herodem, non tibi licere facere istud. » Et infra : « Proclamo tibi Constanti, quod Neroni loquuturus fuissem, quod ex me Decius et Maximianus audirent : contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannos non jam humanorum, sed divinorum. Hæc tibi a me, atque illis socia, atque communia sunt : at vero nunc propria tua accipe. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es, Antichristum præcurris, et arcanorum mysteria ejus operaris. Condis fidem, contra fidem vivens, Doctor prophanorum es, indoctus piorum, Episcopatus tuis donas, Sacerdotes custodhe mandas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ disponis. » Et infra : « Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et in peccato veniam et in confessione martyrium. » Et infra : « O tu sceleste quod ludibrium de

(a) *Hæretici non sunt vere, et proprie Christiani.* — (b) *Libertas sancti Hilarii in rege hæretico arguendo.*

Ecclesia facis ? soli canes ad vomitum suum redeunt : tu sacerdotes Christi resorbere ea quæ expuerunt coegisti. Christianum te loqueris, sed quam non sis, ipse testaris. » Hæc ille, qui ex veteribus, et sanctissimis, et laudatissimis Patribus unus est. Possent addi non dissimilia ex Lucifero Caralitano, ex Gregorio Nazianzeno, et ex aliis. Sed ista pauca hoc loco sufficiant. Neque verum est, quod quidam suspicati sunt, librum illum sancti Hilarii Constantio defuncto, editum fuisse : nam vivente editum, et viventi oblatum convincit Cardin. Baronius tom. III. Annal. pag. 715.

CAPUT VI.

Quod Card. Bellarminus directe responderit ad Apologiam pro juramento fidelitatis adversarius vero statum causæ mutet, et ad alia extra rem digrediatur.

Posteaquam rex modum scribendi Cardinalis Bellarmini frustra reprehendit, aggreditur scriptionem ipsam, sive materiam libri, ut ipse loquitur, reprehendere. Sic enim scribit pag. 19. « Jam vero argumentum, et subjecta materia libri modo tractandi probe convenit, nusquam enim ad id, in quo causæ cardo vertitur, directe respondet : quippe duo tantem sunt capita, de quibus in Apologia disserui, ut supra monui, prius ut probarem in fidelitatis Sacramento nihil aliud, quam obedientiam mere civilem, et sæcularem Summis Principibus a subditis debitam contineri, alterum ut ostenderem, hanc in reges potestatem a Pontificibus inique usurpatam, cum Scripturis, conciliis, et Patribus pugnare. Prius non aliter quam hac vitiosa consecutione refutat : cum hoc jurejurando jus abdicandorum regum Pontifici negetur, ne quidem excommunicandorum potestatem illi relinqui. Nec posterius disputationis meæ caput aliis machinis adoritur, quam illis Christi verbis : *Pasce oves meas*, etc : *Tibi dabo claves regni Cœlorum*. Et nemini unquam Catholico id dubium fuisse. »

At Bellarminus Deo gratias agit, quod liber ipsius adhuc superest, atque bis recusus a multis videri, et legi potuit; et nunc iterum cum hac nova Apologia recuditur. Siquidem (a) eo libro inspecto, qui nec obscurus, nec prolixus est, omnes intelligent, a qua parte stet veritas, et quis imponere lectoribus satagat. Siquidem Bellarminus ad prius illud caput directe respondit, in illo juramento fidelitatis non contineri solam civilem obedientiam; sed adjurationem Pontificiæ potestatis, idque ostendit tribus argumentis : ex titulo edicti, qui est, ad detegendos, et reprimendos Papistas, ex verbis juramenti, ubi negatur Pontifici potestas ligandi, et solvendi; ex alio juramento clariore, quod est de Primatu regis in spiritualibus.

Illa vero consecutio, quam vitiosam esse, et solam in ejus libro positam rex dicit (b), nusquam in libro Bellarmini invenietur. Ipse enim non disputavit universe, posset ne Summus Pontifex reges deponere : quod ad rem ipsius non faciebat; sed assumpsit solum, posse a Summo Pontifice reges hæreticos excommunicari, atque deponi, quod apud Catholicos in dubium revocari non solet. Posterius caput ad fallendos lectores, ambigue hoc loco proponitur, cum dicitur : « Alterum, ut ostenderem, hanc in reges potestatem, a Pontificibus inique usurpatam, cum Scripturis, Conciliis, et Patribus pugnare. » Quæro enim, quid sibi vult illud, hanc potestatem ? neque enim de potestate Pontificis in reges; sed de obedientia subditorum ad reges paulo ante rex loquutus erat. Cæterum ex Apologiæ libro, quem Bellarminus refutandum susceperat, satis apparet, hunc locum esse intelligendum de potestate prohibendi juramenta civilis obedientiæ : hanc enim civilem obedientiam regibus deberi, et juramento quoque confirmari posse probat eo loco rex testimoniis Scripturæ, conciliorum, et patrum, et paulo ante conquestus erat, quod hanc obedientiam injuste summus Pontifex in suo Brevi prohibuisset : vide librum illum pag. 22. 23. 24. 25. 26. et 27.

Ad hoc autem posterius caput (c) Bellarminus directe respondit, falsum esse, quod Summus Pontifex in suo illo brevi obedientiam civilem prohibuisset : ac propterea testimonia illa Scripturarum, conciliorum, et Patrum (d) perperam adduci ad probandum,

(a) *Ex inspectione libri Bellarmini anno superiore editi refelluntur omnes calumniæ.* — (b) *Non fideliter referuntur scripta Bellarmini.* — (c) *Bellarminus directe respondit.* — (d) *Perperam applicantur ab adversario argumenta Bellarmini.*

quod nemo negat. Illa vero Evangelica loca : *Pasce oves meas*, et : *Tibi dabo claves*, non adduxit, ut rex dicit, ad oppugnandum caput illud posterius, sed ad probandum esse in Summo Pontifice potestatem excommunicandi, absolvendi, dispensandi, et similia faciendi, quæ ad prius caput, non ad posterius pertinent. Ex his quæ dicta sunt facile cognosci poterit, reliqua omnia a pag. 2 usque ad pag. 35, nihil esse aliud, nisi digressiones ad invidiam, atque odium Summis Pontificibus, et Ecclesiasticis omnibus conciliandum. Certi vero sumus, Catholicos, piosque reges, ac principes prudenter cogitaturos a rege hæretico, quique se hostem manifestum Ecclesiæ Catholicæ, totiusque Orthodoxæ religionis profitetur, nihil aliud expectari posse, nisi fidei religionisque contemptum.

Igitur, ut hæc breviter percurramus, pag. 21. (*a*) « Hoc, inquit, verborum fundamento, *Pasce oves meas*, immane quam amplum, solutumque imperium Pontifici extruit, quo ad libidinem condonare, atque adimere regna possit ; huic tamen servituti non alios quam Christianos reges addicens. » Et paulo post : « Nam cum me hæreticis annumeret, cum Juliano Apostata æquet, extra caulam etiam, gregemque Pontificium esse putet, necesse est. At vos, de Pontificio grege estis, vos magnus ille Pastor, instar ovium ad occisionem ducere pro libidine sua potest. »

Hæc omnia cum bona regis venia, qui nos ita loqui cogit, meræ calumniæ sunt, non solum enim nihil horum in Bellarmini libro reperietur, sed contra potius de solis hæreticis, qui ex ovibus lupi rapaces evadunt, locutus est ; qui quamvis a grege Christiano, vel recesserint per hæresim manifestam, vel ejecti fuerint per Ecclesiasticam censuram ; sub sunt tamen Pastori, ut vel ipsi ad caulam emendati redire cogantur ; vel oves cæteræ, ne ab eis discerpantur, et devorentur, ab ipsorum consortio, et obedientia quam longissime arceantur.

Pergit pag. 22. calumniari, cum ait : (*b*) « Sic novum, et egregium sensum his Christi verbis affinxit, Pasce oves meas, tanquam hoc significarent, tolle, proscribe, abdica Christianos principes, atque reges. » Et paulo post. « Hæc verba, quæ Petro in extasim rapto dicta sunt, Surge Petre, occide et manduca : ita Baronius exponit, Age Papa, confige Venetos, penitusque disperde. »

At ubi quæso expositionem illam tam incivilem, et inverecundam in libro Bellarmini vidisti ? non igitur ipse affinxit sensum illum Christi verbis, qui nusquam in libris ejus extat : sed interpres tuus, o rex, Bellarmino eum sensum sine ulla specie verisimilitudinis affinxit : neque enim Bellarminus unquam Patrem Christianæ plebis (sic enim sanctus Augustinus Romanum Pontificem vocat) in Caligulam, aut Neronem, aut Dionysium Syracusanum, commutavit. Pari calumnia Cardinalem Baronium, virum æque pium ac doctum, ac de historiis Ecclesiasticis optime meritum, aspergendum esse rex duxit, majorem fidem habens famoso libello, quam viris gravibus, qui sensum verum, et pium ejus loci a Card. Baronio explicatum, scriptis libris testari sunt.

Digreditur deinde rex sine ulla causa pag. 23. (*c*) ad exemptionem Clericorum, ex qua Bellarmini animum alienum a regibus detexisse se dicit. Quasi vero novum aliquid ipse scripserit de Clericorum exemptione, et non potius id quod Doctores omnes juris divini, atque humani docent ; ipsa etiam concilio sacrique canones jubent. Sed qualem animum erga reges, et principes Bellarminus gerat, illi omnes sciunt, qui librum ejus « De laicis » forte legerunt. Ibi enim adversus Anabaptistas, aliosque hæreticos principatum politicum defendit, atque ornavit ex divinis litteris, ex testimoniis Patrum, ex fontibus philosophiæ ductis multis, et variis rationibus.

Transit deinde rex pag. 24. nihil laborans si libri sui partes inter se apte cohæreant, an non ; ad bona temporalia Ecclesiarum, et Clericorum, a quibus occupari dicit tertiam partem soli, et fundorum, hoc videlicet illum male habet, quod non omnes Principes exemplum (*d*) Henrici VIII. sequi velint, qui cum primum a Romano Pontifice defecit, seque caput Ecclesiæ declaravit ; continuo Ecclesias, et Monasteria omnia diripuit, et redditus Ecclesiasticos Baronibus suis attribuit ; egregie imitatus Antiochum et Nabuchodonosor reges, qui templo Domini spoliato, ex vasis aureis et argenteis Deo dicatis gazam suam ditavarunt. Sed qui Reges impios imitati sunt in scelere, eorum justo Dei judicio socii facti sunt in pœnis, non temporalibus, sed æternis.

(*a*) *Amplificatio ad conflandam invidiam.* — (*b*) *Conficta interpretatio.* — (*c*) *De exemptione Clericorum nihil novi Card. Bellarminis scripsit.* — (*d*) *Henric. VIII. initio sui primatus Ecclesias, et Monasteria argumentatio.*

Pag. 25, videtur redire voluisse ad id unde digressus fuerat, ad juramentum videlicet fidelitatis ; sed revera tamen longius expatiando, atque evagando ad alia magis adhuc remota digreditur, ait enim : « Ac ut vobis in perspicuo magis sit, non alium mihi scopum in hoc negotio extitisse, quam ut de civili, et temporali obedientia, quæ mihi a subditis debetur, agerem, nec illorum conscientiis insidias a me esse comparatas quod hic mihi convitiator falsissime objecit primum illud videamus, quam longe imperatores, atque reges, qui superioribus sæculis religiose, Christianeque vixerunt, ab eo abfuerint, ut jus in se aliquod Pontifici esse crederent : cum contra Papas ipsi creaverint, in ordinem redegerint, adeoque de sede dejecerint. »

Hæc ille, qui multas paginas consumit in describendis historiis imperatorum, et regum, qui cum Pontificibus Romanis inimicitias gesserunt. Sed quorsum, quæso, ista narrantur, si nihil aliud rex demonstrare intendit, nisi in juramento fidelitatis solam civilem, et temporalem obedientiam contineri ? Qualis obsecro hæc argumentatio esset : (*a*) Multi reges nullum jus in se habere Pontificem Romanum crediderunt ; sed contra potius eum quando libuit deposcerunt : Ergo rex Anglorum in juramento suo fidelitatis, nihil aliud, nisi civilem, et temporalem obedientiam requirit ? Nam ne ipse quidem Aristoteles medium terminum in hac argumentatione reperiret : sive enim Pontifex in reges jus habeat, sive non habeat, debetur regibus obedientia civilis a subditis. Itaque longa digressione opus non erat, ut probaret quod nemo negat. Sed quemadmodum rex Angliæ sub specie civilis obedientiæ adigere voluit subditos suos Catholicos ad abjurandam Pontificiam potestatem : sic in hoc suo libro sub specie Apologiæ pro juramento fidelitatis, persuadere cœpit regibus, et principibus Catholicis ; ut exemplo suo ab Apostolica Sede, et Orthodoxa religione discedant.

Videamus tamen quid tandem afferat, et cum illo, quando ita placet, et nos digrediamur, Evangelicum illud implentes : Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo Matth. v. Primum igitur pag. 26. probat certum jus, ac inviolatum apud imperatores mansisse Romanos Pontifices creandi, ex eo quod (*b*) « Adrianus Papa in concilio 153. Episcoporum Abbatumque decrevit, ut Carolo Magno imperatori jus, ac potestas esset eligendi Papam et ordinandi Sedem Apostolicam : dignitatemque Patriciatus ei concessit : Insuper Archiepiscopos, et Episcopos per singulas Provincias, ab eo investituram accipere definivit. Et quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, et nisi resipisceret, bona ejus publicari præcepit. » Hæc ille, et allegat Sigebertum, Valtramum, et alios posteriores.

Ad hæc respondemus ; si hæc omnia vera sint, sequi multa contraria iis, quæ rex probar conatur. Nam si Pontifex concedit imperatori jus eligendi, et investiendi Episcopos : non igitur imperator ex se caput est Ecclesiæ in ditione sua, ac per hoc neque rex est caput, vel supremus gubernator Ecclesiæ in regno suo ; cum Episcopos eligere, vel investire non possit, sine privilegio Romani Pontificis. Deinde si Pontifex dona Carolum regem dignitate Patriciatus Romani, quæ erat dignitas temporalis, et imperatoriæ proxima : ergo Pontifex jus magnum in imperio temporali habebat, quippe qui ipsos etiam reges ornare, et augere poterat dignitatibus ad imperium pertinentibus. Præterea si Pontifex jubet eos, qui contra decretum ipsius agerent, non solum anathematis vinculo alligari ; sed etiam bona ipsorum temporalia publicari ; jus igitur Pontifex habet non spirituale solum, sed etiam temporale, in eos qui decretis ipsius obtemperare nolunt.

Addo secundo (*c*) historiam illam conflictam videri, non veram. Nam Sigebertus, qui primus illam mandavit litteris, trecentis circiter annis posterior fuit Carolo, atque Adriano ; ii vero qui cum Carolo vixerunt, et res ejus gestas accuratissime conscripserunt, ut Eginarthus, et annalium Francorum auctor, nullam hujus privilegii mentionem fecerunt. Deinde quo pacto verum esse potest, dedisse Adrianum privilegium aliquod Ca-

(*a*) *Mira argumentio.* — (*b*) *An Adrianus Papa concesserat Carolo Magno potestatem creandi Romanum Pontificem.* — (*c*) *Historia Sigeberti de privilegiis Carolo ab Adriano Papa concessis, videtur conficta.*

rolo Magno imperatori, cum tempore Adriani Carolus imperator non esset? Adrianus enim obiit anno salutis 795. Carolus autem imperare cœpit anno Domini 800. ut Eginarthus et alii tradunt. Præterea si Carolus Magnus Pontifices Romanos creandi jus habebat, cur nullum omnino creavit, neque ipse, neque multi ex successoribus ejus? nam Anastasius Bibliothecarius scripsit accurate vitam, et creationes duodecim Pontificum, qui sibi invicem post Adriani primi Pontificatum successerunt; et nusquam Caroli, vel successorum ejus meminit; sed a solo Clero, et populo electos, et creatos fuisse tradit. Porro Gulielmus item Bibliothecarius, qui Anastasio successit, scripsit vitam Adriani II. a Clero pariter, et populo solum electi. Et cum forte Legati imperatoris tum Romæ adessent, et quærerentur so ad electionem Pontificis invitatos non fuisse: reponsum eis fuisse scribit Gulielmus, id ea ratione factum esse, ne legatos principum in electione romanorum Pontificum expectandi mos inolesceret: qua ratione accepta, inquit Gulielmus, « Legati omnem suæ mentis indignationem medullitus sedavere, et ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.»

Hæc certe apertissima demonstratio, vel nullum ejusmodi privilegium datum fuisse Carolo, vel certe ab illo admissum non fuisse, manifestissimum reddit. Quod etiam inde confirmatur, quod et Carolus in Capitulari suo lib. 1 cap. 84. Et habetur etiam apud Gratianum dist. 64. can. sacrorum; decernit, liberas esse debere electiones Cleri, et populi: et Hadrianus II. in concilio generali octavo can 22. prohibet omnino Principes, ne se electionibus Episcoporum admisceant; et habetur hoc decretum etiam apud Gratianum dist. 63. can. 2. Et tamen neque Carolus neque Adrianus II. mentionem ullam faciunt privilegii concessi ab Adriano I. quam mentionem omnino facere debuissent, vel ut ei privilegio Carolus renunciare se diceret, vel ut illud abrogari novo decreto Adrianus in generali synodo declararet.

Addo postremo nihil præjudicari summæ Summi Pontificis auctoritati, etiam si verum esset (a) Pontifices aliquando ab imperatoribus fuisse creatos; tum quia id imperatores non ex proprio jure, sed ex privilegio Pontificis Maximi fecissent: tum quia Electores auctoritatem aliquam exercent in personam designandam, cui Pontificatus dignitas conferenda est nullam exercere possunt in Pontificem electum; alioqui etiam Electores imperatoris jus haberent in imperatorem electum, cum revera nullum ipsi habeant in imperatorem, et magnum in eos habeat imperator: quemadmodum et S. R. E. Cardinales, quamvis Electores Pontificis sint: tamen ubi electus est, non subjicitur ille Cardinalibus, sed Cardinales illi, ut Pastori, et principi subjiciuntur.

Pergit deinde rex pag. 27. et addit: « Quod imperatoris assensus, longo annorum decursu, eligendis Pontificibus intervenerit, Platina multique alii ex Pontificiis scriptoribus testes sunt, atque ipse Bellarminus in suo controversiarum opere hoc commode eludere non potest, quin et certam pecuniam, ut confirmationem obtinerent, Pontifices in Imperatorium fiscum dependere cogebantur, quem morem pene ad septingentesimum Christi annum durasse, Sigebertus, et Luitprandus, aliique Pontificiæ sectæ historici testes sunt. » Hæc ille.

Negare non possumus quin principes Ariani (b) Gothi videlicet, cum multis aliis rebus Ecclesiam Catholicam afflixerint, tum hoc ipso, quod absque consensu suo, aliquando etiam absque numerata pecunia Pontificem creari non permittebant, quem morem sequuti sunt aliquandiu Græci imperatores, qui Gothis expulsis Italiam recuperaverunt. Sed hæc tyrannis ab initio anni quingentesimi initium accepisse, et anno Domini 684. Desiisse videtur, hoc enim anno scribit Anastasius, Constantinum imperatorem concessisse Benedicto II. Summo Pontifici, ut deinceps consensus principis non expectaretur. Fuisse autem tyrannicam legem illam sive Gothorum, sive Græcorum, sanctus Gregorius Papa disertis verbis testatur in explicatione Psalmi quarti pœnitentialis. Quid autem mirum est, si principes illi electioni Summorum Pontificum se admiscuerint, qui personas ipsas Pontificum vel exilio, vel carceribus, vel morte mulctabant? non enim judicandum est de potestate Principum in Summos Pontifices ex eo, quod aliquando fecerunt, sed ex eo, quod juste facere potuerunt. Sed si per annos circiter

(a) *Electio Pontificis si per imperatorem facta fuisset, summæ potestati Pontificis minime præjudicasset.* — (b) *Gothi reges, et Græci imperatores Romanam Ecclesiam diu vexarunt.*

ducentos, ac fortasse minori tempore substinuit Ecclesia tyrannidem illam partim a Gothis, partim a Græcis; per annos mille quadringentos libertatem suam obtinuit.

Pergit rex pag. eadem, et ait: « Sed passim occurrunt imperatorum exempla, qui Romanis Pontificibus suam potestatem abrogarunt. Otho imperator Joannem XII. Pontificatu abdicavit, quod esset variis criminibus, ac præcipue libidine infamis. Henricus III. imperator exiguo temporis spatio Benedictum IX., Sylvestrum III. et Gregorium VI. synodaliter deposuit, cum insimulatos avaritiæ, tum quod hanc in principes extraordinariam potestatem proterve, et procaciter usurpassent. » Hæc ille.

Sed facilis est responsio; nam (a) neque Otho Joannem XII. neque Henricus Benedictum, Sylvestrum, et Gregorium propria, vel imperiali potestate deposuerunt: sed per Synodum Episcoporum Ecclesiastica auctoritate deponi curarunt. Id Rhegino, et alii citati testantur. Neque facile concedimus, justam fuisse depositionem eorum Pontificum; sed hoc ad rem præsentem non pertinet. Illud autem quod rex adjungit, depositos fuisse Benedictum, Sylvestrum, et Gregorium, quod hanc in principes extraordinariam potestatem proterve, et procaciter usurpassent: aliquo testimonio probari oportuisset. Siquidem hic solum allegari video Marianum Scotum, Sigebertum, Abbatem Urspergensem, et Platinam: poterat etiam addere Othonem Frisengensem, et Hermannum Contractum. Marianus ad annum 1043. sic loquitur: « Henricus rex Italiam ingressus pacifice a Romanis suscipitur, Papas tres non digne constitutos synodaliter deposuit »: neque causam particularem explicat. Abbas Urspergensis eadem verba repetit, quæ videlicet a Mariano Scoto accepit. Sigebertus sic ait: « Romæ uno contra duos, et duobus contra unum de Papatu contendentibus, rex Henricus contra eos Romam vadit, et eis canonica, et imperiali censura depositis, Suidegerus Bambergensis Episcopus, eligitur, qui et Clemens Romanæ Ecclesiæ CLIII. præsidet. » Hermannus Contractus sic loquitur: « Juxta Natalem Domini non longe ab urbe Roma apud Sutrium synodo item acta, causaque erroneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam convictum baculo pastorali privavit. Dein omnium tam Romanorum, quam aliorum consensu Suidegerum Episcopum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem. » Otho Frisengensis, auctor gravissimus lib. VI Chronici cap. 36. sic ait: « Porro Gratianus regi apud Sutrium occurrens ad leniendum ipsius animum diadema pretiosum obtulisse dicitur: quem rex primo, ut decuit, honorifice suscepit: postmodum autem collecto Episcoporum conventu a Pontificatu pro nota simoniæ cedere persuasit ». Hæc Otho, qui verissime scribit (b) Gregorium VI. qui ante Pontificatum Gratianus dicebatur, persuasum fuisse ab imperatore, ut se ob notam simoniæ abdicaret Pontificatu, proinde non proprie Gregorius depositus fuit, vel ab imperatore, vel a synodo; sed sponte cessit, eo quod de crimine simoniæ convictum sese cerneret.

Non desunt tamen viri gravissimi, qui Gregorium VI. nullius criminis convictum fuisse defendant: sed ad rem nostram non facit, qui hoc loco solum demonstrare volumus, a nullo auctore scribi, quod rex hoc loco dicit, depositos fuisse Pontifices tres, eo quod extraordinariam potestatem in principes proterve, ac procaciter usurpassent. Id enim nullus omnino scribit. Porro Platina, qui ultimo loco adducitur, nullam causam reddit, cur hi Pontifices in Concilio depositi fuerint, nisi quod essent mali.

Jam vero si ex his duobus exemplis Othonis, et Henrici imperatorum aliquid efficeretur ad probandum, habere jus aliquod imperatores ad Pontifices deponendos: multo facilius probaretur ex plurimis exemplis, habere Pontifices jus ad deponendos imperatores. Isti enim duo Otho, et Henricus Pontifices deposuerunt, non auctoritate sua, sed synodi, id est, Ecclesiastica potestate; (c) Pontifices vero imperatores deposuerunt, non laica Principum potestate, sed sua, ac propria. Exempla sunt ad manus. Gregorius junior imperatorem Leonem Isauricum, hæreticorum Iconoclastarum principem excommunicatum privavit vectigalibus Italiæ, ac per hoc imperii parte mulctavit. Testantur hoc, et fatentur Græci scriptores Cedrenus, et Zonaras in vita Leonis Isaurici. Leo III. transtulit imperium totum occidentale a Græcis ad Francos, ac per hoc privavit di-

(a) *An ab imperatoribus ulli Romani depositi.* — (b) *Gregorius VI. Papa non depositus fuit, sed ipse se Pontificatu abdicavit.* — (c) *Imperatores a Pontificibus depositi.*

midia imperii parte Græcos imperatores, et ea donavit Francos; de qua re testes sunt innumerabiles, quos adduximus in primo libro ex tribus, quos de Imperii translatione conscripsimus. Gregorius VII. imperatorem Henricum IV. publica atque solemni cæremonia excommunicatum privavit imperio, quod recte factum fuisse, quicquid pauci schismatici contra dicant, testantur omnes graves historici, et cæteri ejus temporis auctores, quos, verbis singulorum in medio allatis, produximus in lib. IV. de Pontif. cap. 13. Innocentius III. Othonem IV. imperatorem deposuit, teste Flavio Blondo lib. VI. Decadis 2. Innocentius IV. in generali concilio Lugdunensi assentientibus omnibus publice deposuit Fridericum II. Imperatorem, Ecclesiæ persecutorem maximum. Exstat adhuc sententia, cap. Ad Apostolicæ, de sententia, et re judicata in 6. Clemens VI. Ludovicum IV. imperatorem a Joanne XXII et Benedicto XII. excommunicatum imperio privavit. Vide Albertum Piglium lib. V. Hierarch. Eccles. cap. 14. et 15.

Pergit deinde pag. 28, et adfert exempla (*a*) regum, qui Pontificibus strenue restiterunt. Primum ex Walthramo in lib. de investituris Episcoporum, probat Episcopos Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ per reges introisse cum pace temporalium pure, et integre, et antiqua institutione usque ad modernam novitatem. Vocat autem Walthramus modernam novitatem decretum Gregorii VII. prohibentis investituras Ecclesiarum accipi a regibus, et principibus sæculi. Respondemus, verum esse per non breve tempus consuevisse Episcopos a regibus investiri: sed Gregorium VII. fortissimum Ecclesiæ Dei vindicem, Dei auxilio fretum, non timuisse veteres, et sanctas Ecclesiasticas leges renovare, atque defendere. Scribit enim in Epist. ad Hugonem Diensem Episcopum, ut in concilio habendo, cui ipse ut Legatus Apostolicæ Sedis præsessurus erat, canonem vicesimum secundum octavæ synodi generalis renovari curaret, quo prohibetur principibus omnibus, etiam regibus, et imperatoribus, ne se in Episcoporum electione admisceant, quam Gregorii sententiam de tollendis investituris principum, defenderunt non solum successores ejus Victor III., Urbanus II., Paschalis II. et alii: sed etiam viri sancti, qui eo tempore floruerunt, ut duo sancti Anselmi, alter Cantuariensis, alter Lucensis et alii.

Deinde rex pag. eadem ex annalibus Franciæ Nicolai Gillii refert initium Epistolæ Philippi Pulchri regis Francorum ad Bonifacium VIII. Pontificem, quæ epist. ridiculam continet salutationem, qualem scribere potuit iracundia potius, quam consideratio. Scimus enim gravissimam inimicitiam gessisse Philippum regem cum Bonifacio Pontifice; neque esse mirum, si iratis animis quædam exciderint, quæ sedatis numquam excidissent.

Addit postea (*b*) sanctum Ludovicum regem publica pragmatica sanctione omnes curiæ Papalis exactiones intra regnum suum prohibuisse; et citat ad *marginem*, ex arrestis Senatus Parisiensis. Ego vero legi quidem apud Nicolaum Gillium, inter alias sancti Ludovici ordinationes, hæc verba: « Item exactiones, et onera gravissima per Curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri imposita, vel imponenda, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum existit, sive etiam imponendas, aut imponenda, levari, aut colligi nullatenus volumus, nisi pro rationabili, pia, et urgentissima inevitabili necessitate, et de spontaneo expresso consensu nostro, et ipsarum Ecclesiarum regni nostri. » Et fortasse hæc eadem verba habentur in arresto Senatus Parisiensis, quod mihi notum non est. Cæterum legi pragmaticam sanctionem ejusdem sancti Ludovici, quæ habetur ad finem tomi sexti Bibliothecæ sanctorum Patrum editæ Parisiis anno 1589. ubi habentur eædem ordinationes, demptis verbis suprascriptis, quæ videntur postea addita in odium Ecclesiæ Romanæ.

Legi etiam similes ordinationes tam apud Paulum Æmilium, tum apud Robertum Gaguinum in vita S. Ludovici, et verba illa a Nicolao Gillio recitata non reperio: sed contra potius legi apud eosdem auctores (*c*) sanctum Ludovicum Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, Innocentio IV., Alexandro IV., Urbano IV., et Clementi IV. quorum temporibus vixit, fuisse addictum, et obedientem. Nam Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi excommunicanti, et deponenti imperatorem

(*a*) *De investituris Episcoporum a regibus usurpatis.* — (*b*) *An S. Ludovicus rex Francorum Papales exactiones in regno suo prohibuerit.* — (*c*) *S. Ludovicus rex Francorum Ecclesiæ Romanæ addictissimus.*

Fridericum, astitit sanctus Ludovicus, atque, ut verbis Æmilii utar: « Se viresque regni sui, ac consilium sacrosanctæ potestati tutandæ paratum esse professus, Innocenti causæ dignitatem, roborque addidit ». Et infra: « Interea Francus (sanctus Ludovicus) auctoritate nominis Franci tegens Pontificem, sacram insuper militiam in barbaram religionem professus erat. » Denique in vita sancti Ludovici, quæ exstat apud Laurentium Surium a confessario ejus ut creditur scripta, inter alia monita, quæ sanctus moriens filio suo, regnique hæredi dedit; hæc verba habentur: « Semper sis addictus, et devotus Romanæ Ecclesiæ, ejus Pontifici haud secus atque spirituali patri te morigerum præbeas. »

Refert postea rex eadem pag. et seq. ex Joanne Majerio in lib. de schismate, et concil. quid actum sit inter Pium II Pontificem, et Ludovicum XI regem Francorum, circa pragmaticam sanctionem, quam ex sententia concilii Basileensis Carolus VII. rex Francorum edidit. Sed non est opus, ut in hac re diutius immoremur: quod enim Pius II Ludovici temporibus efficere non potuit, ut (*b*) pragmatica illa sanctio omnino de medio tolleretur; effecit postea Leo X, Francisco primo regnante. Itaque in concilio Lateranensi sess. 11. pragmatica illa sanctio publico decreto sublata est. Sed hunc exitum pragmaticæ sanctionis, quia causæ suæ parum favebat, rex facile præteriri passus est.

Addit ultimo rex pag. 30. et quatuor sequentibus exempla (*c*) regum Angliæ, prædecessorum suorum. Siquidem Henricus primus Episcopatum Wintoniensem Willelmo Gifferd contulit, eumque contra novi Concilii decretum, de possessionibus cunctis ad Episcopatum pertinentibus investivit. Idem quoque Henricus Archiepiscopatum Cantuariensem Rodulpho dedit, eumque per baculum, et annulum investivit. Idem Turstano Eboracensi Archiepiscopo electo ad Callixtum Pontificem proficiscenti mandavit, ut a Pontifice benedictionem non acciperet: quod cum ille neglexisset, rex illi omnem suæ dominationis locum interdixit; atque hæc ex Matthæi Paris historia probantur. Rex Edwardus primus inhibuit Abbati de Waltam, et Decano sancti Pauli, ne decimas colligerent in sumptus belli Hierosolymitani, quamvis ad hoc delegati essent a Pontifice Romano. Et quoniam Abbate interim mortuo Decanus Edwardo regi pariturum se pollicitus est; rex Jacobus triumphat et dicit: « Hic hominem Ecclesiasticum teneo, qui Papæ non paruit, ut regi suo pareret, in rebus quoque Ecclesiasticis, nondum scilicet nova hæc Jesuitarum theologia orbi innotuerat. » Idem Edwardus tres viros Ecclesiasticos punivit, ex quo intelligitur, non esse Ecclesiasticos a principis temporalis potestate exemptos. Edwardus II. patrem imitatus viros Ecclesiasticos in custodiam duci jussit. Edwardus III. majorum vestigiis insistens Ecclesiasticos nonnullos vel carceri mancipavit, vel bonis temporalibus, et spiritualibus spoliavit. Denique sub Richardo II. publicorum ordinum decreto cautum est, ne quis beneficium a Pontifice Romano impetraret; quisecus faxit, extra regis fidem, et tutelam censeretur. Hæc ex archiviis regiis deprompta esse dicuntur.

Ego vero admiror intra spatium quingentorum annorum tam paucos inobedientes a rege numerari potuisse: cum constet a regibus Angliæ per hoc tempus plurimos sanctissimos episcopos, vel archiepiscopos, ob eam causam vexatos; quod mallent Pontifici potius obedire, quam regi; et libertatem Ecclesiasticam fortissime tuerentur. Theologia enim hæc Jesuitarum non est nova, sed antiquissima apud veros Catholicos; nisi forte plus valeat exemplum unius decani, quam plurimorum Episcoporum, sanctitate, doctrina, et miraculis illustrissimorum, et salutis æternæ regis, et gregis sui cupidissimorum.

Notum est quanta passus sit (*d*) sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ a rege Willelmo, quot annis exulaverit, quoties ad Romanum Pontificem confugerit, et quanta devotione quocumque iret, ab omnibus, ut Angelus Domini reciperetur. Dedit illi tamen Deus post mortem Willelmi regis gloriosam victoriam, sic enim scribit Edinerus Anglus in lib. II. de vita S. Anselmi: Eo igitur tempore adunato in palatio regis Londiai cuntis primoribus Angliæ victoriam de libertate Ecclesiæ, pro qua diu laboraverat, Anselmus adeptus est; rex enim antecessorum suorum

(*a*) *Pragmatica sanctio sublata.* — (*b*) *An antiqui regis Angliæ Romanus Pontificibus obedientes, an refractarii fuerint.* — (*c*) *Episcopi Angli sanctate conspicui a regibus vexati.*

usu relicto, nec personas, quæ in regimen Ecclesiæ sumebantur, per se elegit; nec eas per dationem virgæ pastoralis Ecclesiis, quibus præficiebantur, investivit.

Non minus notum est, quanta, et quam gravia passus sit sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariæ, et Martyr ab Henrico II. rege, cujus persecutionem fugiens ad Pontificem Romanum ipse quoque se contulit, sed is etiam victoriam præclaram obtinuit, cum post ejus obitum clarificante eum Domino signis et virtutibus; idem rex publicam pœnitentiam egerit.

Huic adjungi potest sanctus Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, qui ob defensionem Ecclesiasticæ libertatis, multa tum a rege, tum a regni proceribus passus est. Itaque ipse quoque in exilium voluntarium concedens apud Pontiniacum obiit, ubi receptaculum, et refugium erat omnium ab Anglia propter justitiam exulantium Prælatorum.

Sed ante hos omnes S. Dunstanus Archiepiscopus item Cantuariensis de manu summi Pontificis Joannis XIII. pallium, insigne archiepiscopalis dignitatis accepit; et admirandæ sanctitatis, et miraculorum gloria clarissimus fuit: nec tamen effugere potuit, quin ab Edmino rege mulierum amore corrupto in exilium pelleretur. Sed postea tamen ab exilio revocatus maxima constantia semper regum scelera redarguit, et optimo fine in pace quievit, cujus vitam ab Osberto Monacho Cantuariensi sancti Dunstani æquali fideliter scriptam habemus.

Sanctus Hugo Episcopus Lincolniensis non pauca sustinuit a Richardo rege, sed constantia, et virtute omnia superavit. Adscribam verba, quæ habentur cap. 18. vitæ ipsius: « Cum aliquando rex contra regem Franciæ extra fines regni sui alacriter dimicaret, et militi pecuniam multam erogasset, archiepiscopum patriam remisit cum mandato, ut Episcopis, et Prælatis in unum convocatis indicaret, se pecunia habere opus, cupereque ab illis adjuvari; sed vir sanctus accuratius rem ipsam examinans, cum reperisset pauperculam plebem hac ratione gravari; respondit, etiamsi omnes regi consenserilis: at ego nequaquam illi consentiam. Unus etiam ex Episcopis auditis rationibus, quas B. Hugo copiose contra illam exactionem afferebat, illi adhæsit. Graviter hoc Archiepiscopus accepit, et gradu concito ad regem abiit, multa ei de sancto Episcopo conquesturus. Audiens rex solum Lincolniensem, sunm retardasse conatum, et alium etiam Episcopum in suam sententiam pertraxisse, præ ira insaniens cuidam amico suo dixit: Sicut tu meam diligis salutem; ita ego tibi præcipio, ut Hugonem cum adhærente ei Episcopo penitus extirpare festines. Ejectus est ergo alter ille, et omnia quæ possidebat, fisco regis addicta sunt. Sed justus tamquam leo confidens absque terrore erit etc. Et tandem rex videns constantiam viri, et quod minas universaque pericula pro nihilo duceret, cum ex animo venerari cœpit. » Addam et pauca ex cap. 20: « Hortantibus quandoque amicis, ut majoris periculi vitandi causa in quadam re parvi momenti regi contra jus Ecclesiæ consentiret; sic fertur dixisse: Absit, ut personæ laicæ, cujuscumque etiam dignitatis, et eminentiæ, privilegium Ecclesiasticæ libertatis infringant. Mihi vero non contingat, ut timore potestatis alicujus, aut formidine difficultatis quantæcumque, jus Ecclesiæ Dominæ meæ sanctæ Mariæ, quantum in me est, deperire sinam etc. Hic nos quoque Ecclesiasticum hominem tenemus, cui nota erat theologia, quam Jesuitæ hodie docent, non esse obediendum regi, in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis. »

Sanctus Richardus Episcopus Cicestrensis clandat hunc locum. « Is electus fuit Episcopus contra sententiam regis: propterea Rex furore percitus res Ecclesiæ Cicestrensis jussit confiscari. Episcopus multas injurias, contumeliasque perpessus ad Apostolicam Sedem se contulit, cui tunc Innocentius IV. præsidebat: prævenerant autem eum Legati regii, ut etiam apud Summum Pontificem sanctum virum Richardum fatigarent: sed Pontifex partibus auditis Beati Richardi electionem sua auctoritate confirmavit, atque eumdem sacrarum manuum impositione Episcopum consecravit. Reversus in Angliam Episcopus, non solum bona Ecclesiæ suæ recuperare non potuit, sed etiam proposito edicto publico rex omnibus interdixit, ne quis ei pecuniam mutuo daret. Cæterum vir sanctus memor verborum sancti Jacobi, quod Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit diligentibus se, egestate sua gaudens partes omnes boni pastoris implevit. »

Hinc habemus, quod rex quærebat exempla Regum, qui bona non tantum temporalia, sed etiam spiritualia Ecclesiasticis per

vim eripiebant, sed habemus etiam, quod rex non quærebat, exempla sanctorum Episcoporum, qui pro libertate Ecclesiastica tum agendo, tum patiendo fortissime dimicabant.

Sed hoc loco prætereundum non est, hos ipsos (*a*) quinque Anglicos reges, quicquid tandem egerint, fuisse fide Catholicos; neque unquam ab obedientia Summi Pontificis, ut supremi capitis Ecclesiæ, defecisse. Nam Henricum primum post longas dimicationes pro investituris Episcoporum, constat cessisse Pontificum decretis. Id præter testimonium Edineri supra allatum, testatur Florentius Vigorniensis in Chronico anni 1107. his verbis: « Statuit rex, ut ab eo tempore in reliquum numquam per dationem baculi pastoralis, et annuli quisquam de Episcopatu, aut Abbatia per regem, vel quamlibet laicam manum in Anglia investiretur. » Idem testatur Gulielmus Malmesberiensis lib. v. historiæ his verbis: « Investituras Ecclesiarum post multas controversias Deo, et sancto Petro remisit. »

Edovardus primus sine dubio Catholicus fuit et Summum Pontificem caput Ecclesiæ confessus est. Exstat enim Epistola ejus apud Thomam Valsingamum in anno 1302. ad Bonifacium VIII. cujus hæc est inscriptio: « Sanctissimo in Christo Patri, Domino Bonifacio Sanctæ Romanæ, et universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Edovardus Dei gratia rex Angliæ salutem, et devota pedum oscula beatorum. » Certe qui Bonifacium universalis Ecclesiæ Summum Pontificem vocat, non potest ei negare obedientiam, et subjectionem, nisi ab Ecclesia universali alienum se esse profiteatur. Et qui pedum devota oscula Pontifici offert, numquam profecto diceret, quod Jacobus rex dicit, se nulla in re Pontifice inferiorem esse.

Edovardus II. vel ex eo Pontificis auctoritatem agnovisse se testatus est, quod cum illo egit, ut Scotiæ regem censuris Ecclesiasticis coerceret, audita prius causa, quæ inter utrosque reges controvertebatur.

Edovardus III. epistolam scripsit ad Clementem V. Pontificem eodem Valsingamo teste, cum eadem inscriptione, videlicet: « Sanctissimo in Christo Patri, Domino Clementi divina providentia sanctæ Romanæ, et universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Edovardus eadem gratia rex Angliæ et Franciæ, etc. devota pedum oscula beatorum: » Et infra: « Pensata etiam devotionis plenitudine, qua domus nostra regia, et clerus, et populus dicti regni persliterunt hactenus in obedientia Sedis Apostolicæ etc.

Denique de Richardo II, quod fuerit etiam ipse Catholicus dubitari non potest, nam cum ejus tempore, schisma factum esset in Ecclesia, creato Antipapa Clemente VII. contra Urbanum Papam VI. Richardus rex legem tulit, ut qui alium Pontificem, præter Urbanum, quem unicum, et verum Ecclesiæ caput appellat, agnoverit, bonis omnibus, et regis protectione privetur.

Sed esto, quinque isti reges alieni a Sede Apostolica fuissent: an non deberet rex Jacobus imitari potius ducentos circiter reges prædecessores suos, partim Anglos, partim Scotos, quam quinque? Constat enim ex Joanne Lesleo (*b*) reges Scotorum a Donaldo primo, qui anno salutis 197. a sancto Victore Pontifice fidem Christianam accepit, usque ad Mariam hujus regis matrem, Catholicos, et Romanæ Apostolicæ Sedi obedientes fuisse. Numerantur autem 84. reges, vel, ut alii volunt, supra 90.

Nec minus constat ab anno salutis 600 (*c*) reges Angliæ ab Ethelberto, qui primus fidem Christianam a S. Augustino suscepit, usque ad S. Edovardum, id est, usque ad annum salutis 1066. non solum Catholicos, sed etiam Romanæ Sedis devotissimos fuisse, ut tradunt Beda, Polydorus, et alii; numerantur autem reges isti circiter octoginta. Itaque solum supersunt post conquestum reges viginti, a Willelmo primo usque ad Henricum VIII, ex quibus quinque solos rex Jacobus sibi ad imitandum proposuit, omissis quindecim, vel potius ducentis et quindecim, quos et Catholicos, et Apostolicæ Sedis obedientes fuisse negare non potuit.

(*a*) *Quinque Reges Angliæ, quos Jacobus pro causa sua adduxit, Pontificem romanum, ut caput Ecclesiæ universæ venerabantur.* — (*b*) *Reges Scotiæ a Donaldo primo usque ad Mariam hujus Jacobi sexti matrem, per annos mille trecentos, Catholici fuerunt.* — (*c*) *Reges Angliæ ab Ethelberto usque ad Henricum octavum per annos nongentos Catholici fuerunt.*

CAPUT VII.

Jacobum regem ab hæresi excusari nulla ratione posse.

His digressionibus expeditis, rex a pag. 35, usque ad 40, probare nititur, se neque Apostatam esse, neque hæreticum. Apostatam proprie non esse facile concedi potest. Illi enim dicuntur Apostatæ, qui Christianam fidem, et religionem omnino deserunt, ut ne Christiani quidem dici velint : qualis fuit Julianus imperator, qui ex Christiano paganus factus cognomen Apostatæ sibi peperit. Quod autem rex dicit patrem suum, et avum paternum idem de fide secum sensisse; a matre quoque nullis litteris, quas frequenter ab ea accipiebat, invitatum ad Pontificiam religionem : quin etiam supremis verbis per præfectum domus ab ea sibi mandatum, posse se in religione, quam colebat perseverare, modo probe, sancteque viveret; et commissos populos, prudenter, et pie gubernaret; denique matrem eamdem jussisse, ut in Baptismo filii sui, cæremonia sputi nupera non uterentur : nolle enim se, ut impurus presbyter in os infantuli sui inspueret.

Respondeo, quod ad *(a)* cæremoniem sputi attinet, illam non esse nuperam, cum ejus meminerint S. Ambrosius lib. 1 de sacrament. cap. 1, sanctus Gregorius in Sacramentario, Beda in homil. in Evangelium Dominicæ 12, post Trinitatem, Rabanus lib. 1, de instit. cleric. cap. 27. Hugo de sancto Victore lib. 1. de sacram. cap. 18.

Neque verum est, ea cæremonia salivam presbyteri in os infantuli inspui : sed solum aures, et nares saliva tangi, ut Patres citati dicunt, et Ecclesia servat; hæc enim sunt verba venerabilis Bedæ : « Unde credo mox increpuerit Ecclesiæ; ut sacerdotes illius his quos percipiendis baptismi sacramentis præparant; prius inter cætera consecrationis exordia, de saliva oris sui nares tangant, et aures, dicentes Ephceta. » Itaque credibile non est, eam cæremoniam a Catholica regina fuisse prohibitam.

Quod ad parentes regis attinet, dico, non deesse apud nos, qui regis patrem et matrem, fortasse etiam avum paternum viderunt, quique pro comperto habere se dicant, Patrem, et avum regis fuisse Catholicos; reginam vero matrem, non solum ipsam fuisse Catholicam, sed etiam dedisse omnem operam, ut filium a novatorum erroribus ad antiquam, et veram fidem traduceret Quin etiam ostenduntur hic Romæ Epistolæ non paucæ manu propria ejusdem reginæ exaratæ, quæ satis testantur zelum ejus de conversione filii ad Catholicam Religionem. Neque fidem habemus præfecto domus Melvino, qui cum hæreticus sit, mirum non est, si ea sibi a regina moriente dicta esse confingat, quæ ad hæresim suam commendandam pertinent.

Porro hæreticum se non esse rex dicit, quia scripturis Canonicis credat; quia tria fidei Symbola Apostolicum, Nicænum, et S. Athanasii libens juret; quia prima quatuor concilia generalia, tamquam Catholica, et orthodoxa veneretur; quia quicquid quadragentis post Christum annis (quingentis in Anglicano libro legitur) unanimi consensu Patres ad æternam salutem esse necessarium, statuerunt; aut cum iis ita sentiat, aut modesto silentio obmutescat, reprehendere certe non audeat. Sed hæc non satis esse, ut hæreticus dici non possit, facile negotio demonstrabimus.

Primum enim, scripturis Canonicis, sine certo fundamento rex credit, ac per hoc proprie *(b)* non credit. Dicit enim duos esse ordines scripturarum, ut a Bellarmino tradi affirmat lib. 1. de Verbo Dei c. 4. et quidem scripturas secundi ordinis, non esse tantæ auctoritatis, ut fidei ullum caput inde stabiliri possit. Porro Bellarminus facit quidem duos ordines scripturarum, unum earum, de quarum auctoritate nunquam dubitatum est : alterum earum, de quibus a nonnullis veterum dubitatum est; sed tamen utrumque ordinis Bellarminus affirmat, scripturas esse divinas, et canonicas, et ex utroque ordine scripturarum posse elici, et stabiliri capita fidei. Idque probat fusissime in sequentibus capitibus, Scripturæ secundi ordinis sunt Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæi, et alia quædam, atque hæc sunt ex quibus rex et cæteri Calviniani negant posse elici, vel stabiliri dogmata fidei.

(a) Cæremonia illa, qua tanguntur saliva nares, et aures baptizandorum antiquissima est. — (b) Hæretici scripturis sacris non vere credunt.

A quibus ego libenter quærerem, unde habeatis scripturas primi ordinis esse divinas et Canonicas : scripturas secundi ordinis non esse tales? Nam certe ex ipsis Scripturis neutrum probari potest, nusquam enim scriptum est, libros Genesis, et Exodi esse divinos; libros Tobiæ, et Judith non esse : librum Isaiæ esse Canonicum; librum Baruch non esse : ex libris Proverbiorum, ex Ecclesiaste, ex Canticis, posse elici dogmata fidei; ex libris Sapientiæ, et Ecclesiastici non posse : denique libros Machabæorum apocryphos esse. Dicent prioris ordinis libros hebraica lingua scriptos inveniri, posterioris non inveniri scriptos nisi græce aut latine. At Scriptura nusquam docet, libros hebraice scriptos esse Canonicos; alios non esse. Neque æquum est Spiritum sanctum, qui est verus auctor scripturarum alligare velle ad linguam hebraicam, ut Judæi faciunt, quasi non potuerit etiam tempore testamenti veteris librum dictare lingua græca, aut latina. Itaque recte S. Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 36 : « Libros, » inquit, « Machabæorum, non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. » Dicent, *(a)* libris primi ordinis apud omnes indubitatos semper fuisse : de libris secundi ordinis aliquos scriptores aliquando dubitasse. At non ideo prioris ordinis libri sunt habendi divini, quia de illis scriptores particulares non dubitarunt, alioqui fides nostra ab hominum dubitatione, vel non dubitatione penderet. Sed illi soli sunt habendi libri canonici, et divini, quos Mater Ecclesia, quæ spiritum Dei habet, et est columna, et firmamentum veritatis per os summi Pastoris, vel Conciliorum legitimorum dicit, vere esse Canonicos, et divinos. Vere enim scripsit S. Augustinus : « Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas, » lib. contra Epist. fundamenti cap. 5.

Quemadmodum igitur Ecclesiæ credimus nos Catholici docenti, libros primi ordinis esse divinos; ita eidem credimus docenti, libros secundi ordinis esse divinos, omnes enim istos libros enumerat inter Sacros, canonicos, et divinos Innocentius primus Pontifex in decreto de libris sacris edito in concilio 70. Episcoporum; Concilium Carthaginiense tertium can. 47. concilia denique generalia Florentinum, et Tridentinum. Ecclesia vero, non ex verbo Dei scripto, sed ex verbo Dei a majoribus per temporum successiones tradito didicit, qui sint libri Canonici, qui sint apocryphi. Rex autem qui verbum Dei scriptum proferre non potest, cum nullum exstet de hac re; verbum Dei traditum non recipit, quia novatores recipi prohibent; Ecclesiæ judicium, id est, summi Pastoris, et conciliorum (extra prima quatuor) non admittit; quid superest, nisi ut arbitrio suo, aut novatorum opinionibus acquiescat; ac per hoc de ipso verbo Dei, non verbo Dei, sed humano judicio credat?

Quod autem dixi de Scripturis sanctis, idem de intelligentia scripturarum dici potest. *(b)* Novatores enim ubi Scriptura propriis disertisque verbis loquitur; pro nihilo ducunt, ea verba in tropos, et figuras transmutare, si quando opinioni suæ non favent : sic verba illa Cœnæ rotunda, clara, perspicua, *Hoc est enim corpus meum*, mille figuris involvunt Calviniani, ut quidlibet aliud significare videantur, quam quod vere, proprieque significant : sic illud Apoc. II. de duobus Prophetis cum Antichristo pugnaturis atque ab eo interficiendis, et paulo post a Deo resuscitandis; omisso litterali, plano, proprio, ac perspicuo sensu, omnino laborant, ut metaphoris obscurent, atque ad alia transferant, quæ nos Catholici a proprio sensu alienissima esse censemus, sed de his hactenus.

Venio ad tria symbola, et quatuor prima concilia. Scimus Lutheranis Sacramentarios, et Sacramentariis Lutheranos hæreticos esse : Scimus Pelagianos, et Monothelitas Catholicis, et Protestantibus hæreticos esse : Scimus alios plurimos aliis omnibus, præterquam suæ sectæ hominibus, hæreticos esse : et tamen isti omnes recipiunt Scripturas canonicas, tria Symbola, et quatuor prima concilia, et patres primorum quadringentorum annorum minime spernunt. Vel igitur Pelagiani, Monothelitæ, aliique id genus homines hæretici non sunt, vel *(c)* non satis est ad hæreticum nomen fugiendum illa recipere atque admittere, quæ rex Anglorum recipere atque admittere, se dicit.

Neque multum refert quod Pelagius hæ-

(a) Qui sint libri canonici, et qui apocryphi, ad Ecclesiæ judicium pertinet. — (b) Non minus de sensu, quam de numero librorum divinorum incerti sunt Novatores. — (c) Non satis est admittere tria symbola fidei, et quatuor prima concilia, ut quis Catholicus dici possit.

resiarcha antiquior fuerit tertio, et quarto concilio : nam Pelagiani novi, qui tempore sancti Prosperi, et sancti Fulgentii pelagianam hæresim renovarunt, posteriores quatuor conciliis fuerunt, neque ea negabant. Ut etiam hoc tempore Græci in articulo de Processione Spiritus sancti a Patre, et Filio, hæretici habentur a Lutheranis etiam, et Calvinistis ; et tamen Scripturas, tria symbola, quatuor concilia, et Patres veteres venerantur, non igitur ista sufficiant.

Deinde quæro a rege, (a) cur quatuor tantum prima Concilia generalia recipit ? cur non quintum etiam, sextum, septimum, octavum : deinde Lateranense, Lugdunense, Viennense, Constantiense, Tridentinum ? fortasse Ecclesia Christi post annum quingentesimum periit ? At regni Christi, quod est Ecclesia non erit finis. Luc. I. Et adversus Ecclesiam portæ inferi non prævalebunt. Matth. XVI. Fortasse mansit Ecclesia post annum quingentesimum, sed invisibilis, et in antris, ac speluncis delitescens ? At Ecclesia civitas est supra montem posita, (b) quæ abscondi non potest. Matth. V. Et semper illud impleri poterit : *Si te non audierit, dic Ecclesiæ* (1). Matth. XVIII. Et recte S. Augustinus de Ecclesia exponit illud Psalm. XVIII. « In sole posuit tabernaculum suum, id est, inquit, in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat, non velut operta, ne forte fiat sicut operta super greges hæreticorum. In sole ergo posuit tabernaculum suum, quid tu, hæretice, fugis in tenebras? » Hæc S. Augustinus.

Fortasse post annum quingentesimum nulli extiterunt hæretici novi, adversus quos concilia nova convocanda essent ? At extiterunt Monothelitæ, qui unam in Christo voluntatem esse docebant : quam hæresim condemnarunt Patres in concilio sexto. Extiterunt et alii, atque alii, adversus quos variis temporibus varia concilia cogenda fuerunt, numquam enim bella hæreticorum defuerunt, neque deerunt unquam, donec Ecclesia militans appellabitur.

Fortasse deest aliquid conciliis reliquis, quod in solis primis quatuor inveniri potuit ? At quid illud est ? Confer (c) concilium primum cum sexto. In primo adfuerunt Episcopi undique evocati : adfuerunt et in sexto. In primo adfuerunt Legati Apostolicæ Sedis : adfuerunt et in sexto. In primo adfuit imperator Constantinus : adfuit et in sexto imperator nominis ejusdem. In primo dictum est anathema Arianis, atque inde tota Ecclesia Arianos, ut manifestos hæreticos detestata est. In sexto dictum est anathema Monothelitis, atque inde tota Ecclesia Monothelitas, ut manifestos hæreticos detestata est. In primo creditum est adfuisse doctorem Spiritum sanctum, et a Patribus in Christi nomine congregatis, dici potuisse, visum est Spiritui sancto, et nobis. At hoc idem creditum est in sexto, nisi forte Spiritus sanctus Ecclesiam deseruisse dicendus sit, qui missus est ut eam doceret omnem veritatem. Quod autem diximus de comparatione concilii primi cum sexto, idem dici potest de comparatione primi cum reliquis eodem modo, et ordine congregatis. Quare vel dicendum est, nulla esse concilia, ac ne prima illa quidem, in quibus fuerit auctoritas novarum hæresum damnandarum ; vel eadem auctoritas tribuenda est omnibus conciliis generalibus rite congregatis : ac per hoc frustra recipit quatuor prima, qui non recipit alia subsequentia.

Sed venio ad singula, quæ rex post Scripturas sanctas admittere, et venerari se dicit. (d) Nego symbolum Apostolicum ab eo plene recipi. Articulus quintus est : Descendit ad inferos : qui etiam repetitur in symbolo S. Athanasii, et habetur passim in catechismis Lutheri, et Calvini, et aliorum omnium tum Catholicorum, tum hæreticorum. Hunc tamen articulum Calviniani, quales sunt in Anglia tum Protestantes, tum Puritani, verbo confitentur, re ipsa negant. Siquidem apud Calvinum lib. II. Instit. c. 16. in parvo Cathechismo, in psychopannychia, et alibi, Christum descendisse ad inferos, et pœnas damnatorum pertulisse ; pertulisse autem pœnas damnatorum Christum Calvinus dicit, primum in horto, cum calicem passionis transferri a se rogavit : deinde in Cruce, cum ait : *Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

At symbolum Apostolicum tradit, Christum ad inferos descendisse post mortem, non dum viveret in horto, vel in Cruce : et hæc est traditio omnium veterum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt. Christum videlicet post mortem, (a) secundum animam descendisse ad locum subterraneum animarum, secundum corpus jacuisse in sepulcro.

(1) Matth. XVIII, 17.

(a) Nulla ratio reddi potest, cur primis quatuor Conciliis fides haberi debeat, et reliquis non debeat. — (b) Ecclesia semper est visibilis. — (c) Collatio Conciliorum primi, et sexti. — (d) Hæretici non integre recipiunt symbolum Apostolorum.

Consule ex Græcis sanctum Ignatium in epist. ad Trallianos, S. Justinum in dialogo cum Triphone, S. Ireneum lib. V. extremo, Clementem Alexan. lib. VI. Strom. Origenem hom. 15. in Genesim, Eusebium Cæsariensem lib. IV. de demonstr. Evang. c. 12. S. Cyrillum Hierosolym. Cathechesi 4. S. Athanasium lib. de incarnatione Verbi, qui incipit : Mos pii hominis. S. Basilium in Psalm. XLIV. et XLVIII. S. Gregorium Nissenum orat. I. de Resurrectione Christi. S. Gregorium Nazianzenum orat. 2. de Pascha, S. Epiphanium in Ancorato ante medium. S. Joan. Chrysostom. hom. 2. de Symbolo, S. Cyrillum Alex. lib. XII in Joan. cap. 36. et in lib. de recta fide ad Theodosium.

Ex latinis Tertullianum in lib. de anima cap. 31. et 32. S. Hippolytum Martyrem in orat. de Antichristo. S. Hilarium lib. X. de Trinitate, et in Psal. CXXXVIII. S. Philastrium in lib. de hæresibus cap. de descensu Christi ad inferos. S. Gaudentium tract. 6. de Exod. S. Ambrosium lib. III. de fide cap. 3. S. Hieronymum in cap. IV. ad Ephes. in cap. IX. Zachariæ, et in cap. III. Ecclesiastæ. Prudentium in hymno I. et 9. Χαθεμερινον Ruffinum in explicatione Symboli. S. Augustinum epistol. 57. ad Dardanum, et 99. ad Evodium, et tract. 78. in Joan. et in Psal. CXXXV. et lib. XVII. de Civit. Dei cap. 11. et lib. XX. cap. 15. S. Leonem serm. 1. de Resurrectione. S. Fulgentium lib. III. ad Trasimundum regem cap. 23. S. Vigilium Mart. lib. II. adversus Eutychetem. Sanctum Gregorium lib. XIII. Moral. c. 20. Ex his nullus est qui non vixerit primis quingentis annis, S. Gregorio excepto, quem addere volui, ut apostolum Anglorum.

Consulat rex hos veteres Patres, et si illis fidem habet, intelligat, circa Symbolum Apostolicum multum se cum suis a veteris Ecclesiæ sententia aberrare. Neque solum in hoc articulo, sed etiam in articulo de Ecclesia Catholica, et in articulo de remissione peccatorum, rex Anglorum verba, non sensum tenet. Neque enim credere potest Ecclesiam esse Catholicam ; dum Ecclesiam non habet, nisi particularem, quæ regnum Angliæ non egreditur, ut initio demonstravimus. Neque veram peccatorum remissionem credere potest, qui cum Novatoribus credit, peccata semper hærere in homine quamtumvis justificato, quamvis non imputentur. Non autem posuerunt Apostoli in Symbolo, credo non imputationem peccatorum ; sed credo remissionem, veram utique et plenam, alioqui potentior fuisset culpa primi hominis, quæ omnes ex Adamo genitos vere, ac proprie inquinavit ; quam gratia secundi hominis, quæ renatos in Christo, non potuit vere, proprieque purgare : sed de his multa in controversiis diximus, quæ repetenda non sunt.

Porro quod attinet ad (b) Symbolum Nicænum, si rex illud admittat cum additione concilii secundi generalis, ut passim in Ecclesiis omnibus legitur, inveniet in eo hæc verba : « Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum ; » quæ verba recitari solent ; sed credi non solent a Calvinianis, quorum doctrinam rex ipse, Angli et Scoti sequuntur. Primum enim fidelium nasci sanctos, et sine baptismo posse salvari, proinde non baptizari in remissionem peccatorum, vide Calvinum lib. IV. Institut. cap. 16. et in Antidoto concilii Trid. sess. 6. cap. 5. Quod vero attinet ad adultos, illi per fidem, eorum opinione, justificantur, baptizantur in remissionem peccatorum. Hæc causa est, cur Calvinus lib. IV. Instit. c. 14. in definitione Sacramenti nihil aliud posuerit, nisi obsignationem promissionum benevolentiæ Dei erga nos : et protestationem pietatis nostræ erga Deum, remissionis peccati, aut infusionis inhærentis gratiæ nulla mentio. Denique in Antidoto concilii sess. 5. « Manet, inquit Calvinus, vere peccatum in nobis, neque per baptismum statim uno die extinguitur ; sed quia deletur reatus, imputatione nullum est. » Hæc ille. Itaque ex sententia Novatorum, peccatum numquam vere remittitur, ut non sit, sed solum ut non imputetur : hæc autem remissio, per non imputationem infantibus contingit, quia Sanctorum sunt filii : Adultis vero per propriam ipsorum fidem. Potest igitur

(a) Christus secundum animam vere descendit ad inferos : secundum corpus vere jacuit in sepulchro. — (b) Hæretici non integre recipiunt symbolum Nicænum, sive Constantinopolitanum.

apud eos deleri articulus Symboli : « Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. »

Verum autem esse hunc articulum, ac de propria, et vera remissione intelligendum docent omnes veteres Patres primorum quingentorum annorum, quibus si Rex fidem haberet, Protestantibus suis fidem nullam haberet. Atque, ut unum de multis testimonium proferam, S. Augustinus in lib. III. de anima, et ejus origine c. 9. « Noli, inquit, credere, noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus. » Idem in epist. 156. alias 157. ad Optatum : « Non est, inquit, falsa etiam in parvulorum baptismate remissio peccatorum, nec verbotenus dicitur, sed veraciter agitur. » Nam (ut jam verbis utar) quæ in Epistola beatissimi Zozimi leguntur, Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque baptismus re, ac verbis, id est, opere, confessione, et remissione vera peccatorum in omni sexu, ætate, conditione generis humani eamdem plenissime tenent : nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus : sicut scriptum est : Si vos Filius liberavit, vere liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo, ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introductæ, atque transmissæ universæ animæ, illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius. In his enim verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, et clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano. Hæc S. Augustinus.

Venio ad tertium (*a*) Symbolum, in quo verba illa leguntur : « Inde venturus est judicare vivos, et mortuos, ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem : Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum. » In quibus verbis continetur judicium novissimum, in quo justus Judex pro qualitate factorum, reddet aliis coronam justitiæ, aliis opprobrium, et supplicium sempiternum. Nam si non pro meritis operum, sed in gratiam fidei, vel justitiæ Christi misericorditer imputatæ fidelibus vita æterna daretur, non esset opus judicio, neque discussione factorum : neque oporteret Judicem justum, sed Patrem misericordem advenire ; neque rationem de factis propriis reddere, sed Christi justitiam nobis imputatam, et fide apprehensam ostendere deberemus : hunc ergo articulum credere non poterit rex, si cum Calvino, et Protestantibus credet, omnia opera justorum esse peccata. Hæc enim sunt verba Calvini lib. III. Instit. cap. 14. « Nullum a Sanctis exire potest opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem. Quam enim rationem reddent justi de factis propriis Judici Christo, si omnia opera ipsorum vitiosa sunt, et mereantur justam opprobrii mercedem ? Et si justi rationem reddere non poterunt de factis propriis, certe multo minus rationem reddere poterunt injusti : quorsum igitur stabimus omnes ante tribunal Christi, ut reddat unusquisque de factis propriis rationem ? »

Dicent fortasse, quod solent, opera quidem justorum esse omnia sordida, et immunda, sed per misericordiam Dei tegendam esse immunditiam, et reputanda fidelibus propter Christum, ac si munda essent. At si ita esset, non justitia Judicis, sed (supra dixi) misericordia Patris, vel liberalitate Principis opus esset. Quorsum igitur articulus Symboli dicit : « Venturus est judicare vivos, et mortuos, et reddituri sunt omnes de factis propriis rationem ? » Et cur Apostolus in II. ad Timoth. cap. IV. clamat : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Judex* (1) ? cur et coapostolus ejus Petrus, in priore epist. cap. I. similiter clamat : *Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini* ? cur ipse Dominus, qui Judex venturus est, Matth. XVI. prædicit, venturum se cum Angelis suis, ut reddat unicuique secundum opera ejus ? Sed nolo esse longior, ne videar de dogmatibus disputare, non Apologiam scribere.

(1) II Timoth. IV, 8.

(*a*) *Neque symbolum S. Athanasii integre recipiunt.*

Venio ad quatuor prima concilia. (*a*) Concilium Nicænum, quod est primum generalium Conciliorum, duabus potissimum de causis convocatum est ; ut quæstio de fide divinitatis filii Dei, et dissensiones de celebrando Paschate definirentur. Id testatur sanctus Athanasius in lib. de Synodis Arimini, et Seleuciæ, non procul ab initio ; necnon Constantinus in Epistola, quam refert Eusebius lib. III. de vita Constantini. Itaque S. Epiphanius hæresi 70. scribit, Constantinum imperatorem duo magna bona contulisse in Ecclesiam unum quod congregari curaverit synodum Nicænam, alterum quod in ea synodo curaverit terminari quæstionem de Paschate. Porro quæstionem utramque sacra illa Synodus, non tam ex scripturis, quam ex traditione non scripta definivit. De quæstione fidei testis est Theodoretus lib. I. hist. cap. 8. eam ex sermonibus non scriptis fuisse terminatam, quamvis enim scripturæ pro utraque parte adducerentur inter disserendum ; tamen Ariani ad suam sententiam illas detorquebant, neque finis disputandi ullus fuisset, nisi Episcopi, qui de toto orbe convenerant, ex traditione majorum veram intelligentiam scripturæ colligentes, eam fidem tenendam esse decrevissent, quam ante motam quæstionem in Ecclesiis totius mundi a majoribus prædicatam, et receptam esse constabat. Decretum autem de Paschate celebrando die Dominico, ne poterat quidem ex scripturis ullis deduci, sed ex sola traditione ab Apostolis, atque in primis a sancto Petro accepta, et in Urbe custodita, formatum est. Quæ cum ita sint, videat rex, quam bene cum Patribus Nicænæ synodi Ministri Calviniani, et Lutherani conveniant, qui traditiones non scriptas rejiciunt, et quæstiones interminabiles reddunt.

Extat præterea canon tertius Nicæni concilii ut non permittantur in domibus episcoporum, presbyterorum, et diaconorum mulieres habitare, excepta matre, sorore, amita, vel Matertera, ex quarum cohabitatione carnalis commercii suspicio oriri non potest. Quomodo igitur, si in regno Angliæ Nicæni concilii regula locum habent, in domibus Episcoporum invenientur uxores, et filiæ cum gregibus ancillarum, non minore numero, vel licentia, quam in domibus laicorum ? Dicent fortasse ex historia Sozomeni haberi, in eodem Nicæno concilio, interveniente Paphnutio, in arbitrio Episcoporum, atque aliorum Ecclesiasticorum relictum esse, ut uxoribus pro libito uterentur.

At (*b*) historia illa Sozomeni convincitur esse falsa ex canone concilii paulo ante citato : Si enim in arbitrio relictum esset uti uxoribus, vel non uti ; certe concilium excepisset etiam uxores, et filias, ubi matres, et sorores excepit. Deinde S. Epiphanius hæresi 59. et sanctus Hieronymus in lib. adversus Vigilantium, aperte scribunt, esse contra canones, neque esse licitum episcopo, et presbytero, ac diacono liberos gignere. Et certe sancti Patres Epiphanius, et Hieronymus, majori fide digni sunt, quam Sozomenus, qui posterior tempore, et inferior doctrina, et sanctitate fuit. Adde quod, Sozomeno auctore, Paphnutius iis solis Episcopis ac reliquis Ecclesiasticis usum conjugum liberum esse volebat, qui eas ante sacros Ordines accepissent : illicitum autem esse, post ordines sacros conjugio copulari. At Episcopi Anglicani contempta lege concilii, contra morem non modo Latinorum, sed etiam Græcorum Christianorum, uxores ducunt etiam post adeptum Episcopatum. Itaque nullam habent excusationem, nisi forte velint libere confiteri, quod verissimum est, se veros Episcopos non esse posse, quippe qui rite ordinati non sint, neque aliquid de Episcopatu habere, nisi quæ sibi injuste usurpant, nomen, et opes. Atqui hoc est longissime abesse a regulis Nicæni concilii, ubi can. 4. Episcopi ordinari jubentur a tribus saltem Episcopis, qui et ipsi ab aliis rite ordinati sint : nemo enim dare potest quod antea non accepit. Episcopi autem Protestantes a nullo vero Episcopo ordinati meri laici sunt.

Jam (*c*) de secundo concilio nihil est, quod hic addam, cum paulo ante ex Symbolo in hoc concilio edito demonstraverim fidem Protestantium, et ipsius regis alienam esse a fide Patrum hujus concilii.

Ex tertio concilio generali, quod est Ephesinum primum, nihil aliud adducam, nisi partem Epistolæ Theodosii junioris imperatoris ad hanc ipsam synodum missæ ; ut rex intelligat, quæ sint partes Regum in conciliis, et quorum proprie munus sit in conci-

(*a*) *De concilio Nicæno, quod non magni fiat ab hereticis hujus temporis.* — (*b*) *Historia Sozomeni de conjugio sacerdotum falsa convincitur.* — (*c*) *De secundo, et tertio concilio generali.*

lius sedere, et judicare. Exstat autem Epistola græce, et latine. « Igitur, » inquit Theodosius, « Candidianum præclarissimum religiosorum domesticorum comitem ad sacram vestram synodum abire jussimus : sed ea lege, et conditione, ut cum quæstionibus, et controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat, nefas est enim qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, et consultationibus admisceri; verum, ut Monachos, et sæculares, ac cæteros denique omnes, qui hujus spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum forte confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus submoveat : tum etiam, ut diligenter prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi studio coacta, et sævæ tempestatis instar debacchata, sanctissimæ synodi vestræ consultationem, quovis modo perturbet : » hæc ibi.

Videt certe rex in conciliis Ecclesiæ legitimis, quale hoc tertium fuit, non convenisse omnes Ecclesiasticos, sed solos Episcopos. Videt præterea negotia Ecclesiastica ad reges sæculi non pertinere; nisi ut forte protegant Episcopos, atque eorum tranquillitati consulant, qua de causa Theodosius candidianum misit; et in primo, et quarto concilio imperator ipse adesse voluit. Videt postremo ex his apertissime colligi, regem non esse caput Ecclesiæ : quomodo enim ab Ecclesiasticis negotiis arceretur Ecclesiæ ipsius caput? Proinde rex, qui caput, vel, quod idem est, gubernatorem generalem Ecclesiæ regni sui se esse dicit, quique Concilia generalia ad reges potissimum pertinere existimat, qui denique omnes Ecclesiasticos adesse vellet, exceptis Puritanis, et Jesuitis, novam conciliorum formam, atque ab illis primis quatuor penitus abhorrentem introducere satagit.

(a) Ex quarto concilio posset rex si vellet multa perdiscere, unde cognosceret, fidem, et religionem, quam ipse reformatam vocat, et quam defendere, et propagare satagit, longe abesse a fide, et religione synodi Chalcedonensis, quæ est quarta generalis. Primum omnium verus Ecclesiasticus primatus Romani Pontificis in Ecclesia universa, ex hoc concilio manifeste colligitur. Exstant epistolæ plurimæ ad Leonem Pontificem, et concilium Chalcedonense, et semper nomen Pontificis nomini concilii anteponitur, hoc modo. « Sanctissimo, et Deo amantissimo, et universali Archiepiscopo, et Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, et sanctæ, et universali Chalcedonensi synodo, quæ voluntate Dei congregata est. » Exstat Epistola totius concilii generalis ad eumdem Leonem, ubi præter alia dicunt Patres : « Quibus omnibus, Episcopis congregatis, tu quidem sicut membris caput præeras. » Ubi aperte vocant Pontificem caput concilii universam Ecclesiam repræsentantis. Item dicunt : « Et post hæc omnia insuper, et contra ipsum, cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem. » Ubi fatentur totius vineæ, id est, Ecclesiæ custodiam ab ipso Christo, non ab imperatore, vel a concilio, commissam esse Romano Pontifici.

Exstat item inter canones hujus concilii, canon sextus decimus in hæc verba : « Virginem, quæ se Deo Domino consecravit, similiter et Monachum non licere nuptialia jura contrahere, quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. » Videat rex an iste canon tam antiquus, tam sanctus a sexcentis Episcopis veteris Ecclesiæ constitutus, observetur in Anglia : an contra, si qui Monachi aut virgines sanctimoniales ad eos forte divertant, an ad matrimonium cogantur, vel suadeantur.

Exstat canon vicesimus quartus, in hæc verba : « Quæ semel ex voluntate Episcopi dedicata sunt Monasteria, Concilio Episcoporum perpetuo manere monasteria et res quæ ad ea pertinent, monasteriis reservari : nec posse ultra fieri sæcularia habitacula. » Cogitet rex, quam bene canonem istum observaverit Henricus VIII. qui omnia monasteria profanavit.

Exstat denique in actione undecima hujus concilii publica invocatio sancti Martyris Flaviani, quæ vel sola satis esset ad ostendendum, fidem regis non convenire cum fide concilii generalis. Proinde, vel neget hujus concilii auctoritatem, vel concedat, sanctos homines pie invocari posse. Atque hæc de quatuor conciliis.

Restat, ut de sanctorum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, veneratione dicamus : ac ut omittam, non posse reddi

(a) *Ex quarto concilio generali convincuntur hæretici hujus temporis.*

certam rationem, cur non sint etiam admittendi sanctus Gregorius, venerabilis Beda, sanctus Anselmus, sanctus Bernardus, sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, et alii, qui posterioribus sæculis, sed eodem spiritu, nec minore scientia scripserunt, ex iis quæ rex in sequentibus paginis reprehendit, conabor ostendere, fidem regis cum fide Patrum nihil habere commune.

CAPUT VIII.

Non esse recentia dogmata, sed antiquissima, intercessionem Sanctorum, Missam privatam, transubstantiationem, et alia, quæ rex Angliæ novitia et nupera vocat.

Igitur pag. 40. et 41. De Beatissima Virgine Dei Matre scribit multa, quæ ex colloquiis Erasmi petita, ad solam invidiam conciliandam pertinent, qualia sunt, quod nos Catholici divam, et deam faciamus; quod ab ea petamus, ut filio suo Deo, et Domino imperet, et dominetur; quod absurdis cujuslibet inepti hominis orationibus pateat; quod in terras ad Sacerdotum oscula, et complexus descendat, et concludit : « In cœlis, in æterno Sanctorum animarum receptaculo, in æternam est felicitatem collocata, numquam a tantis gaudiis ulla terrenarum rerum cura, aut sollicitudine avocanda. »

At prudentes, et bene instituti Catholici, (a) neque divam, neque deam vocant : neque ab ea petunt, ut filio imperet, et dominetur : neque dicunt, eam ad oscula, et complexum Sacerdotum descendere; neque sentiunt eam a cœli gaudiis avocari, quando curam gerit rerum humanarum, sive sola prece apud Deum agat, sive præsentiam suam mortalibus exhibere dignetur. Nam neque Angeli a Cœli gaudiis avocantur, quando a Deo in ministerium mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ut dicitur ad Hcb. 1.

Quod autem virgo sanctissima et clementissima non audiat preces miserorum, vel aliquando non descendat ad homines, repugnat aperte sanctis Patribus, qui primis quingentis annis floruerunt. Adferam panca de multis, quibus nulli veterum contradicunt.

Sanctus Athanasius in serm. de sanctissima Deipara : « Inclina, inquit, aurem tuam ad preces nostras, et ne obliviscaris populi tui » : et infra : « Intercede hæra, et Domina, et Regina, et Mater Dei pro nobis. »

Sanctus Joannes Chrysostomus in ipsa publica Liturgia coram Clero, et populo dicendum præscribit : « Intercessione immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, et semper Virginis Mariæ, dignum me fac, ut sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum etc. » Et infra : « Confirma nos in timore tuo, custodi vitam nostram, stabili gressus nostros precibus, et supplicationibus sanctæ Deiparæ, et semper Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum. »

Sanctus Gregorius Nyssenus in vita sancti Gregorii Taumaturgi scribit, eidem sancto Gregorio (b) apparuisse noctu beatissimam Virginem cum ingenti lumine, et una sanctum Joannem Evangelistam, et ipsa Virgine jubente, institutum fuisse sanctum Gregorium ab eodem Evangelista circa mysterium sanctissimæ Trinitatis : hæc scribuntur a Patre antiquo, et sancto de alio Patre antiquiore, nec minus sancto; et non referuntur somnia, aut figmenta, sed apparitio vera vigilanti facta, et exstat adhuc confessio fidei a S. Joanne S. Gregorio coram tradita, et tota illa regione celebratissima.

Refert quoque sanctus Gregorius Turonicus lib. de Gloria Martyr. cap. 9. cum jussu Magni Constantini Basilica ædificaretur Beatissimæ Virgini Mariæ, et columnæ adeo immanes paratæ essent, ut hominum viribus, non sine maximo labore erigi possent, ipsam Virginem apparuisse architecto, ac docuisse rationem columnarum erigendarum.

Neque solam Virginem deiparam, sed etiam alios Sanctos palam apparuisse hominibus, testantur passim veteres Patres, ut sanctus Basilius, in orat. de sancto Mamante, sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum, Sulpitius in vita sancti Martini, Theodoretus lib. v. hist. cap. 24. sanctus Paulinus Natali 8. sancti Felicis. Sed unum Augustinum audiamus in lib. de cura pro mortuis, cap. 16. : « Non solum, inquit, beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis

(a) *Refelluntur calumniæ circa cultum B. Virginis Mariæ.* — (b) *Apparitio admiranda, et verissima B. Virginis Mariæ.*

lius sedere, et judicare. Exstat autem Epistola græce, et latine. « Igitur, » inquit Theodosius, « Candidianum præclarissimum religiosorum domesticorum comitem ad sacram vestram synodum abire jussimus : sed ea lege, et conditione, ut cum quæstionibus, et controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat, nefas est enim qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, et consultationibus admisceri; verum, ut Monachos, et sæculares, ac cæteros denique omnes, qui hujus spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum forte confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus submoveat : tum etiam, ut diligenter prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi studio coacta, et sævæ tempestatis instar debacchata, sanctissimæ synodi vestræ consultationem, quovis modo perturbet : » hæc ibi.

Videt certe rex in conciliis Ecclesiæ legitimis, quale hoc tertium fuit, non convenisse omnes Ecclesiasticos, sed solos Episcopos. Videt præterea negotia Ecclesiastica ad reges sæculi non pertinere; nisi ut forte protegant Episcopos, atque eorum tranquillitati consulant, qua de causa Theodosius candidianum misit; et in primo, et quarto concilio imperator ipse adesse voluit. Videt postremo ex his apertissime colligi, regem non esse caput Ecclesiæ : quomodo enim ab Ecclesiasticis negotiis arceretur Ecclesiæ ipsius caput? Proinde rex, qui caput, vel, quod idem est, gubernatorem generalem Ecclesiæ regni sui se esse dicit, quique Concilia generalia ad reges potissimum pertinere existimat, qui denique omnes Ecclesiasticos adesse vellet, exceptis Puritanis, et Jesuitis, novam conciliorum formam, atque ab illis primis quatuor penitus abhorrentem introducere satagit.

(a) Ex quarto concilio posset rex si vellet multa perdiscere, unde cognosceret, fidem, et religionem, quam ipse reformatam vocat, et quam defendere, et propagare satagit, longe abesse a fide, et religione synodi Chalcedonensis, quæ est quarta generalis. Primum omnium verus Ecclesiasticus primatus Romani Pontificis in Ecclesia universa, ex hoc concilio manifeste colligitur. Exstant epistolæ plurimæ ad Leonem Pontificem, et concilium Chalcedonense, et semper nomen Pontificis nomini concilii anteponitur, hoc modo. « Sanctissimo, et Deo amantissimo, et universali Archiepiscopo, et Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, et sanctæ, et universali Chalcedonensi synodo, quæ voluntate Dei congregata est. » Exstat Epistola totius concilii generalis ad eumdem Leonem, ubi præter alia dicunt Patres : « Quibus omnibus, Episcopis congregatis, tu quidem sicut membris caput præeras. » Ubi aperte vocant Pontificem caput concilii universam Ecclesiam repræsentantis. Item dicunt : « Et post hæc omnia insuper, et contra ipsum, cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem. » Ubi fatentur totius vineæ, id est, Ecclesiæ custodiam ab ipso Christo, non ab imperatore, vel a concilio, commissam esse Romano Pontifici.

Exstat item inter canones hujus concilii, canon sextus decimus in hæc verba : « Virginem, quæ se Deo Domino consecravit, similiter et Monachum non licere nuptialia jura contrahere, quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. » Videat rex an iste canon tam antiquus, tam sanctus a sexcentis Episcopis veteris Ecclesiæ constitutus, observetur in Anglia : an contra, si qui Monachi aut virgines sanctimoniales ad eos forte divertant, an ad matrimonium cogantur, vel suadeantur.

Exstat canon vicesimus quartus, in hæc verba : « Quæ semel ex voluntate Episcopi dedicata sunt Monasteria, Concilio Episcoporum perpetuo manere monasteria et res quæ ad ea pertinent, monasteriis reservari : nec posse ultra fieri sæcularia habitacula. » Cogitet rex, quam bene canonem istum observaverit Henricus VIII. qui omnia monasteria profanavit.

Exstat denique in actione undecima hujus concilii publica invocatio sancti Martyris Flaviani, quæ vel sola satis esset ad ostendendum, fidem regis non convenire cum fide concilii generalis. Proinde, vel neget hujus concilii auctoritatem, vel concedat, sanctos homines pie invocari posse. Atque hæc de quatuor conciliis.

Restat, ut de sanctorum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, veneratione dicamus : ac ut omittam, non posse reddi

(a) *Ex quarto concilio generali convincuntur hæretici hujus temporis.*

certam rationem, cur non sint etiam admittendi sanctus Gregorius, venerabilis Beda, sanctus Anselmus, sanctus Bernardus, sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, et alii, qui posterioribus sæculis, sed eodem spiritu, nec minore scientia scripserunt, ex iis quæ rex in sequentibus paginis reprehendit, conabor ostendere, fidem regis cum fide Patrum nihil habere commune.

CAPUT VIII.

Non esse recentia dogmata, sed antiquissima, intercessionem Sanctorum, Missam privatam, transubstantiationem, et alia, quæ rex Angliæ novitia et nupera vocat.

Igitur pag. 40. et 41. De Beatissima Virgine Dei Matre scribit multa, quæ ex colloquiis Erasmi petita, ad solam invidiam conciliandam pertinent, qualia sunt, quod nos Catholici divam, et deam faciamus; quod ab ea petamus, ut filio suo Deo, et Domino imperet, et dominetur; quod absurdis cujuslibet inepti hominis orationibus pateat; quod in terras ad Sacerdotum oscula, et complexus descendat, et concludit : « In cœlis, in æterno Sanctorum animarum receptaculo, in æternam est felicitatem collocata, numquam a tantis gaudiis ulla terrenarum rerum cura, aut sollicitudine avocanda. »

At prudentes, et bene instituti Catholici, (a) neque divam, neque deam vocant : neque ab ea petunt, ut filio imperet, et dominetur : neque dicunt, eam ad oscula, et complexum Sacerdotum descendere; neque sentiunt eam a cœli gaudiis avocari, quando curam gerit rerum humanarum, sive sola prece apud Deum agat, sive præsentiam suam mortalibus exhibere dignetur. Nam neque Angeli a Cœli gaudiis avocantur, quando a Deo in ministerium mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ut dicitur ad Hcb. 1.

Quod autem virgo sanctissima et clementissima non audiat preces miserorum, vel aliquando non descendat ad homines, repugnat aperte sanctis Patribus, qui primis quingentis annis floruerunt. Adferam panca de multis, quibus nulli veterum contradicunt.

Sanctus Athanasius in serm. de sanctissima Deipara : « Inclina, inquit, aurem tuam ad preces nostras, et ne obliviscaris populi tui » : et infra : « Intercede hæra, et Domina, et Regina, et Mater Dei pro nobis. »

Sanctus Joannes Chrysostomus in ipsa publica Liturgia coram Clero, et populo dicendum præscribit : « Intercessione immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, et semper Virginis Mariæ, dignum me fac, ut sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum etc. » Et infra : « Confirma nos in timore tuo, custodi vitam nostram, stabili gressus nostros precibus, et supplicationibus sanctæ Deiparæ, et semper Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum. »

Sanctus Gregorius Nyssenus in vita sancti Gregorii Taumaturgi scribit, eidem sancto Gregorio (b) apparuisse noctu beatissimam Virginem cum ingenti lumine, et una sanctum Joannem Evangelistam, et ipsa Virgine jubente, institutum fuisse sanctum Gregorium ab eodem Evangelista circa mysterium sanctissimæ Trinitatis : hæc scribuntur a Patre antiquo, et sancto de alio Patre antiquiore, nec minus sancto; et non referuntur somnia, aut figmenta, sed apparitio vera vigilanti facta, et exstat adhuc confessio fidei a S. Joanne S. Gregorio coram tradita, et tota illa regione celebratissima.

Refert quoque sanctus Gregorius Turonicus lib. de Gloria Martyr. cap. 9. cum jussu Magni Constantini Basilica ædificaretur Beatissimæ Virgini Mariæ, et columnæ adeo immanes paratæ essent, ut hominum viribus, non sine maximo labore erigi possent, ipsam Virginem apparuisse architecto, ac docuisse rationem columnarum erigendarum.

Neque solam Virginem deiparam, sed etiam alios Sanctos palam apparuisse hominibus, testantur passim veteres Patres, ut sanctus Basilius, in orat. de sancto Mamante, sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum, Sulpitius in vita sancti Martini, Theodoretus lib. v. hist. cap. 24. sanctus Paulinus Natali 8. sancti Felicis. Sed unum Augustinum audiamus in lib. de cura pro mortuis, cap. 16. : « Non solum, inquit, beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis

(a) *Refelluntur calumniæ circa cultum B. Virginis Mariæ.* — (b) *Apparitio admiranda, et verissima B. Virginis Mariæ.*

hominum aspectibus Confessorem apparuisse Felicem audivimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. » Denique ut multa omittam, numquam idem Constatinus Magnus Urbem Constantinopolim sanctissimæ Deiparæ dedicasset, quod eum fecisse scribit Nicephorus lib. VIII. cap. 26. nisi credisset multum eidem Urbi patrocinium tantæ Virginis profuturum.

Pergit deinde rex, ac de intercessione sanctorum scribit : « Scio ego Christum præcepisse, ut ad ipsum veniamus, quicumque peccatis oneramur, illum quippe nos refecturum, et levaturum. Scio Paulum, humilitatem, et religionem Angelorum probibuisse, omnemque ejusmodi venerationis cultum in superstitione, et humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis, sed qua fiducia, quove auctore decurratur ad Deos penates istos, sive titulares, quasi aulicos, et familiares Dei Optimi Maximi nescio. »

Sed nos hoc loco non controversias disputandas suscepimus, sed quo honore veteres Patres primorum quingentorum annorum rex afficiat, demonstrare voluimus. Ostendimus autem paulo ante, id est, in primo cap. hujus Apologiæ, veteres Patres Græcos, et latinos magno consensu intercessionem Sanctorum verbo, et exemplo docuisse. Quare falsum est quod rex subjungit pag. 42. istos articulos ante Christi quingentesimum annum inauditos, et invisos in Romana officina recenter esse excusos.

Ad id vero quod rex objicit, Christum recepisse, ut ad ipsum veniamus ; (*a*) respondeo, ad Christum nos venire, sive ad ipsum per nos, sive per alios adeamus. Nam et Evangelista Matthæus cap. VIII. scripsit : *Accessit ad eum centurio* : cum tamen non per se accesserit, sed per alios, dicente eodem centurione, apud Lucam cap. VII. *me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te;* vere enim non ipse per se accesserat, sed miserat seniores Judæorum : et cum audisset Dominum ad se venire, misit iterum amicos dicens : *Domine, noli vexari, non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres.* Neque ideo falsum est, quod ait Matthæus : *Accessit ad eum centurio* (1). Sic igitur et nos vere ad Christum accedimus, cum ad eum per intercessionem Sanctorum accedimus : vere quoque semper ad Patrem per Christum accedimus, cum Sanctos oramus, ut a Deo Patre per Christum nobis impetrent ea, quibus indigemus. Neque enim Sanctis locum Dei, aut Christi damus ; neque eos pro diis, aut pro Christo habemus, sed eos rogamus, ut quæ nos a Deo per Christum optamus, et petimus ; eadem ipsi, qui Deo propinquiores, et gratiores sunt, nobis a Deo per Christum impetrare dignentur.

Ad illud autem de Religione Angelorum (*b*); Respondeo cum Patribus eum locum Apostoli explicantibus, doctrinam fuisse hæreticorum, neminem posse per Christum ad Deum accedere, sed per Angelos, qui et mundum fecissent, et per Prophetas loquuti essent : horum igitur fictitiorum Angelorum religionem Paulus prohibet. Sunt nonnulli, inquit sanctus Joannes Chrysostomus homil. 7. in epist. ad Coloss. qui dicunt, non oportere de Christum reconciliari, et ad Patrem accedere, sed per Angelos : propterea Paulus, sursum ac deorsum quæ de Christo sunt versat. Sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 10. addit, reprehendi ab Apostolo eos, qui Angelis, ut Diis sacrificabant. Christianos autem Angelis, vel Sanctis sacrificasse nemo demonstrare potest.

Pergit rex pag. 42. et ait : « Quod si Romanæ Ecclesiæ officina fidei articulos, ante quingentesimum Christi annum inauditos, et invisos recenter excudit ; non sum credo damnandus pro hæretico, si ad hæc novitia, et nupera non accedam. In his articulis privatas illas Missas numero, in quibus sacrificus simul, et populi personam, et sacerdotis sustinet. In his quoque est sacramenti mutilatio, qua laicis partem illius mediam subtraxerunt, transubstantiatio, adorandi causa elevatio, in supplicationibus Sacramenti circumgestatio, supererogationis opera, quibus thesauri Ecclesiastici nomen jure optimo accommoduverunt, baptizatio Campanarum, et mille præterea nugæ, et quidem super omnia illa veneratio statuis, imaginibusque delata. »

Non esse hæc novitia, et nupera, et horum pleraque non esse ante quingentesimum Christi annum inaudita, facile demonstrabo ;

(1) Matth. VIII, 5 ; Luc. VII. 7.

(*a*) *Solvitur objectiuncula adversus invocationem Sanctorum.* — (*b*) *Solvitur alia objectiuncula.*

sed etiam si novitia, et nupera essent, non ideo rex qui ea negat, ab hæresi immunis esset (*a*). Habet enim Ecclesia Catholica, cum novæ controversiæ exoriuntur, jus eas explicandi, et terminandi ; et eos qui non obediunt, hæreticos declarandi, et a communione sua ejiciendi. Neque poterit unquam vera ratio reddi, cur licuerit Nicæno primo concilio quæstionem ab Ario motam definire, et Arianos hæreticos dicere ; concilio Constantinopolitano primo quæstionem a Macedonio, et Eunomio allatam, explicare, et Macedonianos, atque Eunomianos hæreticos declarare ; concilio Ephesino primo quæstionem a Nestorio introductam profligare, et Nestorium hæreticum proclamare ; concilio Chalcedonensi quæstionem ab Eutychete, et Dioscoro agitatam componere, et Euthychetem, et Dioscorum inter hæreticos numerare : et non licuerit postea concilio secundo Constantinopolitano quæstionem de tribus capitulis motam definire, et qui contra sentiebant hæreticos dicere ; neque concilio tertio Constantinopolitano quæstionem a Cyro, et Sergio Monothelitis allatam explicare, et Monothelitas hæreticos declarare. Neque concilio Nicæno secundo quæstionem ab Iconomachis introductam profligare, et Iconomachos hæreticos proclamare ; neque concilio Lateranensi quæstionem de veritate corporis Domini a Berengario agitatam componere, et Berengarium inter hæreticos numerare ; neque (ut alia omittam) concilio Tridentino quæstiones a Luthero, et Calvino disputatas examinare, et judicare, et Lutheranos, et Calvinianos in hæreticorum numerum referre. Eadem enim est semper Ecclesia, eadem auctoritate, et potestate prædita ; et cum ea semper erit ille qui dixit : Ecce ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem.

Sed veniamus ad missas privatas, quas rex novitias, et nuperas dixit (*b*). Missas privatas, id est, in quibus nulli participant Eucharistiam, præter Sacerdotem, non esse novitias, et nuperas, testatur sanctus Joannes Chrysostomus, qui homil. 3. in epist. ad Ephesios queritur de populo suo, qui rarissime ad communionem accedebat, cum quotidie Missa celebraretur : « Frustra, inquit, habetur quotidiana oblatio, cum nemo sit, qui simul participet. » At, inquies, si frustra fiebat, non debuisset fieri : sed quæstio nostra non est, an recte fieret, sed tantum an fieret. Rex enim dicit rem esse novitiam, et ante annum Domini quingentesimum inauditam, et invisam. Et tamen Chrysostomus qui vixit ante annum quingentesimum testatur quotidie suo tempore celebratam fuisse oblationem, et neminem cum Sacerdote simul participasse.

Nec tamen concedimus non debuisse fieri oblationem sine participantibus ; alioqui enim sanctus Joannes vir sapiens, et doctus eam non fecisset. Quod ergo dicit frustra fieri, significat, frustra fieri in ordine ad communicantes, non frustra in ordine ad Deum. Optabat enim Chrysostomus, ut etiam optare se dicit Tridentina synodus sess. 22. cap. 6. ut simul offerretur sacrificium Deo, et populus communione reficeretur : sed si populus communione refici negligeret ; non ideo sacrificium Domini omittendum erat.

Habemus præterea alia exempla veterum, qui interdum sacrificium offerebant pro causa tam particulari, et in loco tam angusto ; ut non sit ullo modo credibile adfuisse ullos communicantes. Scribit sanctus Augustinus lib. IX. Confess. cap. 12. dum mater ejus apud Ostia Tyberina sepeliretur, oblatum fuisse sacrificium corporis Domini pro anima ejus, cadavere juxta sepulchrum constituto. Scribit etiam lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. Unum e suis presbyteris sacrificium corporis Domini obtulisse in domo quadam rustica ad eamdem domum a malignorum spirituum vexatione purgandam. Certe locus, et causa satis arguunt, non adfuisse qui communicarent. Sanctum quoque Gregorium Nazianzenum in exigua cellula extructo Oratorio oblationem celebrare solitum testatur Sozomenus, lib. VII. hist. cap. 5, quæ loci angustiæ populum communicantem non admittebant.

Sed ratio præcipua, cur Novatores mirentur, quod in Ecclesia Catholica celebretur mysterium Eucharistiæ sine participantibus, est, quia non credunt Eucharistiam institutam fuisse a Domino, ut offerretur Deo in sacrificium ; sed solum, ut sacramentum communionis esset, et populo offeretur in alimoniam spiritualem : si enim sacrificium admitterent, facile intelligerent, posse sacrificium offerri Deo pro populo, etiam si po-

(*a*) *Ecclesia Catholica jus habet novas hæreses damnandi.* — (*b*) *Missa privata non est res, sed antiquissima.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pulus de sacrificio non participet manducando, modo participet impetrando.

Et quoniam sciebat rex sacrificium Missæ esse antiquissimum, et mentionem ejus a Patribus omnibus fieri, quippe qui scripsit in suo Basilico Doro lib. III. antiquitatem sine veritate, esse vetustatem erroris; idque etiam de Missa dici posse affirmat; ideo non fuit ausus inter res novas ponere sacrificium, sive Missam, sed solum Missam privatam, quam non facile arbitrabatur in libris veterum Patrum inveniri posse. Sed cum Missam, vetustatem erroris esse pronuntiavit, non potuit divinare, in hac præfatione scripturum se fuisse, so reprehendere non ausurum, quod Patres primorum quingentorum annorum unanimi sententia docent. Neque enim vetustas erroris, sed potius testimonium veritatis dici debet, quod sanctissimi, doctissimi et antiquissimi Patres unanimi consensu prædicant.

Vide si placet de sacrificio Missæ, id est, de oblatione Eucharistiæ Deo in sacrificium, S. Justinum in dialogo cum Triphone, S. Irenæum lib. IV. cap. 32. 33. et 34. Tertullianum lib. de Corona militum, et lib. III. contra Marcionem, S. Cyprianum lib. I. epist. 9. et lib. I. contra Judæos cap. 16. Eusebium Cæsariensem lib. I. de demonst. Evang. cap. ult. S. Ambrosium lib. II. epist. 8. et in Ps. XXXVIII. S. Gregorium Nyssenum in orat. de Resurr. S. Basilium in Liturgia, S. Joannem Chrysostomum hom 24. in priorem ad Corinth. et hom. 17. in epist. ad Hebræos, S. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 5. mystagogica, S. Hieronymum in primum cap. Malachiæ. S. Augustinum lib. IV. de Trinit. cap. 14. et lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. S. Cyrillum Alexandrinum in lib. de adoratione in spiritu, et veritate. S. Leonem serm. 8. de passione Domini. S. Fulgentium lib. II. ad Monimum cap. 2.

Secundo loco inter novitia, et nupera rex ponit Sacramenti mutilationem, quod videlicet apud nos populus sub una specie communicet. Sed nos nullam scimus in Ecclesia fieri sacramenti mutilationem, neque partem dimidiam laïcis esse subtractam. Siquidem duæ species Eucharistiæ necessario requiruntur ad sacrificium, et si in sacrificio altera deesset, recte dici posset sacrificium mutilatum (*a*). At ad essentiam sacramenti Eucharistiæ quælibet ex duabus sufficit; proinde sacramentum sub specie panis, est verum, atque integrum sacramentum; et sacramentum sub specie vini verum atque integrum sacramentum est: nec tamen sunt duo Sacramenta, quando simul sumuntur per modum unius refectionis; secus autem si unus sumeret Eucharistiam sub specie panis, et alius sub specie vini; vel si unus, et idem sumeret, hodie sub specie panis, alio die sub specie vini.

Simile est in baptismo, si quis unica mersione baptizetur, integrum baptismum recipit; et si baptizetur tribus mersionibus, integrum etiam baptismum recipit. Si vero unus unica mersione, et alius trina mersione baptizetur; vel unus, et idem hodie unica mersione, cras altera, et tertia die tertia mersione baptizetur, multa baptismata erunt. Et quemadmodum Ecclesia Catholica jus habuit, aliquando jubere, ut trina mersione baptismus daretur; aliquando, ut unica tantum mersione id fieret; sic etiam eadem Ecclesia jus habuit aliquando liberum relinquere, ut sub una specie, vel sub duabus Eucharistia reciperetur; aliquando jubere, ut sub una tantum reciperetur. Quod autem ab initio Ecclesiæ non deessent, qui sub una tantum specie communicarent, nec tamen Sacramentum mutilare dicerentur, multis testimoniis antiquitatis probare possumus.

Primum initio Ecclesiæ adhuc servabantur cæremoniæ legis, ut notum est ex cap. XXI Actorum Apostolorum, inter quas una erat (*b*) votum Nazaræorum non bibendi vinum. Non est autem credibile, hos contra votum suum bibisse de calice Domini: quamvis enim in calice Domini non adsit vini substantia: adsunt tamen accidentia, sapor, color, calor, et similia: Nazaræi autem tanta religione abstinebant a vino, et omni quod inebriare potest, ut ne uvas quidem passas gustare possent, Num. VI. Itaque propter hunc tantum Religionis rigorem omnino credibile est, Nazaræos eo tempore non fuisse ausos vini saporem gustare. Neque tamen credibile est, eos omnino a communione abstinuisse. Restat igitur, ut sub sola specie panis communicaverint. Atque hæc ratio est cur sanctus Lucas Act. II. scripserit: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et oratione.* Ubi non addidit quidquam de calice, sed solum meminit fractionis panis, quoniam ab ea specie nulli se abstinebant. Neque negant adversarii, in hoc loco per fractionem panis intelligi distributionem Eucharistiæ. Id certe admittit Joannes Calvinus lib. IV. Instit. cap. 17. §. 33. Eadem fortasse causa est, cur Apostolus de calice scripserit I Corinth. X. *Calix benedictionis, cui benedicimus:* de pane autem, *Panis quem frangimus* (2). Calix enim semper benedicebatur: sed non semper omnibus distribuebatur; panis autem semper frangebatur, id est, dividendo porrigebatur. Unde paulo infra: *Unus panis*, inquit, *et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus:* neque de calice aliquid addidit, quoniam ut unum corpus simus, hoc sufficit, ut de uno pane participemus.

(*a*) Deinde Manichæi sub sola specie panis Eucharistiam sumebant, ut disertis verbis scribit sanctus Leo serm. 4. de Quadragesima, ubi etiam addit, eos ut Romæ a Catholicis internosci non possent, solitos cum Catholicis panem Eucharistiæ fumere, a calice autem abstinere. Quod si necessarium fuisset eo tempore Eucharistiam sub utraque specie sumere; et omnes fideles eam sub utraque specie semper accepissent: neque Manichæi latere potuissent, qui a vino semper abstinebant; et S. Epiphanius, et S. Augustinus inter errores Manichæorum numerassent, Eucharistiam sumere sub una specie, et eo modo Sacramentum mutilare. Cum ergo numquam inter errores Manichæorum in positum fuerit, et diu inter Catholicos Manichæi ob communionem latuerint, perspicuum est in veteri Ecclesia non defuisse, qui sub una tantum specie communicarent.

(*b*) Præterea mos erat antiquissimis temporibus, ut qui vellent, Eucharistiam in manibus sumerent, ac domum deferrent sumendam, cum eis opportunum videretur. Id testatur Tertullianus lib. II. ad uxorem, S. Cyprianus in serm. 5 qui est de lapsis, Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum, S. Basilius in epist. ad Cæsariam, S. Hieronymus in Apologia pro libris adversus Jovinianum. Certum autem est, Eucharistiam numquam fuisse datam in manibus, nisi sub specie panis: nam sub specie vini, aut offerebatur ore bibenda, aut omittebatur. Neque ulli erant in domibus laïcorum calices sacri ad Eucharistiam sub vini specie conservandam, ut aperte colligitur ex sancto Athanasio Apologia 2. adversus Arianos; efficitur igitur, ut sæpissime Christiani Ecclesiæ primitivæ sub una tantum specie communicarent. Neque audiendus est quidam ex adversariis, qui absurdum esse judicat in Ecclesia communicare sub una specie, in domo privata non esse absurdum. Quasi vero liceat, in domibus privatis mutilare Sacramenta, in sola vero Ecclesia id non liceat, vel quasi mutilatio Sacramenti, non sit mala, nisi ratione loci.

(*c*) Denique (ut alia multa præteream) extra controversiam est, apud veteres consuevisse deferri ad ægrotos Eucharistiam sub sola specie panis, ut notum est ex epist. Dionysii Episcopi Alexandrini apud Eusebium lib. VI. hist. cap. 36. ex vita S. Ambrosii a Paulino scripta, ex vita S. Basilii scripta ab Amphilochio. Neque tamen Sacramentum mutilari veteres Patres ea deportatione censebant.

Tertio loco inter novitia, et nupera numerat rex transubstantiationem. Et siquidem de voce quæstio sit, (*d*) nomen transubstantionis invenitur in concilio Lateranensi omnium frequentissimo, sub Innocentio III. Pontifice ante annos circiter quadringentos celebrato, quod autem ante annos circiter quadringentos in usu fuit, videat rex, an recte novitium, ut nuperum appelletur; sed si de re ipsa agatur, certe transubstantiatio, id est, substantialis transmutatio, non solum ante annos quadringentos, sed ante mille et ducentos a Patribus usurpari cœpit.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi IV. mystagogica: « Aquam, inquit, aliquando in unum commutavit; et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutaverit? » Hæc ille. Mutationem aquæ in vinum factam in Cana Galilææ per Christi omnipotentiam, veram, realem, substantialemque fuisse rex profecto non negabit, at illi similem esse dicit auctor gravissimus, qui ante annum Christi quadringentesimum vixit, mutationem vini in sanguinem Christi, per ejusdem omnipotentiam Christi.

(1) Luc. II, 42; I Corinth. X, 16.

(*a*) *Sumptio Eucharistiæ sub una specie, non est sacramenti mutilatio, neque res nova.* — (*b*) *Primum exemplum antiquitatis pro communione sub una tantum specie.*

(*a*) *Alterum exemplum antiquitatis.* — (*b*) *Tertium exemplum.* — (*c*) *Quartum exemplum.* — (*d*) *Dogma de transubstantiatione antiquissimum est.*

Sanctus Ambrosius Cyrilli fere æqualis lib. De iis, qui initiantur mysteriis cap. 9. « Quantis, inquit, utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. » Hæc ille, quod si panis consecratus non est panis, quem natura formavit, sed est corpus Christi, consecratione naturam panis mutante : ergo transmutatio «substantiæ panis in substantiam corporis Dominici consecrationis virtute facta est : transmutatio autem substantiæ in substantiam quid aptius, quam transubstantiatio dici potest? hoc enim modo figuræ in figuram transmutatio in Evangeliis transfiguratio dicta est, Matth. XVII.

Sanctus Gregorius Nyssenus ejusdem temporis auctor in oratione magna Catechetica cap. 37. « Recte, inquit, verbo sanctificatum panem in ei Verbi corpus credimus immutari » ; et infra : « Hæc autem tribuit virtus benedictionis in illud, rerum quæ videntur, panis, et vini naturam mutans. »

Sanctus Gaudentius ejusdem sæculi scriptor tract. 2. de Exodo : « Ipse, inquit, naturarum creator, et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia et potest, et promisit, efficit proprium corpus : et qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit. »

Sanctus Joannes Chrysostomus, qui et ipse ante annum quingentesimum floruit : homil. 83. in Matthæum : « Non sunt, inquit, humanæ virtutis opera proposita : nos ministrorum locum tenemus, qui vero sanctificat ea, et immutat, esse est » : et hom. de Eucharistia in Encæniis : « Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? absit, ne sic cogites ; sicut enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit : sic et hic puta mysteria consumi corporis substantia. »

Addam, et unum scriptorem, qui nomen sancti Cypriani gerit, sed quamquam non est ille Cyprianus Martyr notissimus, est tamen gravis, et valde antiquus, etiam adversariis testibus. Cyprianus igitur, sive quicumque est auctor Sermonum de operibus Cardinalibus Christi, in serm. de Cœna Domini : « Panis, inquit, iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro» : hæc ille, qui dum naturam, id est, substantiam mutari dicit, et effigiem, id est, accident a non mutari, eamque mutationem fieri omnipotentia verbi, non voluntatis significatione, veram ac realem transubstantiationem apertissime docet. O quitto cæteros auctores, quos qui videre copit, tum in nostris libris de controversiis, tum in aliis aliorum doctissimis scriptis inveniet.

Quarto loco rex ponit inter novitia, et nupera dogmata (*a*), adorationem sacramenti Eucharistiæ, id est, adorationem Christi Domini nostri in sacramento Eucharistiæ miro, sed vero modo præsentis : quamquam si rex crederet, quod Catholici credunt, Christum Deum, ac Dominum in Eucharistia vere esse præsentem ; non negaret opinor esse adorandum Ac ut breviter ostendamus, hanc adorationem non fuisse ignotam Ecclesiæ veteri, audi verba S. Ambrosii lib. III. de Spiritu sancto cap. 12. tractantis illud Psal. XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus* : « Per scabellum, inquit, intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adoraverunt. »

Audi sanctum Gregorium Nazianzenum in oratione de obitu sanctæ Gorgoniæ sororis suæ, ubi laudans pietatem Gorgoniæ ita scribit : « Ad altare procubuit, eumque qui supra illud colitur, magno cum clamore obtestans etc., » quid autem super altare colatur, docet sanctus Optatus Milevitanus, qui lib. VI. contra Parmenianum, vocat altare sedem corporis, et sanguinis Christi ; ubi certo tempore membra Christi superponuntur.

Audi S. Joannem Chrysostomum hom. 61. ad populum Antiochenum : « Si pura, inquit, sunt vestimenta, adora, et communica. »

Audi sanctum Augustinum tract. in Psalm. XCVIII. « Nemo, inquit, illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. »

Quod rex addit de Sacramenti circumgestatione in publicis supplicationibus (*b*) ; institutum fuit ab Urbano IV Pontifice ante annos plus trecentos, ut non possit dici res

(*a*) *Mos adorandi sacramentum Eucharistiæ, Ecclesiæ veteri non fuit incognitus.* — (*b*) *Circumgestatio Eucharistiæ ad pietatem excitandam rite instituta est.*

novitia, ac nupera, et cum hoc ad ritus, non ad dogmata pertineat ; mirum videri non debet, si primis quadringentis annis hæc res in usu non fuerit. Quia tamen hæc institutio in ipso suo et exordio viris doctissimis, et sanctissimis mirifice probata est : et non diu postea in concilio Viennensi generali confirmata, et per omnem Christi Ecclesiam propagata ; de ea rec e dici potest quod monet sanctus Augustinus in epist. 118. ad Januarium, cum aliquid per orbem tota frequentat Ecclesia ; quin hoc ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.

Quinto loco placuit regi inter novitia, et nupera numerare opera supererogationis, quibus dicit thesauri Ecclesiastici nomen jure optimo esse accommodatum. Sed mirum est, unde rex opera supererogationis novitia, et nupera esse dicat, (*a*) cum fuerint semper in Ecclesia, non solum testamenti novi, sed etiam veteris. Illa enim dicantur a nobis opera supererogationis, quæ non sunt imperata a Deo, et tamen illi gratissima sunt. Vota omnia quæ leguntur in scripturis testamenti veteris, Levit. XXVII. Num. VI. et XXX. Deuter. XII. et XIII. erant de rebus nusquam præceptis, et tamen gratissima erant Deo, ut ex eo colligitur, quod severissime eorum solutio exigebatur. Deuter. XXIII. : *Si votum roveris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus ; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum : si nolueris polliceri absque peccato eris* (1). Eu ut perspicue Scriptura dicit, votum libere fieri, ac per hoc esse opus supererogationis, et tamen postquam factum est, severe a Deo exigi, ut rem sibi gratam.

Sed adjiciamus testimonia veterum scriptorum, qui primis quingentis annis vixerunt. Origenes in comm. ad cap. XV. ad Rom. : « Ea quæ supra debitum facimus, non facimus ex præcepto : verbi causa, Virginitas, non ex debito solvitur, non enim per præceptum expetitur, sed supra debitum offertur. » S. Joannes Chrysostomus hom. 8. de pœnitentia : « Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi et ipsa superant mandata. » Sanctus Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 30. loquens de præceptis, et consiliis : « In illis, inquit, Dominus debitum imperat vobis : in his autem si quid amplius supererogaveritis, in reddendo reddet vobis » : idem sanctus Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli : « Amaverunt Virgines illam majorem pulchritudinem cordis sui, tamquam dicerent, quid jubes? ne adulteremus? hoc præcipis? amando te plus facimus, quam præcipis. » Hæc ille, qui satis aperte declaravit, quid sit quod a tea dixerat si quis amplius supererogaveritis : id enim est supererogare, plus facere, quam Deus præcipiat. Multa alia testimonia possem addere, sed in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.

Sexto loco ponit inter (*b*) novitia, et nupera, baptizationem campanarum, et mille præterea nugas : sed piget ad ista respondere, cum nemo nesciat, campanas in Ecclesia Catholica benedici, non baptizari, ut pleraque alia benedicuntur, et ut Apostolus de cibis loquitur 1 Timoth. IV. per verbum Dei, et orationem sanctificantur. Quod si vulgo aliquibus in locis campanæ benedictio baptismus dicitur ; id est eo fit, quod nomina campanis, dum benedicuntur, alicubi imponantur. Certe nusquam adversarii reperient, in campanarum benedictione dici : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sine quibus verbis baptismus proprie dictus constare non potest. Ille autem mille nugæ, mille Novatorum calumniæ sunt : qualis est ista de baptismo campanarum, quam sæpe apud Novatores, non sine admiratione impudentiæ ipsorum legi.

Septimo loco rex numerat inter novitia et nupera, reliquiarum, atque imaginum adorationem ; quam intolerabilem idololatriam esse dicit. Et quidem de antiquitate venerationis reliquiarum multa diximus in primo capite hujus nostræ Apologiæ : (*c*) de antiquitate venerationis imaginum sacrarum, nunc pauca dicamus. Julianus imperator apostata locupletissimum testimonium nobis præbebit : sic enim scribit, referente sancto Cyrillo lib. VI. in eumdem Julianum : « Omiseri homines, cum serventur arma, quæ magnus demisit Jupiter, hoc est, pater Martis, pignore dato, non verbo, sed re, quod civitatem nostram perpetuo protecturus sit, cessatis adorare, et colere? et interim Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte, et

(1) Deut. XXIII, 21.

(*a*) *Opera supererogationis in Scripturis sanctis fundamentum habent.* — (*b*) *Vetus calumnia de baptismo Campanarum.* — (*c*) *Imaginum sacrarum veneratio antiquissima est.*

ante domos pingentes ». Hæc ille, qui certe non objiceret Christianis, quod lignum Crucis, quod nihil est aliud, nisi imago Crucifixi, adorarent, ejusque figuram ad protectionem in fronte, et ante domos pingerent, nisi hoc ipse passim fieri vidisset, quo tempore Christianus erat. Hinc testimonio consonat Tertullianus, qui in Apologetico adversus gentes cap. 16. Christianos a paganis Religiosos crucis appellatos fuisse testatur.

Sed sanctos Patres audiamus. Sanctus Ambrosius in orat. de obitu Theodosii : « Sapienter, inquit, Helena egit, quæ crucem Christi in capite regum levavit, et locavit, ut Crux Christi in regibus adoretur. » Sanctus Hieronymus in epist. ad Eustochium de obitu Paulæ : « Postrata, inquit, ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. » Sanctus Joannes Chrysostomus in Liturgia : « Sacerdos, inquit, ad imaginem Christi caput inclinat. » Sanctus Basilius, referente Adriano Pontifice in epist. ad imperatores, quæ lecta est in septima synodo act. 2. : « Historias, inquit, imaginum illorum honore, et palam adoro : hoc enim nobis a sanctis Apostolis traditum. » Exstat carmen Lactantii Firmiani de Cruce, ubi inter cætera ait : « Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora. » Cui concinit Sedulius lib. v. carminis Paschalis dicens : « Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam. » Sanctus Augustinus lib. III. de Trinit. cap. 10. loquens de signis sanctis, qualia sunt sacramenta, imagines, et similia; et in specie nominat serpentem æneum, qui imago Christi crucifixi erat : « Sed, inquit, quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tamquam religiosa possunt habere, stuporem tamquam mira non possunt. »

Sed his omissis, quoniam rex dignatus est aliqua objicere adversus reliquiarum, et imaginum cultum, quod adversus missas privatas, transubstantiationem, et cætera non fecit : ad ea quæ objicit breviter respondeamus.

Primum de reliquiis dicit : (*a*) « Quod ad reliquias Sanctorum, si quas ejusmodi haberem, quas constaret Sanctorum corporum partes esse, eas ego honorificis tumulis solemniter inferrem : nec committerem, ut supremis defunctæ funeribus ad ejus infamiæ imaginem servarentur, quam perditis hominibus, publicoque judicio damnatis constituimus in pœnam ultra mortem duraturam. »

(*b*) Respondeo, multum interesse inter infamiam membrorum, quæ sub dio exponuntur injuriis cœli, et morsibus avium divexandæ : et honorem Sanctarum reliquiarum quæ pretiosis linteis obvolutæ, et argenteis thecis inclusæ, in sanctis basilicis asservantur.

Pergit rex : (*c*) « Sed cum reliquiarum, tum imaginum adorationem pro intolerabili idololatria habeo, atque abominor ; Iconomachus sane non sum. Non arguo si quis, aut fingere statuas, aut imagines pingere, sive ad publicum splendorem, sive ad privatorum hominum domesticos usus volet. Sed quod illas adorari, quod illis supplicari, quod aliquam Sanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum, scripturis vero in contrarium apertissime, atque ex diametro pugnantibus ita est oppositum, ut mirari non desinam, quod hominum ingenium, quæ Satanæ fraus hoc tam audax commentum Ecclesiæ Christianæ obtrudere attentarit.

(*d*) Respondeo : Idololatria est colere creaturam pro creatore, et imagini falsi, atque fictitii Dei (id enim est idolum) eum honorem habere, qui soli debetur Deo. Reliquias vero et imagines Sanctorum nemo unquam sensit, aut dixit esse imagines fictitiorum deorum : neque sensit, aut dixit habendas esse pro creatore, aut eo cultu adorandas, quo adorari debet Deus. Videat ergo rex qua ratione habeat pro intoleranda idololatria reliquiarum, et imaginum Sanctorum venerationem, cum neque reliquiæ, neque imagines sint idola, neque earum veneratio sit latria.

Porro Iconomachi dicti sunt, non qui statuas, atque imagines quascumque, et ex quocumque loco deturbabant ; sed qui ex templis, imagines, aut statuas Christi et Sanctorum sustalerunt, aut confregerunt ; (*e*) quod a Calvinianis passim factum esse, notissimum est : neque rex patitur, ut opinor, in templis Angliæ cruces, aut imagines palam exstare. Catholici vero, qui Iconomachos pro hæreticis habent, imagines quidem adorant, sed ea adoratione, de qua scriptum

(*a*) *Prima objectio adversus cultum reliquiarum, et imaginum.* — (*b*) *Solutio.* — (*c*) *Altera objectio.* — (*d*) *Solutio.* — (*e*) *Calviniani verissimi Iconomachi.*

est : *Adorate scabellum pedum ejus*, Psalm. XCVIII., ubi per scabellum pedum Domini, arca lignea intelligitur : non ea de qua legimus : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (1), Matth. IV. Imaginibus non supplicant, quippe qui sciunt eas sensum audiendi non habere, sed ante imagines prostrati supplicant Sanctis in cœlo cum Christo regnantibus, quorum illæ sunt imagines : sanctitatem aliquam imaginibus Sanctorum tribuunt, sed relativam, id est, quam habent ex eo, quod Sanctos ipsos repræsentant ; de quali sanctitate scriptum est, Exodi III. *Locus, in quo stas, terra sancta est*, et Josue V. *Locus in quo stas sanctus est*, et Ps. XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (2). Ex quo intelligimus falsum esse quod rex dicit, hæc omnia antiquis esse inaudita, et scripturis e diametro contraria quin potius antiquis (ut paulo ante ostendimus) notissima erant, et scripturis maxime cohærentia : ut non Satanæ fraus hæc Ecclesiæ obtruserit, sed pietas veterum conservarit, et impietas Novatorum everterit, ut omnia monimenta salutis oblivioni apud Christianum populum traderentur.

Pergit rex : (*a*) « Quæ tamen omnia exsanctur argutis hoc genus effugiis, et sophisticis distinctiunculis. Idolum scilicet nihil esse : se autem rerum, quæ sunt, et veri Dei imagines venerari. At Scriptura omnis rei a Deo conditæ similitudinem coli vetat, non igitur nihil fuit, cui Deus cultum deferri interdixit. Sed nec serpens æneus, nec corpus Moysis nihil erant : ille tamen contritus est, hoc absconditum, ne idololatriæ materiam causamque præberet. »

Respondeo : (*b*) Idolum nihil esse sententia Apostoli Pauli est I Corinth. X. quæ sententia non significat, idolum nihil omnino esse, cum sit res corporalis, et sensibus exposita ; sed (*c*) nihil esse ratione repræsentationis, quia Deum fictitium, et vanum, sive imaginarium, non realem, ac verum repræsentat. Inde recte nos colligimus, imagines Christi non esse idola quia verum Deum humanatum repræsentant imagines Sanctorum non esse idola, quia veros Dei amicos, et servos repræsentant. Quomodo etiam imagines regum, et imperatorum idolan sunt, quia veros homines repræsentant : quo sensu imago Jovis, si solum hominem illum repræsentaret, qui sepulcrum habet in insula Creta, idolum non esset ; sed cum existimatur repræsentare Jovem in cœlo sedentem, et tonantem, idolum est, et nihil est, quia Jupiter neque in cœlo est, sed in gehenna, neque fulminat, aut tonat, sed flagella, et supplicia sustinet.

Porro Scriptura non vetat coli similitudinem omnis rei creatæ, absolute ; sed omnis rei creatæ, quæ pro Deo accipiatur, nam Exodi XX. ubi prohibentur coli similitudines, omnium rerum, quæ sunt in cœlo, vel in terra, vel in aquis ; prius prohibentur fieri, et postea prohibentur coli : *Non facies*, inquit, *tibi sculptile, neque omnem similitudinem etc.*, et postea : *Non adorabis ea, neque coles* : at fieri absolute non est prohibitum, nisi fiant, ut habeantur pro diis : nam ipse Dominus jussit fieri ad ornatum Propitiatorii similitudines Cherubim, Exodi XXV. Et alias jussit fieri similitudinem serpentis, Num. XXI. Et rursum Salomon fecit in templo similitudines boum, leonum, et aliarum multarum rerum. Item declaravit Deus præceptum, non facies tibi sculptile, et omnem similitudinem, cum ait Exodi XX : *Non facietis mecum deos aureos, et argenteos* (3), id est, non facietis sculptile, vel similitudinem, quæ sit vobis pro Deo, ita ut non sim ego vobis solus Deus, sed sint alii mecum. Et rex ipse fatetur licitum esse fingere statuas, et pingere imagines. Quemadmodum igitur prohibitio imaginum faciendarum non est absoluta, sed restringitur ad imagines, quæ habentur pro diis ; sic etiam prohibitio imaginum colendarum, non est absoluta, sed restringitur ad imagines, quæ coluntur ut dii. Nam alioqui solebant Judæi venerari prostrati ad terram imagines Cherubim, et alia quæ erant in Propitiatorio. Sic enim loquitur sanctus Hieronymus in epist. ad Marcellam, qua exhortatur, ut commigret Bethlehem : « Venerabantur, inquit, quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, et arca, etc. »

Quod autem dixi venerationem, istam fuisse cum prostratione ad terram, colligitur ex voce hebraica in illis locis Psalm. v.

(1) Psalm. XCVIII. 5 ; Matth. IV, 10. — (2) Exod. III, 5 ; Jos. V, 16 ; Psalm. XCVIII, 5. — (3) Exod. XX, 23.

(*a*) *Tertia objectio.* — (*b*) *Solutio.* — (*c*) *Quo sensu dicatur ab Apostolo Idolum nihil esse.*

Adorabo ad templum sanctum tuum, et Psal. XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus* : vox enim hebraica השתחוו sonat, incurvate vos, sive prosternite vos ad templum ; et ad scabellum pedum ejus.

Jam vero serpens æneus, et corpus Mosis, quamdiu non habebantur pro diis, idola non erant, ac per hoc non nihil, sed aliquid erant. Sed cum cœpissent filii Israel sacrificare serpenti æneo ; cœperunt illum habere pro Deo, et tunc idolum evasit, et nihil ; quia Deum fictitium repræsentabat ; et ideo zelus sancti regis Ezechiæ illum confregit, IV Reg. XVIII. Corpus Mosis absconditum fuit, ne in idolum verteretur apud eos, qui ad idololatriam propensissimi erant, proinde non fuit unquam idolum, ideo semper aliquid fuit.

Pergit rex, et multum laborat, ut probet, (*a*) prohibitum esse imaginem Dei non solum coli, sed etiam fingi. Sed labore opus non est (*b*). Si enim agatur de imagine, quæ Deum ipsum, ut est in se, repræsentet, ejusmodi imago nulla ratione fieri potest : et hoc probant argumenta regis, cui nemo in hac parte contradicit, at si agatur de imagine, quæ repræsentet Deum incarnatum, non ratione deitatis, sed ratione carnis ; vel repræsentet Deum, non ut est in sua natura, et essentia, sed ut apparuit in specie hominis senis apud Danielem cap. VII, vel in specie sedentis in solio sublimi, et elevato apud Isaiam cap. VI, vel in specie columbæ Marci I. et Joan I., vel quomodo pinguntur virtutes ad significandas earum proprietates, quæ dici possunt imagines metaphoricæ non propriæ : his modis imaginem Dei nihil prohibet pingi, neque regis argumenta adversus ejusmodi imagines ullas vires habent.

Transit postea ad crucem Domini veram, ac negat ratione contactus sacratissimi corporis ullam ei venerationem deberi ; et adfert argumenta quædam Joannis Wiclefi, quod si Crux ob contactum veneranda est, veneranda etiam fuisse labia Judæ quæ Christum osculata sunt ; et manus illius ministri, qui Christum alapis cæcidit ; et alterius, qui eum Cruci affixit, quæ argumenta hæretici Angli jam olim refutavit Thomas Valdensis, insignis Catholicus Anglus.

Sed ut rex videat, (*c*) quantum absit a pietate sanctorum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, legat sanctum Cyrillum Hierosolymæ Episcopum Catechesi 10 et 13, et videbit, ex ligno sanctissimæ Crucis a sancta Helena invento, mundum pene totum continuo fuisse repletum, certatim ambientibus omnibus ejus particulas, legat sanctum Paulinum epistol. 12. ad Severum ubi dicit, se ad illum mittere partic lam veræ Crucis auro inclusam, ut summum, et pretiosissimum donum : legat eumdem Natali I sancti Felicis, et videbit incendium maximum particula sanctæ Crucis ostensa subito fuisse restinctum. Legat sanctum Joannem Chrysostomum in homil. Quod Christus sit Deus : et cognoscet ardorem fidelium in perquirendis particulis sanctæ Crucis, atque auro includendis. Legat sanctum Augustinum lib. XXII. de Civit. Dei, cap. 8. ubi scribit, ad terram sanctam ex monte Calvariæ allatam in Africam, miracula fieri solita, et se cum alio Episcopo eam infudisse, et orationis locum super eam constituisse. Quo, quæso, honore sanctus Augustinus prosequebatur crucem Domini, qui sic honoravit terram, quæ crucem ipsam attigerat?

Et quoniam rex adjungit, (*d*) etiam per umbram sancti Petri facta esse miracula, et tamen sanctum Petrum non fuisse passurum ut sua umbra, immo nec sua persona adoraretur, (*e*) audiat quid idem sanctus Augustinus dicat de umbra, et de vinculis sancti Petri. Sic enim loquitur in serm. 3. de SS. Apostolis Petro et Paulo : « Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum : si enim tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis ? Si in anis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis ? Quamvis autem sanctus Petrus ex virtute humilitatis non fuisset passurus, dum in terris viveret, ut sua persona, nedum umbra sua adoraretur ; tamen ob hanc ipsam humilitatem dignissimus est, qui non solum adoretur adoratione illa, quæ Sanctis convenit, non ea quæ soli Deo propria est ; sed ut ejus vincula, auro pretiosiora æstimentur, religioseque in Ecclesia universa colantur. »

(*a*) *Quarta objectio.* — (*b*) *Solutio.* — (*c*) *Pietas veterum Catholicorum in colendis particulis Crucis Dominicæ.* — (*d*) *Quinta objectio.* — (*e*) *Solutio.*

Post Crucem Domini spretam, transit rex ad purgatorium irridendum. « Jam, inquit, purgatorium, jam illa frivola, quæ id commentum consequuntur indigna existimo, in quibus opera ac tempus impendatur. Sane Bellarminus, nullum ei ex Scripturis fundamentum astruere potuit. Hoc eum tantummodo percontari velim, an viridis ille amœnusque campus, qui in purgatorio florentibus spatiis extenditur, interfluente rivo distinctus sit, ut si forte in eam regionem pervenero, aucupio tempus, ac otium fallam. »

Ego vero nisi ista contemnere decrevissem : responderem quod respondendum esse existimarem. Sed jam hoc solum non tacebo, quod præterire veritas ipsa prohibet. Falsum est in primis a Bellarmino, nullum fundamentum purgatorio ex Scripturis astrui potuisse. Siquidem lib. I. de Purgatorio Bellarminus, (*a*) viginti scripturæ sacræ testimoniis purgatorium astruxit. Addidit etiam testimonia Patrum etiam antiquissimorum, tum Latinorum, tam Græcorum. Et eodem lib. I. cap. 15. adversus Petrum Martyrem, qui scripserat purgatorium non pertinere ad dogmata fidei, demonstravit Bellarminus, purgatorium ad fidei dogmata ita perspicue pertinere, ut quodlibet aliud certissimum dogma fidei, ut nullo colore a manifesta hæresi excusari possit, qui purgatorium negat.

Deinde quia rex frivola vocat, quæ purgatorium consequuntur, et in eis numerat satisfactiones pro defunctis ; legat apud eumdem Bellarminum lib. I. de Purgatorio cap. 10. perspicua testimonia omnium Patrum Græcorum, et Latinorum, et cogitet, an frivola dici debeant, quæ unanimi consensu Patres antiquissimi docent, ab eo, qui in hac ipsa præfatione testatus est, se non ausurum reprehendere quæ Patres unanimi consensu docent. Deinde quod attinet ad viridem amœnumque campum purgatorii, sciat hæc a Bellarmino lib. II. c. 7. quem locum rex citat ad marginem, relata esse ex venerabili Beda, nobilissimo Anglico Doctore, atque ab illo petendum esse, an interfluente rivo distinctus sit Quamquam supervacanea cogitatio est, quemadmodum se habeat purgatorium apud eos qui purgatorium negant, cum satis constet, eos non purgatorium, sed gehennam manere.

Ultimo loco rex ponit Primatum S. Petri inter ea, quæ sibi admittenda non esse judicat ; atque hunc præcipuum articulum esse dicit, in quo a nobis dissentiat. Sic enim loquitur pag. 48. « Sed in hac omni ratione nondum Romanæ Religionis arcem attigimus, id est, caput Ecclesiæ, Petrique primatum, nam qui hunc articulum negant, ex Bellarmini sententia Catholicam fidem negant. Episcopos esse in Ecclesia debere, tanquam institutionem Apostolicam ac ordinationem proinde divinam contra Puritanos, contraque Bellarminum semper sensi, qui negat Episcopos a Deo immediate suam jurisdictionem accepisse ; sed nihil mirum a Puritanis eum stare, cum Jesuitæ nihil aliud, quam Puritanopapistæ sint. Et quo studio in Episcoporum, et Ecclesiasticæ Hierarchiæ (politici dumtaxat ordinis causa) defensionem semper incubui, eodem inconfusam illam anarchiam, et parilitatem Puritanorum invectus sum, ut vel ex Basilico meo Doro satis constat. »

Ita est omnino ; qui negant (*b*) caput Ecclesiæ S. Petrum fuisse, eumdemque Primatum in Apostolos habuisse, atque in eodem Primatu Romanos Pontifices S. Petro succedere, ii fidem Catholicam negant. Id multis libris non Bellarminus solus probatum reliquit, sed plurimi alii Doctores Catholici, atque inter alios Nicolaus Sanderus Anglus, in libris de visibili monarchia Ecclesiæ, quos hactenus a nullo scriptore refutatos vidimus.

Episcopos esse in Ecclesia debere, idque divina ordinatione ; nos etiam scimus et docemus. Sed alia quæstio est. Utrum Episcopi necessario esse debeant in Ecclesia, alia vero, Utrum immediate jurisdictionem a Deo accipiant, an a Petri successore. Nam presbyteri quoque et diaconi necessario, et divina ordinatione debent esse in Ecclesia ; et tamen jurisdictionem non a Deo immediate, sed ab Episcopis accipiunt. Itaque duo ista non pugnant inter se, Episcopi divina ordinatione sunt in Ecclesia, et jurisdictionem immediate a Pontifice summo accipiunt, neque ista quæstio apud nos ad fidem pertinet, sed inter Doctores libere disputatur.

Quod vero rex (*c*) Puritanos cum Jesuitis

(*a*) *Purgatorium in divinis litteris fundamentum habet.* — (*b*) *Primatus S. Petri, ejusque successoris Rom. Pontificis, ad fidem Catholicam pertinet.* — (*c*) *Inepta comparatio Jesuitarum cum Puritanis secum ipsa pugnat.*

comparet, omnino mirabile est, cum Puritani anarchiam, Jesuitæ monarchiam Ecclesiasticam pro viribus defendant. Neque minus admirabile est, quod rex hoc loco fateatur a Puritanis anarchiam, et paritatem quamdam introduci : et tamen in hoc ipso volumine, ubi quartum mendacium Torti refellit, dicat, Puritanos non abhorre a juramento primatus, sed quotidie suscipere, nec unquam recusasse. At si Puritani non abhorrent a juramento primatus, quam anarchiam, et paritatem introducunt? Denique mirum quoque est, quod rex tam iniquo animo ferat, quod Bellarminus scripserit, regem Jacobum in Scotia fuisse Puritanum, ut etiam hoc mendacium Cardinalitium vocet pag. 49. cum tamen exstet confessio Scotica a Puritanis ministris conscripta, et a rege subscripta Edemburgi die 28. Januarii anno Domini 1581. et regni ejus 14. quam confessionem scripto libro refutavit Episcopus Vasionensis, natione Scotus, et librum enim edidit Avenioni anno 1604. ut nunc omittam conjecturas alias; quas supra retuli. Nam de ista re sollicitus non sum, neque ad me pertinet : scripsi tamen bona fide, quod a testibus fide dignis audivi, et quod in libris aliorum legi.

Pergit rex pag. 50. atque admittere se dicit ordinem inter ipsos Episcopos, et Romanum Episcopum primum esse omnium Episcoporum, et addit pag. 51 non esse illum terrestrem hominem Ecclesiæ universæ monarcham; cum sit Christus Ecclesiæ suæ Monarcha, Christique vices expleat, quem venturum promiserat, Spiritus sanctus.

Hic vero rex eadem luce veritatis negavit, Pontificem Romanum Ecclesiæ universæ esse monarcham, qua (*a*) Spiritum sanctum affirmavit, Christi vices gerere, id est, Christi Vicarium esse. Nam cum ordinario inferior sit, qui alterius vices gerit, eo cujus vices gerit (nam et pro reges regibus, et vicarii Episcoporum Episcopis sunt inferiores) certe si Spiritus sanctus Christi vices gerit in Ecclesia regenda, Christo inferior erit, atque ad nutum Christi officium vel sumet, vel deponet. Et quid hoc est aliud, nisi ut Pontificem privet Vicariatu Christi, Spiritum sanctum vera divinitate privare? atque ut summus Pontifex ad celsitudinem sibi debitam non assurgat, Spiritum quoque sanctum a celsitudine sua dejicere?

At, inquit rex, Spiritum sanctum Christus promisit Joan. XIV. non Petrum, qui Apostolos dirigeret, ac doceret. Immo vero promisit Spiritum sanctum, ut invisibilem, ac internum doctorem, et consolatorem; sanctum Petrum, ut visibilem rectorem, atque pastorem, in terris loco suo reliquit. Quod enim Spiritum sanctum non promiserit vice sua doctorem, aut rectorem futurum, ex eodem loco aperte monstratur, nam cum dixisset Dominus Joann. XIV. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis;* paulo post subjungit : *Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos.* Et paulo post : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (1). Sed audiamus sanctum Augustinum hæc verba explicantem, et regis sententiam refellentem tractat. 75. in Joannem; sic loquitur sanctus Augustinus : « Post promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret, quod ita eum Dominus daturus fuerit velut pro se ipso, ut non et ipse cum eis esset futurus, adjecit atque ait : *Non relinquam vos ophanos, veniam ad vos.* » Itaque Spiritus sanctus promissus a filio docet omnem veritatem, sed non sine Patre, et Filio quorum indivisa sunt opera, quemadmodum est eorum una substantia : sed ut Ecclesiæ corpus visibile, caput Vicarium haberet visibile, dixit Dominus coram omnibus Petro : *Simon Joannis diligis me plus his?* ac postea : *Pasce agnos meos.* Quod ipsum tertio repetivit, primo commendans illi agnos, deinde oviculas, tertio oves : sic enim legit, et exponit sanctus Ambrosius in caput ultimum Lucæ, ut nullus omnino excideretur, sive incipiens, sive proficiens, sive perfectus : vel sive laicus, sive presbyter, sive episcopus, qui Petro Pastori non subjiceretur.

At, inquit rex, (*b*) verba ista Christi : *Tibi daboclaves*, Matth. XVI. et *Pasce oves meas* (2), Joan. XXI. ad omnes Apostolos pertinent, alioqui quomodo potuisset Paulus Corinthiorum Ecclesiæ auctor esse incestum illum excommunicandi cum spiritu suo? dicendum sane fuerat cum spiritu Petri. (*c*) Nego verba illa ad omnes Apostolos pertinere; cum

(1) Joan. XIV, 16, 18, 23. — (2) Matth. XVI, 19; Joan. XXI, 17.

(*a*) *Protestantis Angli Spiritum sanctum Christi Vicarium, ac per hoc inferiorem Christo faciunt.* — (*b*) *Objectio prima contra primatum S. Petri.* — (*c*) *Solutio.*

proprie dicta sint uni Petro, qui per ea constitutus est verus, atque ordinarius rector et pastor Apostolorum, atque Ecclesiæ totius : (*a*) atque hoc adversarii admittere deberent, qui in omnibus controversiis expressum verbum requirunt : quid enim potuit expressius dici, quam illud : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cœlis est : Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves, etc.*, et illud : *Simon Joannis diligis me plus his? pasce oves meas.* Hæc enim dicuntur uni Petro filio Jona, ut distinguitur ab aliis Apostolis, qui præsentes erant : sed hæretici non hoc loco solum, sed ubicumque expressum verbum eorum errori non favet, ad figuras troposque confugiunt.

Non tamen negamus quin Apostoli cæteri plenam habuerint potestatem in Ecclesias, sed longe aliter, quam habuerit S. Petrus : hic enim habuit ordinariam, quam transmitteret ad successores; illi extraordinariam, quæ cum ipsis finiretur; hic et super Apostolos potestatem habuit; illi super Apostolos nullam habuerunt. Sed de his multa diximus in controversiis, quæ repetenda non sunt. Apostolus vero Paulus etiamsi Apostolus non fuisset, sed simplex Episcopus, facile poterat incestum Corinthium per Ecclesiam Corinthiorum, spiritu suo præsente excommunicare.

« At inquit rex : (*b*) « In concilio quod Hierosolymis actum est, diserte scribitur : Visum est Apostolis, et Presbyteris totique Ecclesiæ mittere lectos viros, sed mirum de Ecclesiæ capite silentium. Sic et in eorum litteris, Apostolorum, seniorum, et fratrum fit mentio : de Petro nec verbum. »

(*c*) Respondeo in eo concilio primum omnium loqui cœpisse Petrum, atque in ejus sententiam ivisse Jacobum, et alios, quod satis est, ut Petrus præses concilii agnosceretur. Vide S. Hieronymum in epist. ad Augustinum, quæ est 11. inter epist. Augustini, et Theodoretum in epist. ad Leonem Papam.

(*d*) At objicit iterum rex locum Apostoli, I Corinth. I. alios dixisse, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cœphæ : nam si Cœphas, id est, Petrus visibile caput Ecclesiæ fuisset, qui non ab eo stabant, a fide Catholica recessissent.

(*e*) Respondeo, si ex hoc loco colligi posset, Petrum non fuisse caput Ecclesiæ, posse etiam colligi, Christum quoque non esse caput Ecclesiæ, hæc enim est integra sententia ejus loci. Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Cœphæ, ego autem Christi : non igitur qui dicebant, se esse Pauli, aut Apollo, recedebant a Christo, vel a Petro; sed gloriabantur alii se baptizatos a Paulo, alii ab Apollo, alii a Petro; alii prudentiores, baptismum suum ad principalem auctorem referebant, id est, Christum : hic est enim qui omnes baptizat per ministerium famulorum suorum, quicumque illi sint; proinde unum est baptisma, sive Petrus, sive Paulus, sive alius inferioris gradus, aut sanctitatis, aut dignitatis baptizet.

Addit rex : (*f*) « Sed apertissime constat, Paulum non satis in hac nupera, ac novitia doctrina fuisse institutum, qui cum Petro tam parum comiter egit, ut illi se non æquaret modo, sed etiam anteferret. »

(*g*) Respondeo legisse me caput secundum Epistolæ ad Galatas, hunc enim solum locum rex citat : sed neque in eo capite, neque usquam alibi me legisse, Paulum se antetulisse Petro; nisi forte prælationem istam colligat rex ex eo, quod Paulus Petrum reprehendit, quasi non soleant aliquando superiores ab inferioribus reprehendi. Ipse certe Petrus Christum increpare cœpit dicens : *Absit Domine, non erit tibi hoc.* Matth. XVI. Nec tamen ideo suspicari possumus, Petrum Domino suo antetulisse se. Sed quoniam rex, nuperam, et novitiam doctrinam appellat de Primata S. Petri, cogor adscribere pauca testimonia Patrum antiquissimorum.

(*h*) Origenes in cap. 6. ad Romanos, sic ait : « Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum veluti super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis ab eo nisi charitatis exigitur. » S. Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiæ facit Petrum caput, fontem, et radicem totius Ecclesiæ. Et in epistol. ad Quintum : « Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam etc. » Ubi non solum dixit Cyprianus, Petrum primum electum, quod rex hoc

(*a*) *Hæretici verbum expressum quærunt, inventum rejiciunt.* — (*b*) *Objectio secunda.* — (*c*) *Solutio.* — (*d*) *Objectio tertia.* — (*e*) *Solutio.* — (*f*) *Objectio quarta.* — (*g*) *Solutio.* — (*h*) *Testimonia Patrum de primatu S. Petri.*

loco admittit, sed addit, super eum ædificatam esse Ecclesiam, ac per hoc esse fundamentum Ecclesiæ : quod autem est fundamentum in ædificio idem est caput in corpore. S. Basilius in serm. de Judicio Dei : « Ille, inquit, beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claves regni cœlesti commissæ. » S. Hilarius in cap. XVI, Matth. « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ inferorum leges dissolveret. » S. Gregorius Nazianzenus orat. de moderatione in disputationibus servanda : « Vides, inquit, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ac reliqui discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant. » S. Maximus serm. 3. de Apostolis : « Quanti, inquit, meriti apud Dominum suum Petrus erat, ut ei post naviculæ parvæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur? » S. Joannes Chrysostomus hom. 55. in Matth. « Petrum, inquit, Ecclesiæ futuræ Pastorem constituit. » Et paulo post : « Deus concedere solus potest, ut futura Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis manent, cujus Pastor, et caput homo piscator, atque ignobilis, etc. » Hic aperte legimus, caput Ecclesiæ S. Petrum fuisse, ut etiam in sequenti testimonio. S. Hieronymus lib. I, in Jovinianum : « Inter duodecim, inquit, unus eligitur, ut capite constituto schismatis occasio tolleretur. » Ubi si nomine capitis intelligeretur primus ordine, non potestate, non fuisset sublata schismatis occasio. S. Augustinus serm. 142. de tempore qui est primus feriæ 4. post Dominicam Palmarum : « Totius corporis, inquit, morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, et in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem. » Ubi sanctus Augustinus aperte vocat sanctum Petrum, caput corporis Ecclesiæ. Atque hæc satis sint de Primatu sancti Petri. Cætera quæ rex addit, ad convicia pertinere, vel repetitiones esse eorum, quæ antea non semel dicta fuerant, facile ex se lector intelliget.

CAPUT IX.

Nulla probabilitate ex cap. II. Epist. secundæ ad Thessal. colligi posse Romanum Pontificem esse Antichristum.

Agreditur postea rex disputationem de Antichristo, quam fusissime tractat a pag. 63. ad 114. (*a*) quam disputationem Bellarminus sine ulla regis injuria, intactam relinquere potuisset, nihil ferre in hac disputatione rex attingit, quod ipse in lib. III. de Pontifice, qui totus est de Antichristo, non refutaverit.

Deinde multa rex ex Roberto Abbato, qui nuper de Antichristo scripsit, mutuatus est : ad quæ anno superiore respondit Andreas Eudemon Joannes Cydonius Jesuita, quam responsionem doctis viris, præsertim in Germania, ubi edita est, valde probari accepimus.

Præterea non pauca eorum, quæ rex adducit, invenimus apud Thomam Brigmanum in explicatione Apocalypsis ; quam explicationem idem Andreas Eudemon Joannes sibi refellendam desumpsit.

Denique in hac disputatione rex non certas demonstrationes, sed conjecturas suas, vel sensum suum lectoribus proponit, sic enim initio disputationis præfatur pag. 56 : « Sane, inquid, quod ad definitionem Antichristi nolo rem tam obscuram, et involutam tamquam omnibus Christianis ad credendum necessariam urgere, sed quid de toto hoc negotio sentiam, nude, et simpliciter explicabo. » Et rursum in extrema disputatione pag. 113 : « Id, inquit, mihi maxime in votis est, ut si cui hanc meam de Antichristo conjecturam libebit refellere, singulis disputationis meæ partibus ordine respondeat. »

Poterat igitur disputationem ab aliis, atque a se antea refutatam, et in qua de conjecturis et opinionibus, non de certis fidei dogmatibus agitur, facile præterire ; sed voluit tamen breviter singula persequi, et sententiis regis sententias veterum Patrum opponere, sperans non eum moleste laturum, si Patrum veterum expositiones ipsius expositionibus anteferantur.

Igitur pag. 56. tractans verba illa Apostoli Pauli II Thessal. II : *Nisi venerit discessio primum* (1) : accipit ut exploratum, ea verba intelligenda esse de universali discessione a fide : « Discessionem, inquit, illam generalem tantum Antichristi temporibus fore in Ecclesia omnes Pontificii constanter affirmant. » Et pag. 58. « Ne seducerentur, inquit, veritus, diem Domini appropinquare existimantes, ait Paulus, visum esse sibi præmonere eos, universalem a fide discessionem ante venturam. »

Atqui (*a*) falsum est omnes Pontificios ita sentire : quin potius Pontificii sentiunt cum Patribus, discessionem illam fore a Romano imperio. Sic S. Cyrillus Catechesi 15. hunc locum exponens ait : « Veniet prædictus Antichristus, cum impleta fuerint tempora Romani imperii. » S. Joannes Chrysostomus in commentario hujus loci : « Quando, inquit, de medio sublatum fuerit Romanum imperium, tunc veniet Antichristus. » Sic Tertullianus in Apologetico cap. 32. sic Lactantius lib. VII. cap. 15. Sic S. Ambrosius in hunc locum. Sic S. Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 11. Sic S. Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 19.

Neque potest fieri, ut universalis discessio a fide sit futura ante adventum Antichristi, quia tunc Antichristus adveniens, non inveniret q os seduceret : et Christi Ecclesia omnino periisset, quæ sunt contra manifesta Evangelii testimonia, dicente Domino Matth. XXIV. *Dabunt prodigia, et signa magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.* Et Matth. XVI. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Matth. XXVIII. *Ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem* (2). Tantum autem abest, ut verum sit, discessionem a fide generalem futuram esse ante adventum Antichristi, vel Antichristo regnante ; ut S. Augustinus dicat lib. XX. de Civ. cap. 11 tempore Antichristi. Ecclesiam Christi toto orbe passuram persecutionem maximam a civitate Diaboli ; et tamen perseveraturam in fide, nec desertura militiam suam.

Ex quo intelligere potest rex, Antichristum nondum venisse, cum ante ejus adventum discessio generalis fieri debeat a Romano imperio : quæ discessio nondum facta est, cum adhuc maneat Romanus imperator, ad quem rex ipse misit monitoriam præfationem suam dicens : Sacratissimo, et invictissimo principi ac domino Rodolpho II Rom. imper. semper Augusto.

Deinde pag. 58. tractat rex illa verba ejusdem loci : « Homo peccati, filius perditionis, extollet se super omne quod dicitur Deus. » Et probare nititur hunc esse Romanum Pontificem, quia extollitur super principes, et prælatos, qui dicuntur dii juxta illud : *Ego dixi dii estis.* Psalm. LXXXI.

Sed facilis est responsio. (*b*) Antichristus enim non extollet se tantum super eos, qui dicuntur dii per quamdam similitudinem, vel participationem, quales sunt principes Ecclesiastici, vel temporales ; sed super omne quod dicitur Deus id est, super omnem Deum, sive per essentiam, sive per participationem ; sive falsum, sive verum : quod clarius scripsit Daniel cap. XI. *Deum Patrum suorum non reputabit, nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget.*

Romanus autem Pontifex ex doctrina Catholicorum Vicarius Dei est, ac per hoc non extollitur super Deum : ex doctrina Protestantium, tot deos colit, quot sunt Sancti in Cœlo, quot sunt imagines in templis, quot sunt reliquiæ in sepulcris : ergo neque ex sententia Catholicorum, neque hæreticorum extollit se super omne quod dicitur Deus : ac per hoc non est homo peccati, non est filius perditionis, non est Antichristus.

Tertio eadem pag. tractat verba illa ejusdem capitis : « Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus. » Ac pro templo dicit esse intelligendum sinum, et penetralia Ecclesiæ. Sedere autem Pontificem in Ecclesia tamquam Deum, probare nititur, quia, ut ipse dicit, Papa peccata condonat, animas redimit, fidei articulos definit, omnium hominum censor, et judex est, ipse a nemine judicandus.

At (*c*) sedem Antichristi non fore Ecclesiam Catholicam, sed templum Salomonis, quod instaurare conabitur ; aut certe aliud templum in civitate Hierusalem, notum est in Apoc. XI. Ubi Antichristus regnaturus dicitur in ea urbe, in qua Dominus crucifixus est : quæ omnium consensu Hierosolyma est.

Secundo ex Patribus antiquissimis : nam

(*a*) *Cur disputatio de Antichristo nova responsione non egeat.*

(1) Thes. II, 3. — (2) Matth. XXIV, 24 ; Matth. XVI, 18 ; Matth. XXVIII, 20.

(*a*) *Non loquitur Paulus de discessione a fide* II. *Thess.* II. — (*b*) *Quo sensu Antichristus, extollet se super omnem Deum.* — (*c*) *Quæ sit futura sedes Antichristi.*

S. Irenæus lib. v. sic. ait : « Cum Antichristus sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus. » Idem habet S. Hippolytus martyr in oratione de Mundi consummatione; Sanctus Cyrillus Catechesi 15. S. Hilarius can. 25. Matthæi ; Sanctus Martinus apud Sulpitium lib. II. dialogorum ; Sanctus Ambrosius in cap. XXI Lucæ. Porro sanctus Joannes Chrysostomus, et qui eum sequuntur, Theodoretus, et Theophylactus, dicunt quidem Antichristum sessurum in Ecclesiis Christianorum, quas occupabit, et prophanabit ; sed addunt etiam eum sessurum in templo Hierosolymitano. Sic enim Chrysostomus loquitur in comment. ad II Tessal. II : « Jubebit seipsum pro Deo coli, et in templo collocari, non Hierosolymitano solum, sed etiam in Ecclesiis. » Sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 11. Et S. Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 19. paulo aliter exponunt, sed non negant, Antichristum sessurum in templo Hierosolymorum. Unus est Œcumenius, qui hunc locum exponens negat, Antichristum sessurum in Hierusalem; sed videtur locus depravatus, omissione particulæ, tantum. Hic enim auctor perpetuo sequi solet Chrysostomum ; sed neque tanti faciendus est, cum sit auctor recens, ut S. Joanni Chrysostomo, et aliis citatis anteponendus sit.

Adde postremo, quod cum Antichristus sit a Judæis pro Messia recipiendus, ut Patres communiter doceant, sine dubio regiam suam in Hierosolymis constituet. Ex quo sequitur, Romanum Pontificem nullo colore Antichristum posse dici, qui nunquam in Hierosolymis sedit, neque a Judæis pro Messia habitus est.

(a) Neque vero Deum se esse Papa demonstrat, quia peccata condonat, animas redimit, articulos fidei definit, judicat omnes, ipse a nemine judicandus : nam peccata condonat, non auctoritate propria, sed ministerio Sacramentorum. Animas non proprie redimit, sed peccata eleemosynis redimere docet, juxta illud Danielis IV. *Peccata tua eleemosynis redime.* Articulos fidei non proprie condit, sed qui sint articuli fidei, juxta scripturas, Apostolicasque traditiones declarat. Judicat omnes homines, ipse a nullo homine judicandus, sed judicandus tamen a Deo, et ante tribunal Christi rationem de factis propriis cum cæteris hominibus redditurus ; proinde neque Deus est, neque Deum se facit, qui servum servorum Dei se nominat. Omitto quod pag. 58. rex multum laborat, ut probet, quod nos non negamus, Apostolum loqui de Antichristo venturo post multa tempora.

Quarto pag. 59. tractans illa verba ejusdem capitis : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritus oris sui*, scribit rex, per hæc verba significari, Verbi Dei prædicatione potentiam Antichristi paulatim minui : quæ est antiqua Lutheri interpretatio a Catholicis millies refutata. Sed mirum est, quam varie ludant adversarii in Verbo Domini : nunc enim dicunt Verbo Domini Antichristum interficiendum ; nunc vero contra, verbum Domini ab Antichristo interficiendum dicunt : nam Robertus Abbatus, et rex ipse pag. 81. aperte scribit, duos Prophetas ab Antichristo interficiendos, ut scribitur Apocalyp. XI esse duo testamenta, id est, verbum Dei scriptum in libris testamenti veteris, et testamenti novi. Deinde valde hebetem gladium verbi Dei esse oportet, vel certe valde debilem spiritum oris Christi, si Antichristum supra mille annos regnantem, ex opinione adversariorum, adhuc Dominus Jesus isto suo gladio, vel Spiritu conficere non potuit.

At, inquiunt, Dominus Jesus per prædicantes suos, potentiam Antichristi debilitavit, sed Scriptura non dicit debilitabit, sed interficiet. Satius igitur est audire Sanctos, ac veteres Patres, (b) qui per Spiritum oris Christi, non intelligunt prædicationem verbi Dei, quæ ad salutem, non ad perditionem adhiberi solet ; sed potestatem atque imperium Christi, qui vel solo nutu Antichristum interficiet. S. Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 11 : « Quem Dominus Jesus, inquit, interficiet spiritu oris sui, divina videlicet potestate, et suæ Majestatis imperio, cujus jussisse fecisse est. » S. Joannes Chrysostomus hom. 4. in II ad Thess. « Quemadmodum ignis irruens passim minuta animalcula etiam antequam plane adveniat, procul adhuc situs terrefacit, et consumit : ita et Christus, sufficiet solum jubere, atque adesse illum, atque ista omnia peribunt. » Hæc ille.

Quinto eadem pag. tractans illa verba ejusdem capitis : *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute* (a) *et signis, et prodigiis mendacibus ;* conatur ostendere, Ecclesiam nostram esse Antichristianam, quia jactet innumerabilia miracula, quæ tamen sint contraria suæ ipsius doctrinæ, et ponit exemplum miraculi, cujus meminit Bellarminus lib. III. de Eucharistia cap. 8. quod oblitum jumentum pabuli Sacramentum curvatis genibus adoravit : « Et tamen, inquit rex, certe erubesceret dicere Bellarminus, institutum esse Sanctissimum Sacramentum, quod adorent oves, et boves, et pecora campi. »

(a) *Solvuntur objectiuncula hæreticorum.* — (b) *Quo sensu Dominus Jesus interficiet Antichristum spiritu oris sui.*

At miracula, quæ fiunt in Ecclesia Catholica, non esse prodigia mendacia, pro comperto habemus, ex eo quod ejusdem sunt generis cum iis, quæ faciebant Prophetæ, et Apostoli, et ipse Christus Dominus. Neque miracula Ecclesiæ adversantur ullo modo nostræ doctrinæ, sed eam mirifice confirmant : quamvis enim non sit institutum sanctissimum Sacramentum, ut ab animantibus rationis expertibus adoretur : tamen cum id fit, Deo cui nihil impossibile est, præter naturæ ordinem, membra animantium illorum movente, ut Sacramentum adorare videantur, sine dubio præsentiam Domini in Sacramento adesse, adoratio illa demonstrat.

Ejusmodi miraculum factum precibus S. Antonii, etiam si a rege nunc rideatur, effecit tamen coram ingenti multitudine, ut fides Catholica de Sacramentaria hæresi triumpharet. Idem enim Deus fecit, (b) ut jumentum famelicum, pabulo sibi ostenso neglecto ad reverentiam sanctissimo Sacramento exhibendam accurreret ; qui fecit, ut vaccæ fœtæ et indomitæ, dimissis vitulis, sine ullo rectore arcam Domini ferrent, nec declinarent ad dexteram, neque ad sinistram I Reg. VI. Et qui fecit, ut jumentum rationis expers aliquando loqueretur, et Prophetæ insipientiam redargueret. Num. XXII. Et qui cete mandavit, ut Jonam tribus diebus in ventre suo gereret, ac paulo post incolumem ad littus evomeret, Jon. II. Et qui corvis præcepit, ut ad Eliam panes, et carnes bis in die deferrent, III Reg. XVII. Et qui Leobas famelicis jussit, ut Danielem inter ipsos euhantem, non attingerent. Dan. VI. Nec tamen arca Domini ad hoc instituta erat, ut a vaccis indomitis deferretur ; nec Prophetæ instituti, ut a jumento admonerentur ; vel a corvis pascerentur ; vel in ventre ceti, tamquam in carcere detinerentur ; vel a famelicis leonibus intacti custodirentur.

CAPUT X.

De sede et duratione Antichristi.

Sexto pag. 60, transit ad Apocalypsim, ac dicit ex cap. XIII. et XVII. Apocalyp. manifeste colligi, sedem Antichristi fore Romam, nam cap. XIII. describitur Antichristus sub figura prodigiosæ bestiæ, quæ habebat capita septem, et cornua decem. Deinde cap. XVII. explicatur, ubi meretrix magna appellatur, quæ sedet super aquas multas, et prodigiosæ bestiæ insidet, quæque civitas magna, et Babylon nominatur, per Babylonem autem Romam intelligi, ipsi, inquit, Pontificii passim admittunt.

Sed quamvis rex hic multum laboret, tamen res facillima est. Nam non est idem bestia, quæ describitur cap. XI. Apocalyp. et meretrix magna, quæ describitur cap. XVII., neque usquam Scriptura bestiam cum meretrice confundit. Igitur bestia, Antichristus est (c) ejusque sedes Hierusalem erit, non Roma. Disertis enim verbis cap. XI Joannes dicit, urbem illam esse, in qua Dominus eorum crucifixus est, quæ urbs spiritualiter dicitur Ægyptus, et Sodoma, proprie autem Hierosolyma est ; et in hoc conveniunt omnes Patres, ut supra notavi : et præter illos adest Lactantius lib. VII. cap. 15. et 17, ubi dicit, regnum Antichristi præcipuum futurum esse in Syria, ubi Judæa est. Item S. Hieronymus, et Theodoretus in comment. ad cap. XI. Danielis, dicunt Antichristum in regione Hierosolymorum tentoria fixurum, et tandem in monte Oliveti occidendum. Denique S. Irenæus lib. V. perspicue docet, Antichristum Hierosolymæ regnaturum.

Meretrix autem, quæ describitur in cap. XVII. et dicitur civitas magna, quæ habet imperium super reges terræ, et vocatur etiam Babylon tum in eo capite, tum initio capitis XVIII. ipsa est Roma, sed Roma ethnica, non Roma Christiana, ut disertis verbis scribit S. Hieronymus lib. II. contra Jovinianum : Ad te, inquit, loquor, quæ scriptam in fronte

(a) *De signis et prodigiis Antichristi.* — (b) *Miraculum quod ridetur a rege, habet exempla plurima in sacris litteris.* — (c) *Sedes Antichristi non erit Roma, sed Hierusalem.*

S. Irenæus lib. v. sic. ait : « Cum Antichristus sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus. » Idem habet S. Hippolytus martyr in oratione de Mundi consummatione; Sanctus Cyrillus Catechesi 15. S. Hilarius can. 25. Matthæi ; Sanctus Martinus apud Sulpitium lib. II. dialogorum ; Sanctus Ambrosius in cap. XXI Lucæ. Porro sanctus Joannes Chrysostomus, et qui eum sequuntur, Theodoretus, et Theophylactus, dicunt quidem Antichristum sessurum in Ecclesiis Christianorum, quas occupabit, et prophanabit ; sed addunt etiam eum sessurum in templo Hierosolymitano. Sic enim Chrysostomus loquitur in comment. ad II Tessal. II : « Jubebit seipsum pro Deo coli, et in templo collocari, non Hierosolymitano solum, sed etiam in Ecclesiis. » Sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 11. Et S. Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 19. paulo aliter exponunt, sed non negant, Antichristum sessurum in templo Hierosolymorum. Unus est Œcumenius, qui hunc locum exponens negat, Antichristum sessurum in Hierusalem; sed videtur locus depravatus, omissione particulæ, tantum. Hic enim auctor perpetuo sequi solet Chrysostomum ; sed neque tanti faciendus est, cum sit auctor recens, ut S. Joanni Chrysostomo, et aliis citatis anteponendus sit.

Adde postremo, quod cum Antichristus sit a Judæis pro Messia recipiendus, ut Patres communiter doceant, sine dubio regiam suam in Hierosolymis constituet. Ex quo sequitur, Romanum Pontificem nullo colore Antichristum posse dici, qui nunquam in Hierosolymis sedit, neque a Judæis pro Messia habitus est.

(a) Neque vero Deum se esse Papa demonstrat, quia peccata condonat, animas redimit, articulos fidei definit, judicat omnes, ipse a nemine judicandus : nam peccata condonat, non auctoritate propria, sed ministerio Sacramentorum. Animas non proprie redimit, sed peccata eleemosynis redimere docet, juxta illud Danielis IV. *Peccata tua eleemosynis redime.* Articulos fidei non proprie condit, sed qui sint articuli fidei, juxta scripturas, Apostolicasque traditiones declarat. Judicat omnes homines, ipse a nullo homine judicandus, sed judicandus tamen a Deo, et ante tribunal Christi rationem de factis propriis cum cæteris hominibus redditurus ; proinde neque Deus est, neque Deum se facit, qui servum servorum Dei se nominat. Omitto quod pag. 58. rex multum laborat, ut probet, quod nos non negamus, Apostolum loqui de Antichristo venturo post multa tempora.

Quarto pag. 59. tractans illa verba ejusdem capitis : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritus oris sui*, scribit rex, per hæc verba significari, Verbi Dei prædicatione potentiam Antichristi paulatim minui : quæ est antiqua Lutheri interpretatio a Catholicis millies refutata. Sed mirum est, quam varie ludant adversarii in Verbo Domini : nunc enim dicunt Verbo Domini Antichristum interficiendum ; nunc vero contra, verbum Domini ab Antichristo interficiendum dicunt : nam Robertus Abbatus, et rex ipse pag. 81. aperte scribit, duos Prophetas ab Antichristo interficiendos, ut scribitur Apocalyp. XI esse duo testamenta, id est, verbum Dei scriptum in libris testamenti veteris, et testamenti novi. Deinde valde hebetem gladium verbi Dei esse oportet, vel certe valde debilem spiritum oris Christi, si Antichristum supra mille annos regnantem, ex opinione adversariorum, adhuc Dominus Jesus isto suo gladio, vel Spiritu conficere non potuit.

At, inquiunt, Dominus Jesus per prædicantes suos, potentiam Antichristi debilitavit, sed Scriptura non dicit debilitabit, sed interficiet. Satius igitur est audire Sanctos, ac veteres Patres, (b) qui per Spiritum oris Christi, non intelligunt prædicationem verbi Dei, quæ ad salutem, non ad perditionem adhiberi solet ; sed potestatem atque imperium Christi, qui vel solo nutu Antichristum interficiet. S. Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 11 : « Quem Dominus Jesus, inquit, interficiet spiritu oris sui, divina videlicet potestate, et suæ Majestatis imperio, cujus jussisse fecisse est. » S. Joannes Chrysostomus hom. 4. in II ad Thess. « Quemadmodum ignis irruens passim minuta animalcula etiam antequam plane adveniat, procul adhuc situs terrefacit, et consumit : ita et Christus, sufficiet solum jubere, atque adesse illum, atque ista omnia peribunt. » Hæc ille.

Quinto eadem pag. tractans illa verba ejusdem capitis : *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute* (a) *et signis, et prodigiis mendacibus ;* conatur ostendere, Ecclesiam nostram esse Antichristianam, quia jactet innumerabilia miracula, quæ tamen sint contraria suæ ipsius doctrinæ, et ponit exemplum miraculi, cujus meminit Bellarminus lib. III. de Eucharistia cap. 8. quod oblitum jumentum pabuli Sacramentum curvatis genibus adoravit : « Et tamen, inquit rex, certe erubesceret dicere Bellarminus, institutum esse Sanctissimum Sacramentum, quod adorent oves, et boves, et pecora campi. »

(a) *Solvuntur objectiuncula hæreticorum.* — (b) *Quo sensu Dominus Jesus interficiet Antichristum spiritu oris sui.*

At miracula, quæ fiunt in Ecclesia Catholica, non esse prodigia mendacia, pro comperto habemus, ex eo quod ejusdem sunt generis cum iis, quæ faciebant Prophetæ, et Apostoli, et ipse Christus Dominus. Neque miracula Ecclesiæ adversantur ullo modo nostræ doctrinæ, sed eam mirifice confirmant : quamvis enim non sit institutum sanctissimum Sacramentum, ut ab animantibus rationis expertibus adoretur : tamen cum id fit, Deo cui nihil impossibile est, præter naturæ ordinem, membra animantium illorum movente, ut Sacramentum adorare videantur, sine dubio præsentiam Domini in Sacramento adesse, adoratio illa demonstrat.

Ejusmodi miraculum factum precibus S. Antonii, etiam si a rege nunc rideatur, effecit tamen coram ingenti multitudine, ut fides Catholica de Sacramentaria hæresi triumpharet. Idem enim Deus fecit, (b) ut jumentum famelicum, pabulo sibi ostenso neglecto ad reverentiam sanctissimo Sacramento exhibendam accurreret ; qui fecit, ut vaccæ fœtæ et indomitæ, dimissis vitulis, sine ullo rectore arcam Domini ferrent, nec declinarent ad dexteram, neque ad sinistram I Reg. VI. Et qui fecit, ut jumentum rationis expers aliquando loqueretur, et Prophetæ insipientiam redargueret. Num. XXII. Et qui cete mandavit, ut Jonam tribus diebus in ventre suo gereret, ac paulo post incolumem ad littus evomeret, Jon. II. Et qui corvis præcepit, ut ad Eliam panes, et carnes bis in die deferrent, III Reg. XVII. Et qui Leobas famelicis jussit, ut Danielem inter ipsos euhantem, non attingerent. Dan. VI. Nec tamen arca Domini ad hoc instituta erat, ut a vaccis indomitis deferretur ; nec Prophetæ instituti, ut a jumento admonerentur ; vel a corvis pascerentur ; vel in ventre ceti, tamquam in carcere detinerentur ; vel a famelicis leonibus intacti custodirentur.

CAPUT X.

De sede et duratione Antichristi.

Sexto pag. 60, transit ad Apocalypsim, ac dicit ex cap. XIII. et XVII. Apocalyp. manifeste colligi, sedem Antichristi fore Romam, nam cap. XIII. describitur Antichristus sub figura prodigiosæ bestiæ, quæ habebat capita septem, et cornua decem. Deinde cap. XVII. explicatur, ubi meretrix magna appellatur, quæ sedet super aquas multas, et prodigiosæ bestiæ insidet, quæque civitas magna, et Babylon nominatur, per Babylonem autem Romam intelligi, ipsi, inquit, Pontificii passim admittunt.

Sed quamvis rex hic multum laboret, tamen res facillima est. Nam non est idem bestia, quæ describitur cap. XI. Apocalyp. et meretrix magna, quæ describitur cap. XVII., neque usquam Scriptura bestiam cum meretrice confundit. Igitur bestia, Antichristus est (c) ejusque sedes Hierusalem erit, non Roma. Disertis enim verbis cap. XI Joannes dicit, urbem illam esse, in qua Dominus eorum crucifixus est, quæ urbs spiritualiter dicitur Ægyptus, et Sodoma, proprie autem Hierosolyma est ; et in hoc conveniunt omnes Patres, ut supra notavi : et præter illos adest Lactantius lib. VII. cap. 15. et 17, ubi dicit, regnum Antichristi præcipuum futurum esse in Syria, ubi Judæa est. Item S. Hieronymus, et Theodoretus in comment. ad cap. XI. Danielis, dicunt Antichristum in regione Hierosolymorum tentoria fixurum, et tandem in monte Oliveti occidendum. Denique S. Irenæus lib. V. perspicue docet, Antichristum Hierosolymæ regnaturum.

Meretrix autem, quæ describitur in cap. XVII. et dicitur civitas magna, quæ habet imperium super reges terræ, et vocatur etiam Babylon tum in eo capite, tum initio capitis XVIII. ipsa est Roma, sed Roma ethnica, non Roma Christiana, ut disertis verbis scribit S. Hieronymus lib. II. contra Jovinianum : Ad te, inquit, loquor, quæ scriptam in fronte

(a) *De signis et prodigiis Antichristi.* — (b) *Miraculum quod ridetur a rege, habet exempla plurima in sacris litteris.* — (c) *Sedes Antichristi non erit Roma, sed Hierusalem.*

blasphemiam Christi confessione delesti. Atque in eo capite describit S. Joannes excidium Romani imperii, propter persecutiones in Christianos, sic enim incipit visio c. XVII. *Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ.* Et infra, vocat civitatem ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu. Itaque nisi rex ostendat, bestiam cap. XI. et mulierem cap. XVII. eamdem rem significare, numquam evincet, sedem Antichristi fore Romam, aut qui Romæ sedet esse Antichristum.

Quod autem rex adducit de tempore quadraginta duorum mensium, quod ex sententia nostra est spatium trium annorum cum dimidio, quo regnaturus Antichristus est, ad rem non facit, nam hoc tempus habetur cap. XI. et XIII, ubi tempus bestiæ, quæ Antichristus est, describitur : non autem habetur cap. XVII. vel XVIII, ubi de muliere, et Babylone agitur, per quam Roma, sive Romanum imperium significatur.

Septimo pag. 63. 64. 65. et 66. disputat rex de spatio, quo regnabit Antichristus. Et quoniam nos ex Daniele cap. VII. et XII et ex Apocalypsi cap. XI. XII. et XIII. et ex communi Patrum sententia docuimus, (*a*) Antichristum regnaturum tribus annis cum dimidio, ex quo manifeste sequitur, Romanum Pontificem sine ulla verisimilitudine a Novatoribus Antichristum vocari, cum regnaverit ex eorum sententia multis sæculis : rex conatur eludere Scripturæ sacræ sententias, quod in eis numerus certus pro incerto accipiendus sit. Sed id solet habere locum, cum unus aliquis numerus, isque perfectus adscribitur, ut cum Apocalyp. VII. describuntur ex omni tribu filiorum Israel duodecim millia signati; et cum Apoc. XX. dicitur, draco ligatus per annos mille.

At hoc loco cum tempus Antichristi accuratissime describatur per annos, per menses, et per dies; mirum est si cui certus numerus, pro incerto poni videntur. Dicitur enim regnaturus per tempus, et per tempora, et dimidium temporis, id est, annum, biennium et dimidium anni, quæ faciunt tres annos cum dimidio. Item per menses quadraginta duos, qui eumdem numerum reddunt. Denique per dies mille ducentos sexaginta, qui sunt menses quadraginta duo, sive anni lunares tres cum dimidio.

Sed quod nos maxime movet, ut Scripturas ita intelligamus, est unanimis consensus Patrum, qui ante scripserunt, quam Novatores de hac re nobis litem moverent. Sanctus Irenæus lib. V. « Regnabit, inquit, Antichristus annis tribus, et mensibus sex, et tunc veniet Dominus de cœlis. » Sanctus Hippolytus martyr oratione de consummatione mundi : « Tres, inquit, annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram. » Sanctus Cyrillius Catechesi 15 : « Regnabit, inquit, tribus annis, et dimidio tantum, quod non ex libris apocryphis dicimus, sed ex Daniele Propheta ». Sanctus Hieronymus in comment. ad caput VII. Danielis : « Tempus, inquit, annum significat ; tempora, juxta hebraici sermonis proprietatem, qui et ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigurant ; dimidium autem temporis, sex menses, quibus Sancti potestati Antichristi permittendi sunt ». Sanctus Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 23. : « Antichristi, inquit, adversus Ecclesiam sævissimum regnum, licet exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei ultimo judicio regnum Sancti accipiant sempiternum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur : tempus quippe, et tempora, et dimidium temporis, annum unum esse, et duos, et dimidium : ac per hos tres annos, et semissem, etiam numero dierum posterius posito dilucescit : aliquando in Scripturis, et mensium numero declaratur ». Denique idem docent Theodoretus in cap. VII. Dan., et omnes fere expositores Apocalypsis, Primasius, Beda, Anselmus, Haymo, Arethas, Richardus et Rupertus.

At, inquit rex : (*b*) « Nam quod ad litteralem illam interpretationem, quam omnes Pontificii sequuntur, trium annorum et sex mensium, qua volunt illud tempus adamussim incidere in dies omnium novissimos, exceptis quadraginta quinque ante secundum Domini adventum, plane toti novo testamento repugnat » : repugnare autem probat ex cap. XXIV. Matth. ubi legimus : *De die illa, et hora nemo scit, neque Angeli, nisi solus Pater* : et ibidem, et alibi sæpe Dominus hortatur ad vigilandum, quia dies illa inopinatos, et securos homines opprimet. Et in hac ipsa Apocalypsi bis repetitur, diem illam, ut furem in nocte venturam : quæ omnia falsa essent, si certo scirent homines, quadraginta quinque diebus post mortem Antichristi, Judicem esse venturum.

(*a*) Respondeo, si quid hæc argumentatio valet, adversus sanctum Hieronymum potissimum valere ; ille enim explicans illa verba Danielis cap. XII. *Beatus, qui expectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta-quinque* : « Beatus », inquit sanctus Hieronymus, « qui interfecto Antichristo, dies supra numerum præfinitum quadraginta quinque præstolatur ; quibus est Dominus, atque Salvator in sua majestate venturus : quare autem post interfectionem Antichristi, quadraginta quinque diem silentium sit, divinæ scientiæ est : nisi forte dicamus : dilatio regni Sanctorum, patientiæ comprobatio est. » Hæc sanctus Hieronymus, magnus Pontificius, a quo nos minores Pontificii hanc expositionem didicimus.

Neque ex ea sequitur aliquid contra Evangelium. Nos enim vere nescimus diem, atque horam judicii, ut etiam nesciunt Angeli de cœlo ; quoniam cum ignoremus, quando Antichristus venturus sit, necesse etiam est, ut ignoremus judicii diem, qui Antichristi interitum consequetur. Illi autem, qui Antichristi temporibus in vivis invenientur ; facile scire poterunt, non longe abesse diem judicii, et mundi consummationem, cum Dominus dixerit Matth. XXIV. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur etc.*, et mox : *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus ;* et paulo post : *Cum videretis hæc omnia, scitote quia prope est in januis* (1). Et concordat Apostolus cum Evangelio II Thess. II. cum ait de Antichristo ; quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui. Sed neque illi certo scient diem, neque horam ; quoniam etiam si dies quadraginta quinque, Daniele teste, expectandi erunt post mortem Antichristi ; tamen Scriptura non dicit, diem judicii non esse longius prorogandum. Itaque scient homines illi diem judicii non esse expectandum ante diem quadragesimum quintum ab Antichristi cæde : sed an diutius differendus sit ignorabunt.

Quemadmodum autem in diebus Noe plurimi fuerunt increduli, quamvis Noe, et verbo, et exemplo, id est, fabricatione arcæ prædicaret diluvium futurum ; et imparati, et oscitantes a diluvio oppressi sunt : sic erit in novissimis diebus, prædicabunt servi Dei, judicii diem non longe abesse, immo etiam instare, et imminere : tamen filii hujus sæculi, more solito de iis, quæ mundi sunt, cogitabunt, et quando ipsi minus putabunt, Filius Dei Judex adveniet.

CAPUT XI.

De Henoch, et Elia.

Octavo, pag. 67. et sequentibus ad 87. disputat rex de (*b*) duobus Prophetis, qui cap. XI Apocalypsis dicuntur pugnaturi cum Antichristo, atque ab eodem tandem occidendi, et post tres dies resurrecturi, et in cœlum assumendi. Hos duos Prophetas nos cum sanctis Patribus dicimus esse Henoch, et Eliam, qui ad hunc ipsum finem translati sunt, et adhuc vivunt in carne mortali ; ut in novissimis diebus, cum maxima Dei gloria, et Ecclesiæ utilitate, mortis debitum solvant.

Patres qui ex divinis litteris hoc docent hi sunt : Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Origenes, et alii omnes interpretes sancti Matthæi ad cap. XVII. affirmant Eliam venturum tempore Antichristi. Idem de eodem Elia docent Lactantius lib. VII. cap. 17, Augustinus tract. 4. in Joan., Theodoretus in cap. ultim. Malachiæ, et Primasius in cap. XI Apocalypsis. De Henoch, et Elia simul idem testantur Hippolytus Martyr in oratione de Consummatione mundi, Augustinus lib. IX. de Genesi ad litteram cap. 6. et interpretes Apocalypsis ad cap. XI. Beda, Anselmus, Richardus, et Arethas, qui addit invariabiliter a tota Ecclesia credi, Henoch, et Eliam venturos, ut Antichristo se opponant.

Rex tamen cum fateatur (*c*) hanc esse Patrum sententiam, tamen Judaicam fabulam non semel appellat ; et huic tantæ testium nubi conjecturas suas, vel potius suorum Doctorum anteponit. Quam enim conjecturam suam vocat, nos in Abbato antea legi-

(*a*) *Antichristus tribus annis cum dimidio regnaturus est.* — (*b*) *Objectio contra durationem trium annorum cum dimidio.*

(1) Matth. XXIV, 29 et seq.

(*a*) *Solutio.* — (*b*) *Henoch et Elias sunt duo Prophetæ, qui pugnabunt cum Antichristo.* — (*c*) *Sententiam veterum Patrum, rex Angliæ Judaicam fabulam appellat.*

mus, qui Abbatus non eam primus excogitavit, sed a venerabili Beda desumpsit. Beda vero, etiam si spiritualiter ita exponit ; tamen adjungit communem aliorum sententiam, quod duo illi Prophetæ sint Henoch, et Elias ; neque illam refellit, et non refellendo approbare videtur.

Omitto quæ rex multis verbis disputat de cap. XI. et XVII. Matth. de adventu Eliæ, ubi etiam dicit, (a) me mala fide agere cum Christo, impudenter exponere verba Christi, improbissime cavillari super verbis Christi, et similia : quæ ideo dicit, quia malui verba Evangelii exponere cum Patribus Origene, Hilario, Hieronymo, Chrysostomo, et aliis veteribus ; quam cum Novatoribus Bibliandro et Chitræo. Quantumvis enim rex irascatur, et conviciis me oneret, malo cum illis desipere, quam cum istis sapere. Sed lectorum erit judicium, utri rectius exposuerint loca Evangelii, rex cum Chitræo, et Bibliandro ; an ego cum Patribus ; libri exstant sæpius recusi, non est cur tempus consumam in rebus iisdem sæpius repetendis.

Illud præterire non debeo, regem, qui initio dixerat, se Patres primorum quingentorum annorum venerari ; neque se ausurum eos reprehendere, hoc loco, id est, pag. 73. palam eos errasse dicere : « Sed quoniam, inquit, in hunc de Patribus antiquis forte sermonem incidimus, sinite, quæso, hac occasione obiter vos monecam, mirum non esse, (b) si sæpius Patres hic errent, et minus recte multa Apocalypsis mysteria intelligant, propterea quod liber ille eorum temporibus adhuc obsignatus fuit, et licet mysterium iniquitatis jam tum ageretur, ille tamen homo peccati nondum erat revelatus : in omnibus enim obscuris prophetiis certissima est regula, numquam eas satis intelligi posse usque dum compleantur. »

Hæc ille, qui veteres Patres non tantum erroneos facit, sed etiam stultos, quod librum obsignatum resignare tentaverint. Deinde, si jam hoc tempore prophetia impleta est, ac per hoc manifesta, et dilucida ejus interpretatio ; unde tot adhuc de his rebus contentiones, et opiniones ? cur ipse rex pag. 56. ingressurus disputationem de Antichristo scripsit, in re tam obscura, et involuta, velle simpliciter sententiam suam dicere ? et cur in extrema disputatione pag. 113. conjecturam vocat explicationem suam de Antichristo ? si prophetia jam impleta est, et liber resignatus ; quid opus est conjecturis ? cur dicitur obscura, et involuta de Antichristo disputatio.

Verum, quod jam sit revelatus homo peccati, ac per hoc prophetia S. Joannis adimpleta, Novatores dicunt, sed non probant, nec probare possunt, cum contra demonstrationes evidentissimæ a Catholicis adferantur. Itaque ex eo quod in quæstione est, quasi certum, et exploratum esset, argumenta petunt ad Patres veteres arguendos erroris. Sed regi ignoscendum est, qui ea quæ de reprehensione Patrum scripsit, non ex se protulit in medium, sed ex lib. I. Roberti Abbati, subditi sui, mutuatus est.

Aliud quoque est in disputatione regis de Henoch et Elia, valde admirandum. Scribit enim pag. 74. corpora Henoch et Eliæ, nunc esse in cœlo glorificata, et per multa annorum millia exempta fuisse a maledictione mortis. Et pag. 76. disertis verbis scribit, Henoch et Eliam per multa annorum millia cœli fuisse incolas, mortalitatis legibus solutos, incorruptibilia, et glorificata corpora habere : atque inde efficit, non posse fieri, ut ab Antichristo interficiantur.

Atqui, hoc dogma, etiam si auctorem habeat Theodorum quemdam Eracleotem, et Apollinarium, teste S. Hieronymo in epistol. ad Minerium, et Alexandrum : tamen exploratus error est, et contrarius omnibus Patribus, (c) qui Henoch, et Eliam scribunt nondum esse mortuos, sed esse mortales, et morituros in persecutione novissima. Ne tamen nihil omnino adversus hanc hæresim dicamus, pauca de multis adducemus. Joan XIV. Dominus ait : (d) *Vado parare vobis locum, et si abiero, et paravero vobis locum, iterum veniam, et assumam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis*, quod explicatur ab Apostolo ad Hebræos VI. cum ait : *Præcursor pro nobis introivit Jesus* (1). Si non poterant Apostoli in cœlum intrare, nisi præcursor intraret Jesus, et pararet illis locum : quomodo Henoch, et Elias tot milibus annorum ante Christi ascensionem introierunt ?

(1) Heb. VI, 20.

(a) *Calumniæ manifestæ.* — (b) *Hæc est reverentia erga sanctos, ac veteres Patres.* — (c) *Henoch et Elias non sunt mortui, sed morituri tempore suo.* — (d) *Ante Christi ascensionem nullus homo in cœlum ascendit.*

Idem Apostolus ad Heb. IX. *Hoc*, inquit, *significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum* (1). Itaque dum status testamenti veteris duravit ; nondum propalata erat Sanctis via ad cœlestem patriam, quare concludit idem Apostolus ad Hebr. XI. *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt promissionem ; Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.* Poterat ne apertius dici, Patres veteris testamenti, quamvis fide probatissimi essent, inter quos Henoch ab Apostolo numeratus est, non accepisse promissiones, ut non sine nobis consummarentur, id est, ut non sine nobis consummatam corporis, et animæ gloriam acciperent ?

Et quid est quod Propheta David tamquam singulare dicit in persona Christi in Psal. XV. *Notas mihi fecisti vias vitæ ;* si ante tot annorum millia Henoch, et Eliæ notæ factæ sunt viæ vitæ ? quid est quod ipse Christus dicit Joan. III. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo* (2) : si ante ipsum Christum, qui caput est electorum, ascenderunt in cœlum cum corpore glorificato Henoch, et Elias, qui utique membra Christi sunt ? nam illud nemo ascendit in cœlum, non est præsentis temporis, sed præteriti, ut ex græco textu manifestum est οὐδεὶς ἀναβέβηκεν, est enim sensus, nullus homo hactenus ascendit in cœlum, ac per hoc nemo scit cœlestia, nisi filius hominis Christus, qui ut Deus descendit de cœlo per incarnationem, et ut homo ascendit in cœlum per unionem hypostaticam, et idiomatum communicationem, unde etiam subjecit : Filius hominis, qui est in cœlo. Erat enim tunc filius hominis in cœlo, quia eadem persona erat Deus, et homo. Itaque non ait, nemo ascendet postea, sed nemo ascendit hucusque ; proinde Henoch, et Elias non ascenderunt cum corpore glorificato in cœlum verum, atque æthereum, sed in cœlum tantum aerium, ut sublevati a terra ducerentur in locum remotum ab hominum habitatione.

Vere igitur canit Ecclesia toto orbe diffusa, in hymno illo notissimo, quem nec Lutherus despiciendum putavit : « Tu devicto mortis aculeo, apernisti credentibus regna cœlorum » ; quod certe Ecclesia orthodoxa non caneret, si crederet Henoch, et Eliam, tot annorum millibus ante Christi Ascensionem introire potuisse in regna cœlorum.

Addo etiam (a) generale decretum, ut omnes homines moriantur, a quo ne ipse quidem Filius Dei immunis esse voluit ; neque sanctissimam Matrem suam immunem fecit. *Statutum est*, inquit Apostolus ad Hebr. IX. *hominibus semel mori, et post hoc judicium*, id est, cum omnes omnino mortis debitum solverint, tunc aderit judicium. Ergo ante judicium necesse est, ut Henoch, et Elias, qui hactenus in vivis manent, ipsi etiam moriantur. Cui sententiæ similis est illa I Cor. XV. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur ;* et Rom. V. *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et Psal. LXXXVIII. *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem* (3) ?

Ex quibus apertissimis sententiis declaranda est sententia illa alioqui ambigua I Thessal. IV. *Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera* (4). Non enim significat hæc sententia, non morituros, qui vivi reperientur in novissimo die ; sed in ipso raptu morituros, et mox resurrecturos ad vitam immortalem, ut S. Augustinus docet lib. XX. de Civit. Dei cap. 20. Ex iisdem scripturis judicandum est, (b) utra sit verior lectio I Cor. XV. Omnes quidem resurgemus, sive, ut est in græco, omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur : an illa, non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur : illa enim prior est verior, quia concordat cum apertis scripturis : et veriorem, et communiorem esse affirmat S. Hieronymus in epistol. ad Minerium, et Alexandrum.

At objicit rex testimonia Irenæi, et Tertulliani. Irenæus enim lib. V. scribit Henoch, et Eliam manere in loco, ad quem translati sunt, usque ad consummationem conspicantes incorruptionem. Tertullianus autem lib. contra Judæos cap. 2. scribit,

(1) Heb. IX, 8. — (2) Psalm. XV, 11 ; Joan. III, 13. — (3) Heb. IX, 27 ; I Cor. XV, 22 ; Rom. V, 12 ; Psalm. LXXXVIII, 49. — (4) I Thes. IV, 14.

(a) *Generali decreto omnes homines morti addicti sunt.* — (b) *De varia lectione loci Paulini I Cor. XV. et quæ sit lectio verior.*

Henoch necdum mortem gustasse, ut æternitatis candidatum.

Sed hæc non significant illos numquam morituros esse, ut rex existimat : (a) manent enim, non in cœlo, ut rex dicit ; sed in paradiso terrestri, ut Irenæus dicit, usque ad consummationem conspicantes incorruptionem, id est, non videntes corruptionem, sed vivi, atque integri permanentes tot millibus annorum. Sed hæc incorruptio non est ea, quam habent in cœlo Beati, qui mori non possunt ; sed ea quam habebat Adam in Paradiso, qui poterat non mori, donec peccaret, ut auctor est S. Augustinus lib. IX de Genesi ad litteram cap. 6. et lib. I. de pecc. meritis, et remiss. cap. 3. Itaque Henoch, et Elias conspicantur incorruptionem, non absolute, sed usque ad mundi consummationem, in qua debitum mortis solventes transituri sunt ad veram et perfectam incorruptionem. Recte vero dicitur Henoch non gustasse mortem ut candidatus æternitatis. Candidati enim nondum consules erant, sed consulatum expectabant, et petebant. Sic igitur Henoch non habet veram immortalitatem, sed eam exspectat, et desiderat, et ex vita tam diuturna multorum millium annorum quam egit in terrestri paradiso, certam spem concipit vitæ sempiternæ futuræ in paradiso cœlesti.

Ad id autem quod rex dicit, Bellarminum in controversiis multum sudare, ut statuat, (b) paradisum ne in terra sit, an in aere ; et concludit, paradisum terrestrem diluvio esse destructum : facilis est responsio. Bellarminus enim nusquam dixit, neque ex sententia sua, neque ex aliena, paradisum in aere pendere : quod operose confutare frustra rex conatur. Retulit solum in lib. de gratia primi hominis cap. 12. sententiam quorumdam, qui affirmant Paradisum in terra quidem situm, sed in montibus altissimis, qui ad globum usque lunæ pertingant, quam sententiam idem Bellarminus refellit, nisi per hyperbolem excusetur. Paradisum autem terrestrem omnino esse destructum, quod rex affirmat ; contrarium est communi sententiæ Patrum veterum, et recentiorum Doctorum. Certe S. Augustinus lib. de peccato orig. cap. 23. diserte sic pronuntiat : « Esse Paradisum, unde ejectus est Adam, fides Christiana non dubitat ». Multum autem sibi rex placet in ea conjectura, quam a Roberto Abbato desumpsit, quod nomine duorum Prophetarum ab Antichristo occisorum intelligi debeant, aut possint duo testamenta, id est, libri sacri testamenti veteris, et novi. In qua disputatione multa dicit, quæ probare non poterit.

Primo scribit, (c) adversus Scripturam sacram dicteria quædam a Pontificiis jactari, quod sit nasus cereus, mortua littera, lesbia regula, sexcenta alia probri, et ignominiæ plena. Ego vero cum plerosque Scriptores Catholicos evolverim, apud nullum ejusmodi dicteria reperire potui, nisi in hoc sensu, quod apud adversarios, Scriptura sacra ita torquetur in varios intellectus, ut nasus cereus, aut lesbia regula esse videatur, quod etiam in hac disputatione de duobus Prophetis apertissime locum habet. Nos enim Catholici, qui Scripturas sacras sequimur, non eas ad nostras opiniones accommodamus, ubi legimus, duos Prophetas saccis indutos, adversus Antichristi doctrinam prædicaturos, atque ab illo interficiendos, et a Deo post triduum resuscitandos : per Prophetas, veros Prophetas ; per saccos, veros saccos ; per prædicationem, veram prædicationem ; per Antichristum, verum Antichristum ; per occisionem, veram occisionem ; per triduum, verum triduum ; per resurrectionem, veram resurrectionem intelligimus. (d) Novatores, qui opinionibus suis scripturas deservire volunt : per Prophetas duos, intelligi volunt, aut ministros novi Evangelii, quamquam plusquam sexcenti sint ; aut libros testamenti veteris, et novi, qui plurimi sunt ; per Antichristum, qui unus erit, seriem hominum bene longam ; per triduum, mille circiter annos intelligunt, et cætera per tropos, et metaphoras ita plane detorquent ad errores suos, ut de regula Lesbia, et de naso cereo faceret.

Secundo dicit, (e) Pontificios nolle corrigi locos etiam corruptissimos veteris editionis : et ponit exempla, ubi nos legimus evertere domum, pro, evertere Luc. XV. *Et sic eum volo manere*, pro, *si eum volo manere* (1).

(1) Joan. XXI, 21.

(a) *Explicantur testimonia Irenæi, et Tertulliani de qualitate vitæ Henoch, et Eliæ.* — (b) *Calumnia de situ Paradisi terrestris.* — (c) *Calumnia hæreticorum.* — (d) *Hæretici scripturas sacras ad opiniones suas accommodare satagunt.* — (e) *Alia calumnia.*

Joan. XXI. At prior locus correctus est in Bibliis Summi Pontificis auctoritate recognitis : posterior non est mutatus, quoniam habetur in omnibus latinis codicibus, etiam antiquissimis. Sic enim legunt S. Ambrosius in Psalm. XLV. et serm. 20. in Psalm. CXVIII. S. Augustinus, Beda, et Rupertus in explanatione ejus loci. Eusebius Emissenus, sive quisquis est auctor in homil. de S. Joanne Evangelista, et alii. Neque verum est, verba illa, sic eum volo manere, mendacium continere, ut rex nimis audacter affirmat : non enim, sic eum volo manere, significat, non volo eum mori, sed non volo eum morte violenta ante tempus naturalis periodi, de hac vita migrare.

Tertio dicit, (a) depravatam esse a nobis Scripturam, quoniam libros apocryphos canonicis exæquavimus, contra quam Patres sentiunt, et vetera concilia decernunt. At nos contra vere dicere possumus, a sectariis, tamquam Antichristi præcursoribus, utrumque testamentum aliquot membris detruncatis, misere esse fœdatum. Quos enim libros, ut apocryphos rejecerunt, nos invenimus in concilio III Carthaginiensi, ante mille ducentos annos celebrato, et apud veteres Patres omnes, uno, vel altero excepto inter Canonicos esse habitos.

Quarto dicit (b) a S. Bonaventura sacrilege corruptum esse psalterium, cum Dominam, pro Domino in toto psalterio posuerit. At S. Bonaventura psalterium Davidis, quod ad scripturam canonicam pertinet, omnino non tetigit ; sed ad similitudinem psalterii Davidis, aliud psalterium ipse composuit, ex pio ad B. Virginem affectu.

Quinto dicit, (c) scripturam a Pontificiis fuisse supressam, quoniam multis sæculis in magna cæcitate, et ignoratione salutaris doctrinæ populus Christianus versatus est ; cum laici Scripturam attingere prohibiti essent : maxima pars clericorum eam legere, aut nollent, aut non possent. At nusquam inveniet rex Scripturæ divinæ lectionem laicis, aut clericis fuisse prohibitam. Et valde mirandum est quod rex addit, ad silentium damnatos esse libros sacros, ut pro hæretico comburetur qui eos in manus sumere auderet, aut inspicere, quæ unquam historia hoc prodidit ? quis auctor tradidit ? ne dicam quis vidit, aut audivit, pro hæretico comburi qui Scripturas attingeret, aut cerneret ?

At, inquit, in ignota lingua libri sacri absconditi jacuerunt. Neque hoc est verum, non enim latina lingua ignota est Ecclesiæ latinæ. Sed etiam Biblia vulgaribus linguis edita non desunt, quamvis non passim concedantur iis, qui rudes, et imperiti cum sint, eas nisi perperam intelligere non queunt ; atque ad hoc ipsum instituti sunt concionatores, qui populari lingua explanent, quæ latine in Ecclesiis leguntur.

Sexto dicit, (d) Scripturam hanc fuisse ab Antichristo interfectam, cum anno 1562. prodiit censura generalis, quæ omnes alias translationes, præter suam comburi jussit, quod etiam nunc fieri solet. At si anno 1562. Scriptura interfecta est ; ergo a Luthero ante a mortuis revocata est, quam ad Antichristo interficeretur. Lutherum enim, a quo adversarii jactant Scripturam sacram in lucem esse revocatam, ad annum 1562. non pervenisse nemo nescit. Atqui hoc vere inauditum miraculum est, excitare a mortuis hominem antequam moriatur. Sed omissis jocis, Ecclesiastica censura non jussit comburi translationes omnes, excepta sua, cum recipiat translationem 70. interpretum, et permittat translationes Syriacas, Chaldaicas, Latinas etiam recentiorum non paucas ; sed comburi jussit translationes hæreticorum, Martini Lutheri, et similium, quas constat plurimis in locis esse corruptas.

His breviter calumniis refutatis, dicam quid mihi videatur de sententia illa, quæ per duos Prophetas duo testamenta significari docet. Si ea sententia vera sit, tria sequuntur, quæ adversarii nullo modo concedent, cum omnium confessione, et ipsorum, et nostra falsissima sint.

Primum est, (e) in Ecclesia veteri primis quingentis, vel sexcentis annis nullos fuisse Scripturæ sanctæ libros, siquidem duo illi Prophetæ, per quos libri utriusque testamenti significantur, non apparuerunt nisi post exortum Antichristum, Apoc. XI. Antichristus exortus non est, nisi post annum Christi sexcentesimum ex sententia adversariorum ; ex nostra vero, neque post annum millesimum sexcentesimum : igitur pri-

(a) *Alia calumnia.* — (b) *Alia calumnia.* — (c) *Alia calumnia, eaque gravissima.* — (d) *Calumnia intolerabilis.* — (e) *Prima absurditas sententiæ de duobus Prophetis duo testamenta significantibus.*

mis sexcentis annis duo illi Prophetæ, id est, duorum testamentorum libri non apparuerunt. An hoc sit verum regi judicandum relinquo, qui tot veterum Patrum Commentaria in sacros libros legit.

Alterum est, (a) regnante Antichristo, toto tempore regni ejus Scripturas divinas, atque earum prædicationem, publicam, et notissimam fuisse, nam duo Prophetæ, mille ducentis sexaginta diebus prædicaverunt, id est, mensibus quadraginta duobus, sive tribus annis cum dimidio : quanto tempore Antichristus regnabit: ut in libro Apocalypsis cap. XI. diserte scribitur, quomodocumque enim illa tempora intelligantur, negari non potest, idem temporis spatium tribui in Scriptura duobus Prophetis, et Antichristo, excepto brevissimo intervallo, quo Antichristus supervivet post Prophetarum illorum interitum. Ergo si duo Prophetæ duo testamenta significant, toto tempore regni Antichristi prædicatio Scripturarum vigeat, et valeat, omnino necesse est. Cur ergo paulo ante deploravit rex cæcitatem, et ignorantiam doctrinæ salutaris tot sæculis invaluisse apud Christianos? Itaque nisi fingant adversarii contra Scripturam, duos Prophetas primis Antichristi diebus extinctos fuisse, nunquam efficient, per multa sæcula Antichristo regnante Scripturas sacras, vel subtilas, vel absconditas, vel ignoratas fuisse.

Tertium est, (b) Scripturas sanctas, postea quam restitutæ fuerunt in lucem per divinam potentiam, assumptas esse in cœlum, neque apud homines in terris unquam amplius visas. Sic enim scribitur in Apocal. cap. XI., duos Prophetas post triduum excitatos, continuo in cœlum assumptos fuisse. Quare si Lutherus, aut Calvinus, Scripturas utrinsque testamenti ab Antichristo sepultas, iterum quasi a mortuis revocarunt : necesse est, ut Scripturæ in cœlum jam sint receptæ, atque ab oculis hominum absconditæ, si quid similitudo duorum Prophetarum, et duorum testamentorum valet. Atqui videmus duo testamenta in manibus hominum adhuc esse, et bibliothecas publicas, et privatas occupasse. Nutat igitur undique conjectura regis; neque utile nobis est ob eam conjecturam a communi sententia Patrum nostrorum, Ecclesiæque recedere. Omitto quæ dicuntur de alia significatione duorum Prophetarum, quoniam eam in libris Controversiarum lib. III. de Pontifice cap. 6. refutatam reliquimus.

CAPUT XII.

De quatuor visionibus S. Joannis in Apocalypsi, quibus Antichristus designatur ex sententia regis.

In extrema disputatione rex quatuor visiones sancti Joannis explanare aggreditur, in quibus Antichristi descriptionem contineri existimat. Eas visiones nos quoque breviter excutiemus. Prima igitur visio habetur in Apocal. cap. VI. Ubi S. Joannes cum vidisset equum unum album, alterum rufum, tertium nigrum, vidit quartum pallidum : hunc pallidum equum, Antichristum esse rex docet, quo auctore, non indicat. Ego interpretes hujus loci cum consulere instituissem, inveni tot sententias, quot fere sunt auctores. S. Augustinus scribit, per equum rufum, nigrum, et pallidum significari tria flagella, famem, bellum et pestem. S. Anselmus, et Richardus per eosdem tres equos intelligi volunt, persecutiones paganorum, hæreticorum, et falsorum fratrum. Alii malunt significari imperia trium Cæsarum, Neronis, Titi et Domitiani. Itaque sine ulla regis injuria dicere possumus, hanc visionem ad Antichristum non pertinere ; præsertim cum ex communi sententia omnium Expositorum de Antichristo agatur paulo post in eodem capite, in apertione sigilli sexti, ubi revelatur (c) ultima, et gravissima persecutio futura prope mundi finem. Ex quo intelligimus, falsum esse quod adversarii dicunt, Antichristum jam regnasse annis mille, et amplius, nisi forte ultima persecutio ultra mille annos duratura essel.

Altera visio habetur in cap. 9. ubi ad clangorem quintæ tubæ, cadit stella de cœlo et aperit puteum abyssi, unde progreditur exercitus locustarum, ac deinde ad clangorem sextæ tubæ procedit exercitus equitum horribilis, et innumerabilis, omnia conculcans, et devastans. Et in hac quidem visione satis convenimus, per stellam cadentem, et

(a) *Secunda absurditas.* — (b) *Tertia absurditas.* (c) *Antichristi persecutio prope mundi finem erit.*

locustas, intelligi præcursores Antichristi ; per exercitum equitum, significari exercitum Antichisti. Sed nos (a) per stellam cadentem, Lutherum significari credimus, per locustas, hæreticos Lutheranos, et Protestantes, ac cæteros hujus temporis Sectarios: Rex autem per stellam cadentem, intelligi vult aliquem eximiæ dignitatis in Ecclesia, qui cum lux mundi esse deberet, munus suum deserens, regnum sibi erexerit, et eo modo sedes Antichristi erigi cœpta sit.

Et nos quidem facile demontrare possumus quo modo Lutherus ceciderit, quo anno, qua occasione, quanto strepitu, et quem exercitum locustarum de abyssi puteo eduxerit. Rex autem non facile docebit, quæ fuerit illa persona Ecclesiastica eximiæ dignitatis, quæ deserto munere suo regnum sibi erexerit, et sedem Antichristo paraverit. Affirmat quidem pag. 99. (b) Bonifacium III. fuisse hominem illum, qui primus se nuncupavit universalem Episcopum, qui titulus Antichristi est.

At, cum bona regis venia, Bonifacius non se universalem Episcopum nominavit, sed a Phoca imperatore sic appellatus est, quo modo S. Gregorius a Patriarcha Alexandrino universalis Episcopus dictus est, ipso S. Gregorio teste in epist. ad Eulog. quæ est 30. lib. VII. Indictionis primæ. Quomodo etiam S. Leoni plus centum annis Gregorio antiquiori, Universalis Patriarchæ titulum Synodus Chalcedonensis obtulit, ut idem S. Gregorius in epist. paulo ante citata testatur. Quare si titulus iste ab aliis oblatus Antichristum facit, non Bonifacius III. sed S. Leo I. Antichristus dicendus erit, ut jam etiam in primis quingentis annis Antichristum regnasse dicendum sit.

At, Bonifacius a Phoca petiit, et obtinuit, Anastasio teste, ut solus Romanus Pontifex universalis diceretur. Respondeo, Bonifacium a Phoca petisse, et impetrasse, ut Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum coerceret, qui titulum universalis Episcopi, qui soli Romano Pontifici jure debetur, sibi indebite usurpabat. Sed neque Bonifacius, neque successores hoc titulo usi sunt, servos se potius servorum Dei in epistolis nominantes. Adde quod Bonifacius III. nullum sibi regnum erexit, cum nulla in re a majorum suorum humilitate recesserit, neque munus suum Ecclesiasticum deseruit, cum in brevissimo illo spatio octo mensium, quo sedit in Apostolico throno, Concilium Episcoporum Romæ coegerit, et multa instituerit, quæ ad Cleri reformationem pertinere visa sunt. Itaque gratis omnino rex Bonifacium III. potius, quam quemvis alium ex antecessoribus, Antichristum, vel Antichristi præcursorem fecit.

Addit rex in eodem loco, doctrinam Antichristi declarari in eodem cap. IX. Apocal. ubi dicitur, residuos homines, qui non sunt occisi in his plagis, non egisse pœnitentiam ab operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque incedere : nec egisse pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis, neque a fornicationibus, neque a furtis.

Ex his autem colligit rex (c) Pontificios sequi doctrinam Antichristi, quoniam Vasques Jesuita docet Dæmonia esse colenda ; et reliqui Pontificii passim imagines aureas, argenteas, æreas, lapideas, et ligneas colunt : homicidia præterea faciunt, veneficiis utuntur, cum per agnos Dei cereos ignem restinguunt ; et per indusia benedicta, et diversorum generum reliquias, et orationes conservant homines a tormentorum bellicorum impetu, vi flammæ, violentia ferri, ictu fulminum, cæterisque id genus periculis : fornicantur, tum spiritualiter idololatrando, tum carnaliter propter prohibitum clericis, monachis, et sanctimonialibus conjugium, furti denique rei sunt, tum quod Deo subripiunt titulos honorum, ut eos in Antichristum suum conferant, tum per jubilæa, indulgentias, reliquias, et similes nundinationes pecunias cumulant.

Ad hæc omnia facillima, et expeditissima responsio est. (d) regem vehementer falli, cum verba illa Apocalypsis ad doctrinam Antichristi refert, et cum eam doctrinam Catholicis tamquam propriam accommodare nititur. Primum enim conveniunt interpretes hujus loci Anselmus, Richardus, et alii, verba supra citata, nihil aliud significare, nisi cum Antichristo perituros in æternum, non tantum Christianos, quos ille artibus suis deceperit ; sed etiam paganos, qui non egerint pœnitentiam ab idololatria, et cultu

(a) *Quid per stellam de cœlo cadentem signi, cetur.* — (b) *Bonifacius III. Papa optimus, summa injuria Antichristi nomine infamatur.* — (c) *Calumniæ variæ, longe petitæ.* — (d) *Refutatur calumnia generatim.*

dæmoniorum. Dii enim gentium dæmonia sunt. Psal. CXV. Et quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. I Corinth. X. Et præterea Judæos, qui non egerint pœnitentiam ab homicidiis, veneficiis, fornicationibus et furtis. Judæi enim præter exteros et fornicationibus, et maxime furtis publice per usuras augendo copias suas.

(a) Deinde quomodo potest fieri, ut doctrina Antichristi sit colere dæmones, et idola omnium generum, cum de illo scribat Daniel cap. XI. Antichristum adversus omnes Deos pugnaturum, ut ipse solus habeatur Deus? Mirum autem est, tantum regem ea scribere non dubitasse de Jesuita Vasque, quæ sola libri ab ipso citati inspectione falsa esse intelliguntur, citat enim rex librum tertium Vasques, De cultu adorationis disp. I. cap. 5. At eo loco Vasques quæstionem illam tractat, An censendus sit idololatra qui dæmonem sibi apparentem sub imagine Crucifixi, adoraverit. Respondet vero, non habendum idololatram, sed illusum, si existimaverit eum qui sibi apparuit vere esse Christum, et solum Christum adorare intenderit, et invincibiliter ignoraverit sub illa imagine dæmonem latere. Hoccine est docere dæmonis cultum? quid si regius servus indutus regias vestes prodeat, et ut rex ab ignorantibus adoretur; num imperiti adoratores majestatis rei habebuntur, an potius, ut illusi ridebuntur? Atque hoc est argumentum quo rex probare voluit, Pontificios dæmonum esse cultores. De cultu imaginum nihil addendum est ad ea, quæ supra disseruimus, satis enim constat, imagines Sanctorum, neque esse idola, neque adorari ut Deos.

(b) Homicidia, veneficia, fornicationes, et furta non negamus apud Catholicos inveniri, sed neque rex negabit in suo regno apud Protestantes suos frequentia esse. Quod si probari posset, in Ecclesia Catholica doceri hæc esse licita, et justa; et non potius, ut injusta, et illicita prohiberi, et puniri: tum aliquid adversarii dicerent: sed ex flagitiis, et sceleribus toti humano generi communibus, colligere doctrinam Antichristi apud solos Pontificios esse, ineptum et ridiculum est.

At soli Pontificii per agnos Dei cereos, ignem restinguunt: id autem veneficio simile est. Respondeo: Miracula divina apud solos Pontificios conspiciuntur: (c) sed invocatio divini nominis, et benedictio sacerdotalis, qua cerei agni consecrantur, veneficiis tribui non possunt, nisi Deus habeatur pro diabolo. Illa enim veneficia sunt, quæ ex invocatione diaboli, et pacto quodam cum ipso diabolo inito vim suam habent. Qui autem miracula, quæ per indusia, cæterasque reliquias fiunt, damnat, damnare etiam debet miracula, quæ teste Luca in Act. Apost. cap. XIX. fiebant per sudaria, et semicincta S. Pauli; et quæ teste S. Augustino lib. XXII. de Civ. Dei cap. 8. fiebant per reliquias S. Stephani; et alia id genus plurima, quibus pleni sunt libri sanctorum Patrum. Nec tamen probamus, sed damnamus, et rejicimus superstitiosas orationes, quas interdum nonnulli adhibent adversus arma, vel fulmina, cum characteribus incognitis, et invocatione dæmonum.

(d) De multitudine Monachorum, et Sanctimonialium, id solum dicam, non posse reprehendi ejusmodi instituta, nisi reprehendantur Patres omnes primorum quingentorum annorum. Certe si quis legat vel epistolas S. Hieronymi de custodia Virginitatis, et de obitu Paulæ ad Eustochium; vel librum S. Augustini de moribus Ecclesiæ, vel S. Joannis Chrysostomi libros adversus vituperatores vitæ monasticæ; videbit tot millia Monachorum, et Sanctimonialium fuisse in illa prima Ecclesia, ut merito dicere possit, sectas Lutheranorum, et Calvinistarum, unde hæc instituta penitus exultant, nihil habere commune cum Ecclesia primitiva

(e) Denique quæ rex dicit de cumulandis opibus per artificium jubilæorum, et indulgentiarum, satis ostendunt, cum plus fidei habuisse calumniis Lutheri, et similium novatorum, quam simplici veritati. Hoc certe tempore si eleemosynæ faciendæ præscribantur iis, quibus indulgentiæ conceduntur; in arbitrio singulorum relinquitur, ut quibus egenis libeat eleemosynas faciant.

Sequitur visio tertia quæ habetur in Apoc. cap. XIII. Ubi describitur bestia quædam horribilis, quæ de mari ascendet, habens capita septem, et cornua decem. Ex quibus capitibus unum plaga lethali feretur, sed paulo post resurget cum admiratione uni-

(a) *Refutatur calumnia de cultu dæmonum.* — (b) *Refutantur calumniæ de homicidiis, aliisque sceleribus.* — (c) *Refutatur calumnia de Agnis Dei cereis.* — (d) *Refutatur calumnia de multitudine Monachorum, et Sanctimonialium.* — (e) *Refutatur calumnia de nundinationibus indulgentiarum.*

versæ terræ: huic bestiæ dedit draco virtutem suam. Ibidem describitur alia bestia, quæ ex terra ascendet, habens cornua duo similia agni, et hæc posterior bestia miracula faciet, ut ignem de cælo descendere, ad hunc finem, ut omnes priorem bestiam adorent. Addit Joannes, neminem illis temporibus habiturum potestatem vendendi, aut emendi, nisi in manu, aut in fronte characterem bestiæ gerat: denique numerum bestiæ dicit Joannes futurum numerum 666.

De hac visione rex multa dicit, atque omnia detorquere conatur ad nos Catholicos, ut Antichristi adoratores, et sectatores. Sed (a) ex hoc ipso c. XIII. Apocalypsis, nos multo facilius, et clarius demonstramus, Antichristum nondum venisse. Quando enim Antichristus venerit, notissima erunt omnia, quæ sit prior bestia, quæ posterior, quod caput occisum, et resurgens, quis character ejus, quod nomen ejus; et cætera quæ nunc ita sunt obscura, ut conjecturis, et divinatione sit opus.

Communis expositio Catholicorum veterum est, per draconem intelligi diabolum; per priorem bestiam, universitatem impiorum; per caput hujus bestiæ occisum, et reviviscens, Antichristum, qui erit postremum, et maximum caput impiorum, quique finget se occisum, ut fingat resurrectionem ad imitationem Christi; per posteriorem bestiam, prædicatores, et Apostolos Antichristi, qui miracula facient, ut ad Antichristum homines alliciant: de charactere, et numero nominis, rem fore abditam, et incognitam, donec Antichristus appareat.

Videamus nunc, quid rex ex hac visione colligat adversus Catholicos. Primum igitur, per caput bestiæ occisum, et reviviscens, intelligendum esse dicit Antichristum, qui una imperandi ratione a Gothis, et Vandalis plagam lethalem acceperat; sed mox curata plaga aperuit os suum ad blasphemias, et ab universa terra adorari debuit. Et addit rex: « Cultus autem, atque adoratio hoc eodem nomine, ac titulo, soleat ne adhiberi singulis Pontificibus, cum inaugurantur, nemo Cardinali nostro melius novit. » Hæc ille.

(b) At Gothi, et Vandali, nullam plagam Romano Pontifici inflixerunt, sed imperatori Romano cui Gothi Italiam, et Hispaniam, Vandali Africam abstulerunt: plaga autem curata dici poterit, cum Justinianus Italiam, et Africam recuperavit. Itaque si is, cui plaga inflicta est, et paulo post curata, Antichristus est; non Romanus Pontifex, sed Romanus imperator Antichristus erit. Quod si non placet imperatorem Antichristum vocari, quemadmodum revera Antichristus non est, acquiescat rex expositioni S. Gregorii lib. II, epistola 3. Primasii, Bedæ, Haymonis, Anselmi, Richardi, et Ruperti in c. XIII. Apocal. qui omnes unanimi consensu docent. Antichristum simulaturum plagam incurabilem se accepisse, atque occisum esse, ac paulo post a mortuis propria virtute surrexisse, ut tanto facilius pro Deo haberi, et adorari possit. Cum autem nullus unquam Pontificum Romanorum mortem, et resurrectionem simulaverit, neque pro Deo haberi, et adorari voluerit; vel ex hoc intelligi potest, quantum absint a veritate, qui Pontificem Antichristum esse jactant.

At, inquit rex, adorari Pontifices cum inaugurantur, Cardinalis non negabit. (c) Verum est Pontifices maximos adorari, sed ut Vicarios Dei, non ut deos. Et Scriptura divina passim utitur voce adorationis pro veneratione, quæ adhibetur hominibus. Vix enim ulla est adoratio externa, quæ soli vero Deo exhibeatur, præter honorem sacrificii, et quæ ad sacrificium pertinent, templa, aræ, sacerdotes. Hinc enim S. Augustinus, lib. XX. contra faustum cap. 21. Respondens Fausto, qui scripserat nos Martyres in Idola vertisse; probat in Ecclesia Christi non adorari sanctos Martyres, ut Deos, quia sacerdos ad altare constitutus numquam dicit, offero tibi Petre, vel Paule, vel Cypriane. Quare si rex ostendet sacrificium Pontifici Romano fuisse aliquando oblatum, aut aras erectas, aut templa dedicata, aut Sacerdotes institutos, quemadmodum factum esse scimus imperatoribus quibusdam, qui Dii haberi volebant; et quemadmodum Antichristus sibi fieri jubebit; tum demum concedemus Pontificem haberi, et adorari, ut Deum: at dum eo cultu adorationis honoratur, qui non convenit soli Deo, sed etiam creaturis, frustra de nomine adorationis calumnia struitur.

Deinde addit rex miraculum bestiæ minoris, quæ faciet ignem de cælo descendere;

(a) *Obscuritas hujus prophetiæ, Antichristum nondum venisse convincit.* — (b) *Refutatur expositio adversariorum.* — (c) *Refutatur calumnia de adoratione Pontificis.*

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsum esse fulmen excommunicationis, quo Pontifex Romanus homines terret : et ipsos etiam reges percellit. (a) At hoc miraculum non tribuitur in Apocalypsi bestiæ majori, quæ Antichristum significat ; sed minori, quæ antichristo deservit : non igitur Pontifex, qui fulmine homines terret, Antichristus erit : et rex quærere jam debebit quis sit Antichristus, in cujus gratiam Papa fulmen de cœlo descendere facit. Deinde S. Joannes meminit hujus miraculi, ut rei novæ, et insolitæ : at excommunicatio res est communis, et nota, qua etiam Protestantes utuntur ; et quam Ecclesia familiarem habuit multo ante, quam Antichristus, etiam iste fictitius, et a novatoribus excogitatus, exortus diceretur. Ergo cum communi expositione scriptorum veterum supra citatorum credendum est, verum ignem de cœlo descensurum ad imperium ministrorum Antichristi, et non per tropos verba Scripturæ detorquenda sunt ad excommunicationes. Ex quo intelligimus merum esse figmentum, quod Papa sit Antichristus, cum nullus Pontificum Romanorum, neque per se, neque per suos ignem de cœlo descendere fecerit.

(b) Porro characterem Antichristi esse dicit rex professionem obedientiæ Romano Pontifici. Sed hoc multis modis repugnat scripturæ verbis Scriptura enim Apocal. XIII. significat, characterem bestiæ accipiendum in dextera manu, aut in fronte : professio obedientiæ neque in dextera, neque in fronte accipitur. Deinde character bestiæ necessarius erit in toto Antichristi regno omnibus hominibus, pusillis, et magnis, pauperibus, et divitibus, servis, et liberis. At quot millia sunt in ditione Romani Pontificis, qui professionem obedientiæ non possunt ostendere? Professio enim fieri solet ab iis, qui promoventur ad gradus dignitatum, aut doctoratum, aut certa officia : ab aliis plurimis, atque adeo a maxima parte hominum non exigitur, quamvis enim teneantur omnes Romano Pontifici obedire : tamen non tenentur omnes conceptis verbis, et certo ritu professionem istam facere, multo minus in fronte, vel in manu gestare. Præterea, eadem scriptura dicit, in toto regno Antichristi, neminem permittendum emere, aut vendere, nisi characterem habeat, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. At quot sunt in ipsa urbe Roma Judæi, qui publice vendunt, et emunt, nec habent ejusmodi characterem, neque summo Pontifici adhærent?

Itaque licet multi multa de isto charactere divinare conentur, non tamen certo scietur quid sit, nisi cum Antichristus venerit ; nisi forte placeat cum antiquissimo scriptore Hippolyto martyre dicere, (c) Christi characterem esse signum Crucis abolitionem ; quali charactere dignoscuntur hoc tempore, Calviani, ut præcursores Antichristi.

Denique de numero 666, dicit rex, eo numero designari nomen græcum Λατεινος : nam litteræ hujus nominis faciunt hunc numerum. (d) Papam autem esse latinum, et apud latinos potissimum dominari notissimum est. Sed nomen, latinum, non scribitur per ι, et sine ει, non reddit numerum 666. Præterea nomen Antichristi proprium designatur ab Evangelista, non nomen commune plurimus, ut est, latinus : proprio autem nomine nullus Pontificum dictus est latinus. Denique inveniuntur nomina plurima, quæ numerum illum 666. efficiunt : notavit Arethas in comment. hujus loci septem nomina, quæ hunc numerum reddunt : alii alia plurima, de quare multa scripsimus in lib. III. de Pontif. cap. 10.

Addit rex per numerum 666. posse intelligi tempus, quo Antichristus apparere debuit. Siquidem Bonifacius III. Papa, qui primus Antichristi titulum usurpavit, sedit anno Domini 606. At (e) numerus ille numerus nominis est, ut S. Joannes expresse dixit ; non igitur detorqueri debet ad numerum temporis : deinde numerus annorum a Christo ad Bonifacium non continet 666. sed 606.

At, inquit rex, potest inchoari tempus hujus numeri ab anno quo Pompæus Magnus templum Hierosolymitanum diripuit. Omitto id gratis dici : illud ad refutandam hanc supputationem sufficit, quod ab illa direptione templi, usque ad annum Domini 606. quo Bonifacius sedit, sunt anni 670. Itaque necesse est, vel S. Joannem fuisse deceptum, quod fieri non potest, vel (f) errare eos, qui

(a) *Refutatur calumnia de fulmine excommunicationis.* — (b) *Character Antichristi non potest esse professio obedientiæ debitæ Pontifici.* — (c) *Character Christi signum Crucis : character Antichristi, abolitio crucis.* — (d) *Refelluntur conjecturæ de numero nominis Antichristi.* — (e) *Numerus 666. non est numerus temporis, sed nominis Antichristi.* — (f) *Frustra adversarii supputando se torquent.*

volunt numero 666. designari tempus adventus Antichristi. Quod autem rex dicit, sexaginta annis post obitum Bonifacii III. fuisse confirmatum regnum Antichristi, atque hoc indicari per numerum 666. aliquid esset, si posset ostendi aliquid peculiare accidisse anno 666. ut aliquam mutationem regiminis, vel creationem novi Pontificis, vel acquisitionem novi tituli, aut aliquid ejusmodi. Sed cum annus Domini 666. inciderit in Pontificatum Vitaliani, qui jam aliquot annis sederat, et pacifice, ac sine ulla innovatione sederat : nulla ratio reddi potest, cur tempus illud tam insolita revelatione notari debuerit, ut omittam, quod supra dixi, hunc numerum nominis bestiæ, non temporis ab ipso S. Joanne nominari.

Restat visio quarta ex cap. XVII. Apocal. quæ quanto prolixius tractatur a rege, tanto brevius expedietur a nobis. Describitur enim in eo capite magna quædam meretrix insidens bestiæ, quam rex Antichristum esse vult ; et eo posito fundamento multa disputat de Antichristo, addens etiam de infelici hujus meretricis exitu ex cap. 18. 19. et 20. quæ omnia prætereunda existimo ; quoniam per eam meretricem Antichristus intelligi non potest : et fundamento everso totum ædificium corruat necesse est.

Non posse autem per (a) eam meretricem intelligi Antichristum, probamus primo ex sententia veterum Patrum : Patres enim permulti per eam meretricem, intelligunt universitatem impiorum. Ita S. Augustinus in Psal. XXVI. Arethas, Haymo, Richardus, Anselmus, Beda, et Rupertus in cap. XVII. Apocal. Alii intelligunt Romam imperantem, sive Romanum imperium, quale erat tempore Apostolorum, cum dominaretur omnibus gentibus, et omnium gentium serviret erroribus. Sic exponunt Tertull. in lib. cont. Judæos, et lib. III. cont. Marcionem, et S. Hieronymus in epist. ad Marcellam, et in altera ad Algasiam qu. 11. Et confirmari potest horum auctorum sententia ex eo quod S. Petrus in epist. priore cap. ultimo Romam, qualis tunc erat, sub nomine Babylonis significat. Et S. Joannes hac ipsam meretricem magnam, Babylonem appellat ; ac ut explicet de qua Babylone loquatur, dicit esse civitatem, quæ habet imperium super reges terræ, et sedet super montes septem.

Adde quod ex sententia regis pag. 88. et alibi, per bestiam, cui mulier insidet, Antichristus intelligitur. Sic enim loquitur S. Joannes cap. XVII. *Et dixit mihi Angelus, quare miraris ? ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua decem. Bestia, quam vidisti, fuit, et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit* (1). Sic autem rex loquitur : « Octava, quæ est bestia, quæ erat, et non est, et itura est in perditionem, ipse est Antichristus. » Jam si (b) bestia, quæ mulierem portat, Antichristus est, quomodo ipsa mulier est Antichristus ? quis ferat equitem cum equo confundi, ut eques supra se ipse sedere dicatur ; ignoscat igitur rex nobis tardioribus, si malumus cum expositoribus, aliud per bestiam, aliud per mulierem insidentem bestiæ intelligere, quam cum novatoribus bestiam cum meretrice confundere. Atque hæc de Antichristo hoc loco sufficiant.

CAPUT XIII.

Diluuntur variæ calumniæ.

Expedita disputatione de Antichristo, rex multa addit adversus Catholicos, quæ breviter refellenda sunt pag. 109 : « Et certe, inquit rex, credo, non est illa mediocris animarum negotiatio, cum homines, usque eo spe et promissione æternæ salutis fascinantur, ut facile persuadeatur fratercolo, regem dominum suum confodere ; imberbi adolescentulo in vitam proximi successoris perdite invadere ; multis in serenissimæ reginæ nuper defunctæ necem sæpius conjurare ; denique me imperium obtinente nitrati pulveris impetu regnum, regnique ordines funditus evertere, atque ita tam animi, quam animæ jacturam facere. »

(c) Hæc gravis omnino reprehensio est, et quanto est gravior, tanto gravioribus testimoniis confirmari debuisset. Nam si ex particularibus hominum factis de doctrina judicandum esset, non solum doctrina recentiorum Catholicorum, sed etiam veterum omnium Doctorum, sive in Republica antiqua Judæorum, sive in Ecclesia Christiano-

(1) Apo. XVII, 7.

(a) *Mulier, quæ insidet bestiæ, non est Antichristus.* — (b) *Inepte adversarii equitem cum equo confundunt.* — (c) *Atrocissima calumnia apertissime refutatur.*

ipsum esse fulmen excommunicationis, quo Pontifex Romanus homines terret : et ipsos etiam reges percellit. (a) At hoc miraculum non tribuitur in Apocalypsi bestiæ majori, quæ Antichristum significat ; sed minori, quæ antichristo deservit : non igitur Pontifex, qui fulmine homines terret, Antichristus erit : et rex quærere jam debebit quis sit Antichristus, in cujus gratiam Papa fulmen de cœlo descendere facit. Deinde S. Joannes meminit hujus miraculi, ut rei novæ, et insolitæ : at excommunicatio res est communis, et nota, qua etiam Protestantes utuntur ; et quam Ecclesia familiarem habuit multo ante, quam Antichristus, etiam iste fictitius, et a novatoribus excogitatus, exortus diceretur. Ergo cum communi expositione scriptorum veterum supra citatorum credendum est, verum ignem de cœlo descensurum ad imperium ministrorum Antichristi, et non per tropos verba Scripturæ detorquenda sunt ad excommunicationes. Ex quo intelligimus merum esse figmentum, quod Papa sit Antichristus, cum nullus Pontificum Romanorum, neque per se, neque per suos ignem de cœlo descendere fecerit.

(b) Porro characterem Antichristi esse dicit rex professionem obedientiæ Romano Pontifici. Sed hoc multis modis repugnat scripturæ verbis Scriptura enim Apocal. XIII. significat, characterem bestiæ accipiendum in dextera manu, aut in fronte : professio obedientiæ neque in dextera, neque in fronte accipitur. Deinde character bestiæ necessarius erit in toto Antichristi regno omnibus hominibus, pusillis, et magnis, pauperibus, et divitibus, servis, et liberis. At quot millia sunt in ditione Romani Pontificis, qui professionem obedientiæ non possunt ostendere? Professio enim fieri solet ab iis, qui promoventur ad gradus dignitatum, aut doctoratum, aut certa officia : ab aliis plurimis, atque adeo a maxima parte hominum non exigitur, quamvis enim teneantur omnes Romano Pontifici obedire : tamen non tenentur omnes conceptis verbis, et certo ritu professionem istam facere, multo minus in fronte, vel in manu gestare. Præterea, eadem scriptura dicit, in toto regno Antichristi, neminem permittendum emere, aut vendere, nisi characterem habeat, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. At quot sunt in ipsa urbe Roma Judæi, qui publice vendunt, et emunt, nec habent ejusmodi characterem, neque summo Pontifici adhærent?

Itaque licet multi multa de isto charactere divinare conentur, non tamen certo scietur quid sit, nisi cum Antichristus venerit ; nisi forte placeat cum antiquissimo scriptore Hippolyto martyre dicere, (c) Christi characterem esse signum Crucis abolitionem ; quali charactere dignoscuntur hoc tempore, Calviani, ut præcursores Antichristi.

Denique de numero 666, dicit rex, eo numero designari nomen græcum Λατεινος : nam litteræ hujus nominis faciunt hunc numerum. (d) Papam autem esse latinum, et apud latinos potissimum dominari notissimum est. Sed nomen, latinum, non scribitur per ι, et sine ει, non reddit numerum 666. Præterea nomen Antichristi proprium designatur ab Evangelista, non nomen commune plurimus, ut est, latinus : proprio autem nomine nullus Pontificum dictus est latinus. Denique inveniuntur nomina plurima, quæ numerum illum 666. efficiunt : notavit Arethas in comment. hujus loci septem nomina, quæ hunc numerum reddunt : alii alia plurima, de quare multa scripsimus in lib. III. de Pontif. cap. 10.

Addit rex per numerum 666. posse intelligi tempus, quo Antichristus apparere debuit. Siquidem Bonifacius III. Papa, qui primus Antichristi titulum usurpavit, sedit anno Domini 606. At (e) numerus ille numerus nominis est, ut S. Joannes expresse dixit ; non igitur detorqueri debet ad numerum temporis : deinde numerus annorum a Christo ad Bonifacium non continet 666. sed 606.

At, inquit rex, potest inchoari tempus hujus numeri ab anno quo Pompæus Magnus templum Hierosolymitanum diripuit. Omitto id gratis dici : illud ad refutandam hanc supputationem sufficit, quod ab illa direptione templi, usque ad annum Domini 606. quo Bonifacius sedit, sunt anni 670. Itaque necesse est, vel S. Joannem fuisse deceptum, quod fieri non potest, vel (f) errare eos, qui

(a) *Refutatur calumnia de fulmine excommunicationis.* — (b) *Character Antichristi non potest esse professio obedientiæ debitæ Pontifici.* — (c) *Character Christi signum Crucis : character Antichristi, abolitio crucis.* — (d) *Refelluntur conjecturæ de numero nominis Antichristi.* — (e) *Numerus 666. non est numerus temporis, sed nominis Antichristi.* — (f) *Frustra adversarii supputando se torquent.*

volunt numero 666. designari tempus adventus Antichristi. Quod autem rex dicit, sexaginta annis post obitum Bonifacii III. fuisse confirmatum regnum Antichristi, atque hoc indicari per numerum 666. aliquid esset, si posset ostendi aliquid peculiare accidisse anno 666. ut aliquam mutationem regiminis, vel creationem novi Pontificis, vel acquisitionem novi tituli, aut aliquid ejusmodi. Sed cum annus Domini 666. inciderit in Pontificatum Vitaliani, qui jam aliquot annis sederat, et pacifice, ac sine ulla innovatione sederat : nulla ratio reddi potest, cur tempus illud tam insolita revelatione notari debuerit, ut omittam, quod supra dixi, hunc numerum nominis bestiæ, non temporis ab ipso S. Joanne nominari.

Restat visio quarta ex cap. XVII. Apocal. quæ quanto prolixius tractatur a rege, tanto brevius expedietur a nobis. Describitur enim in eo capite magna quædam meretrix insidens bestiæ, quam rex Antichristum esse vult ; et eo posito fundamento multa disputat de Antichristo, addens etiam de infelici hujus meretricis exitu ex cap. 18. 19. et 20. quæ omnia prætereunda existimo ; quoniam per eam meretricem Antichristus intelligi non potest : et fundamento everso totum ædificium corruat necesse est.

Non posse autem per (a) eam meretricem intelligi Antichristum, probamus primo ex sententia veterum Patrum : Patres enim permulti per eam meretricem, intelligunt universitatem impiorum. Ita S. Augustinus in Psal. XXVI. Arethas, Haymo, Richardus, Anselmus, Beda, et Rupertus in cap. XVII. Apocal. Alii intelligunt Romam imperantem, sive Romanum imperium, quale erat tempore Apostolorum, cum dominaretur omnibus gentibus, et omnium gentium serviret erroribus. Sic exponunt Tertull. in lib. cont. Judæos, et lib. III. cont. Marcionem, et S. Hieronymus in epist. ad Marcellam, et in altera ad Algasiam qu. 11. Et confirmari potest horum auctorum sententia ex eo quod S. Petrus in epist. priore cap. ultimo Romam, qualis tunc erat, sub nomine Babylonis significat. Et S. Joannes hac ipsam meretricem magnam, Babylonem appellat ; ac ut explicet de qua Babylone loquatur, dicit esse civitatem, quæ habet imperium super reges terræ, et sedet super montes septem.

Adde quod ex sententia regis pag. 88. et alibi, per bestiam, cui mulier insidet, Antichristus intelligitur. Sic enim loquitur S. Joannes cap. XVII. *Et dixit mihi Angelus, quare miraris ? ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua decem. Bestia, quam vidisti, fuit, et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit* (1). Sic autem rex loquitur : « Octava, quæ est bestia, quæ erat, et non est, et itura est in perditionem, ipse est Antichristus. » Jam si (b) bestia, quæ mulierem portat, Antichristus est, quomodo ipsa mulier est Antichristus ? quis ferat equitem cum equo confundi, ut eques supra se ipse sedere dicatur ; ignoscat igitur rex nobis tardioribus, si malumus cum expositoribus, aliud per bestiam, aliud per mulierem insidentem bestiæ intelligere, quam cum novatoribus bestiam cum meretrice confundere. Atque hæc de Antichristo hoc loco sufficiant.

CAPUT XIII.

Diluuntur variæ calumniæ.

Expedita disputatione de Antichristo, rex multa addit adversus Catholicos, quæ breviter refellenda sunt pag. 109 : « Et certe, inquit rex, credo, non est illa mediocris animarum negotiatio, cum homines, usque eo spe et promissione æternæ salutis fascinantur, ut facile persuadeatur fratercolo, regem dominum suum confodere ; imberbi adolescentulo in vitam proximi successoris perdite invadere ; multis in serenissimæ reginæ nuper defunctæ necem sæpius conjurare ; denique me imperium obtinente nitrati pulveris impetu regnum, regnique ordines funditus evertere, atque ita tam animi, quam animæ jacturam facere. »

(c) Hæc gravis omnino reprehensio est, et quanto est gravior, tanto gravioribus testimoniis confirmari debuisset. Nam si ex particularibus hominum factis de doctrina judicandum esset, non solum doctrina recentiorum Catholicorum, sed etiam veterum omnium Doctorum, sive in Republica antiqua Judæorum, sive in Ecclesia Christiano-

(1) Apo. XVII, 7.

(a) *Mulier, quæ insidet bestiæ, non est Antichristus.* — (b) *Inepte adversarii equitem cum equo confundunt.* — (c) *Atrocissima calumnia apertissime refutatur.*

rum hanc calumniam pati posset. Illud unum in libris Ecclesiasticis invenio; indulgentiam peccatorum a Summis Pontificibus in generalibus conciliis concessam fuisse iis, qui Cruce suscepta in bellis Christianorum principum adversus infideles arma sumpsissent. Atque hanc indulgentiam prædicatam lego, tum ab aliis viris doctis, et sanctis, tum præcipue a S. Bernardo, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis; ut ipse breviter modesteque testatur in præfatione libri secundi de Consideratione : et fusius hoc ipsum scribitur in tertio libro de vita ejusdem S. Bernardi cap. 4.

At quod sicariis promissa sit spes æternæ vitæ, si regnum vitæ insidientur, nusquam legi, numquam audivi. Sed contra potius legi in concilio Constantiensi sess. 15. publice damnatum articulum illum, Quilibet Tyrannus potest, et debet licite, et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum, et subditum, etiam per clamculares insidias, subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato judicis cujuscumque. Hunc articulum ita damnavit concilium, ut hæreticos censendos, et ut hæreticos puniendos esse decreverit, qui ejusmodi articulum pertinaciter defendere voluerint.

Illos autem, quos in exemplum rex adducit, fuisse persuasos ab aliquo Ecclesiastico Antistite sub promissione, et spe vitæ æternæ, ut facerent quod fecerunt, rex non probat, neque ex confessione ipsorum, aut aliis indiciis constare potest. Sed si regi placeat vera audire, vel legere, facile inveniet doctrinam, quam objicit Catholicis, propriam esse novatorum.

Certe Joannis Wicleffi Angli, quem Protestantes in pretio habent, et ejus laudes in capite libri posuerunt Foxius, et Crispinus historiæ novi Evangelii in Anglia scriptores, illi articuli sunt in concilio Constantiensi damnati sess. 8. Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, dum est in peccato mortali. (a) Item populares possunt ad suum arbitrium Dominos peccantes corrigere.

Hi sunt articuli Patriarchæ, vel Prophetæ vestri Wicleffi, qui non ob tyrannidem solum, sed ob quodlibet adulterium, vel sacrilegium, vel injustum cædem, vel ob quodcumque aliud lethale crimen dominos privat dominiis suis : et quasi injustos possessores tradit popularibus pro arbitrio corrigendos. Atque ex hac doctrina natus esse videtur error, de quo paulo ante diximus.

Quis autem Lutheri temporibus auctor fuit tot millibus rusticorum, ut adversus principes arma sumerent? nonne Ministri reformatæ vel deformatæ potius a Luthero religionis? Catholicos certe fuisse seditionis illius auctores, ne advêrsarii quidem scribere ausi sunt. Qui vero Franciscum regem Francorum secundum, fratres, matrem, et conjugem sumptis armis interficere moliti sunt; nonne Fratres evangelici fuerunt, auctore Beza, suasore Calvino? Id Surius narrat in historia anni salutis 1560. Qui denique sunt, qui tot turbas in Scotia adversus hunc ipsum regem excitarunt, quique eum in ordinem redigere, et anarchiam introducere voluerunt, nonne illi ipsi, qui reformatam Calvini religionem, ut ipsi eam vocant, in Scotiam introduxerunt? hoc rex ipse in suo Basilico Doro aperte testatur. Desinat igitur notam illam Catholicis inurere, quam in Doctoribus suis inhærere negare non potest. Subjungit postea rex pag. 116. nonnulla de excellentia regiæ dignitatis supra Cardinalitiam, quæ omnia sunt a nobis excussa in capite de comparatione regis, et Cardinalis.

Pag. 120. iterum revertitur ad invidiam conflandam Catholicis apud reges ob exemptionem Clericorum : sed illud præcipue reprehendit, quod scripserim S. Gregorium Mauritio imperatori coactum paruisse. « Non pudet, inquit rex, hominem, Christianam Sancti illius viri, Gregorii, humilitatem traducere, quasi id fuisset violentum, coactumque obsequium Gregorio, vel non satis valente, vel non auso repugnare, qua in re non injuriam Gregorio tantum facit, sed omnino humilitatis, ac patientiæ splendorem illum, qui in prima illa, et adhuc oriente Ecclesia, ac præsertim sub persecutionum sævitia nituit, fœda, turpique labe maculat; si hæc ingens martyrii, et Christianæ patientiæ gloria non dimissioni animi spontaneæ, sed necessitati adscribatur; quod aut viribus, aut animis defecti (instar Judæorum, aut Turcicorum mancipiorum) fortioribus adversariis cederent : contra SS. Pauli Petrique præcepta, qui propter conscientiam subditos esse jubent, contra illam etiam Tertulliani pro Christianis Apologiam,

(a) *Hæreticorum proprium est in proprios dominos arma sumere.*

et antiquorum Patrum apertam professionem, et ubique repetitam. »

Hæc ille, qui (a) primum meminisse deberet, me quicquid scripsi, ex verbis S. Gregorii scripsisse, citavi epistolas, citavi Commentaria in Psal. pœnitent. ubi Mauritium imperatorem Gregorius Papa cum Neróne, et Diocletiano comparat : eumque gravissime reprehendit, quod Ecclesiam Romanam sibi subjugare, quodque jugum importabile toti reipublicæ imponere voluisset. Oportuisset sane regem ad loca citata ex S. Gregorii libris aliquid respondere, et si me falso aliquid citasse convincere potuisset, tum demum jure me impudentiæ notasset.

Miratus autem valde sum, quorsum exempla Martyrum, et testimonia SS. Petri, et Pauli allata pertineant, quasi non possit humilitas, et patientia servari, et simul violentia, et crudelitas persecutorum reprehendi. In secundo libro Machab. cap. VII. Martyres sanctissimi, et patientissimi, quorum patientiam, prædicat S. Cyprianus lib. IV. epist. 6. et sanctus Gregorius Nazianzenus integra oratione, S. Augustinus, et alii passim, Antiocho regi dicunt : « Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis, sed rex mundi nos pro suis legibus defunctos, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. » Christus ipse humilitatis, et patientiæ verum exemplar, non timuit patientiam amittere, si servo cædenti se diceret, *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : sin autem bene, cur me cædis?* Joan. XVIII. S. Stephanus primus Martyr a vestigiis Domini non recessit, cum persecutoribus suis dixit, *Dura cervice, et incircumciti cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Act. VII. Neque Apostolus Paulus oblitus est patientiæ, et humilitatis, cum Pontifici jubenti percuti os ejus dixit : *Percutiet te Deus paries dealbate* (1). Act. XXIII. Similia legimus in historiis sanctorum Martyrum, et ipsarum etiam sanctarum Virginum Agathæ, Agnetis, et aliarum.

Deinde, cur, quæso, maculatur humilitas, et patientia Martyrum, si dicamus, eos coactos subiisse flagella, vulnera, ignes, rotas? Satis enim humilis, et patiens est, qui coactus fidem negare, aut crudelem mortem subire, mavult subire mortem, quantumvis crudelem, et naturæ repugnantem, quam negare fidem : quamvis magis vellet, neminem esse, qui tam duram ei necessitatem imponeret : nam (ut loquitur S. Paulus II Corinth. v.) Nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. Et S. Petro prædicitur a Christo Martyrium, per ea verba Joan. XXI. *Cum senueris, extendes manus tuas, et alius cinget te, et ducet quo tu non vis* (2). « Quis, inquit, velit molestias, et difficultates pati? tolerare jubes eas, non amare. Nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amat, quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse quod toleret. »

Sed maxime admirandum est, quod rex cum loquitur de patientia Martyrum, adducat præcepta SS. Apostolorum Petri et Pauli jubentium propter conscientiam subditos esse principibus. Quasi Martyres Sancti contra præcepta Apostolorum facerent, quando contemnentes jussa principum malebant mori, quam eorum legibus, edictisque parere, quibus Christum abnegare, et dæmonibus immolare jubebantur. Legibus enim principum, quæ contra legem Dei non pugnant, nemo nostrum dicit, parendum non esse a subditis. Sed de ejusmodi legibus non agitur, cum de martyrio agitur.

Pag. 121. exagitat rex locum quemdam ex Recognitione librorum meorum, quam nuper edidi. Et quamvis sciam regem, non tam esse curiosum in alienis rebus, ut libellos vix dum editos ad se deferri curet : et satis intelligam, quis in ejusmodi rebus regi laboret : respondebo tamen, et objecta crimina brevi responsione purgabo. « Nupero, inquit, tractatu, cui titulum fecit, Recognitio librorum de controversiis : uniuscujusque nostrum populos, ac subditos nostris fascibus superiores esse voluit. » Et paulo infra : « Inter cætera, eximere Clericos ab omni temporalium Principum potestate : et non modo Pontificis, sed et ipsius populi supra nos imperium stabilire pene præcipua sunt egregiæ illius recognitionis argumenta. »

Ad hæc ego respondeo, exemptionem clericorum a temporalium principum potestate, docuisse me cum omnibus omnino scriptoribus Catholicis, tam theologis, quam jureconsultis : quæstio enim aliqua est de jure, quo clerici sunt exempti. sed aliquo jure exemptos esse omnes docent. Cur ergo mihi

(1) Joan. XVIII, 23 ; Act. VII, 51 ; Act. XXIII, 3 ; — (2) Joan. XXI, 18.

(a) *Refellitur nova calumnia, circa sancti Gregorii, et Ecclesiæ Martyrum patientiam.*

uni tribuitur, quod est mihi cum omnibus commune? quod autem subditos regum ipsis regibus superiores fecerim, non poterit rex ex libris meis probare, cum contra potius in lib. de laicis, debere populos legibus regum temporalium, non solum ex necessitate, sed etiam in conscientia obedire, eisque subesse, et subjacere longa disputatione docuerim.

Sed audiamus egregium argumentum regis adversus clericorum exemptionem. « Et quidem, inquit, in illa eximendorum Clericorum quæstione, eo studio, eaque contentione depugnat, ut et Cæsarem neget legitimum judicem Pauli fuisse contra ipsa contextus verba, et provocationem Pauli, qua Cæsarem suum esse judicem fatebatur. » (a) Omnino nego Cæsarem legitimum judicem Pauli fuisse: nam cum ea quæstio quæ tunc agebatur inter Apostolum, et Judæos, qui eum tradiderant in manus Romanorum, esset quæstio de Religione; certe non poterat judex legitimus esse princeps infidelis, et laicus. Causam autem illam fuisse Religionis perspicuum est ex cap. 22. Act. ubi Paulo dicente, se missum esse a Christo, ut gentes doceret, clamor populi ortus est: *Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est eum vivere;* et ex cap. XXIII. ubi Paulus ipse dicit, quoniam de spe, et resurrectione mortuorum ego judicor; et ex cap. XXIV. ubi accusant eum Judæi, tamquam auctorem sectæ Nazarenorum; et ex cap. XXV. ubi præses ipse Romanus dicit: *Cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum: quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.* Itaque præcipua quæstio erat de resurrectione Christi: cujus quæstionis esset ne Cæsar judex legitimus, an non, rex ipse judicet.

Deinde ipsa verba contextus nusquam dicunt Cæsarem fuisse legitimum judicem Pauli, quod tamen rex affirmat, et inde me reprehendit, quasi negaverim aliquid contra ipsa contextus verba, nisi forte codices Anglicani a Latinis, Græcisque dissentiant. Id solum nos legimus, *Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet judicari;* et paulo post, *Cæsarem appello.* Act. XXV. Et rursum, *Coactus sum appellare Cæsarem.* Act. XXVIII. Hic nusquam lego, Cæsarem fuisse judicem legitimum Pauli, sed solum ob importunitatem Judæorum, coactum fuisse Paulum appellare Cæsarem, non ut judicaret causam religionis, sed ut eriperet eum de manibus Judæorum, a quibus non facile eripi poterat per præsidem Judææ. Jam enim expertus fuerat Paulus debilitatem, ne dicam improbitatem felicis Præsidis, qui plane agnoverat innocentiam ipsius, et tamen in gratiam Judæorum reliquit eum vinctum, cum magistratu abiret, ut legimus Act. XXIV.

Pergit rex pag. 123. « Ubi vero, inquit, fasces regios populo submitti debere disputat, hoc seditionum fundamento utitur, ut probet non regibus auctoritatem a Deo immediate, perinde ac Pontificibus, esse concessam. Nam rex quilibet, inquit, a populo suo eligitur; immo et populus numquam ita suam potestatem in regem transfert, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit. »

Hæc ille, qui (b) si dignatus fuisset verba mea, ut in libro meo posita sunt recitare, respondendi labore opus non esset. Aio igitur me usquam disputasse, fasces regios populo submitti debere. Libellus quem rex ad marginem notat exiguus est, et locus quem ex eo libro, citat brevissimus; recognitio videlicet in librum tertium, qui est de laicis: consulat lector locum notatum, nihil ejusmodi reperiet.

Aio præterea, non esse in meo libro illa verba, quæ rex citat ut mea; rex quilibet a populo suo eligitur. Hæc enim propositio nec mea est, neque ullius alterius, quod sciam, et apertissime falsa est; cum tam multa sint in orbe terrarum regna successiva, in quibus successio non electio locum habet: nonnulla etiam electiva, sed per electores designatos, non per populum.

Denique neque illa sententia est propria mea, quod populus numquam ita transferat potestatem suam in regem, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit. » Hæc verba auctoris notissimi sunt, et per omnes Christianas provincias, a plurimis lecta, et considerata longo tempore: et tamen nemo unquam scripsit, Navarrum jecisse fundamenta seditionis. Cur igitur nunc tandem mihi soli verba Navarri referenti calumnia struitur?

(a) *Etiam in controversia de Religione Paganum imperatorem adversarii judicem faciunt.* — (b) *Non bona fide referuntur verba Bellarmini.*

Quod autem et Navarrus, et nos dicimus, populi potestatem in regem esse translatam, habetur apud Justinianum imperatorem Institut. de jure natur. gent. et civili, §. sed et quod principi placuit. Sed intelligitur de primordiis regnorum, non de quacumque regni adeptione. Initio enim liberum fuit populis, vel Magistratum cum determinata potestate, et ad certum tempus sibi creare, ut respublicæ liberæ faciunt; vel regem cum absoluta potestate, et perpetuum eligere, atque in eo totam suam potestatem transferre; ut in regnis successivis factum esse videmus: sed posteaquam magistratus sive temporalis, sive perpetuus creatus est: non habet imperium populus in magistratu, sed magistratus, ac regius potissimum in populum: neque licet sine gravissimo crimine a legitimo principe suo deficere, aut seditionem, rebellionemve agitare.

Pergit deinde pag. 124. et quod in eadem Recognitione dixi, Saulem, Davidem, et Hieroboam, quamvis a Propheta inunctos in reges, tamen non sine populi assensu regnare cœpisse; conatur refellere ex eo quod Saul sorte electus fuit in regem, ut S. Matthias sorte electus est in Apostolum, quemadmodum enim S. Matthias immediate a Deo, sine Apostolorum consensu, electus creditur, quia cecidit sors super Matthiam; sic etiam Saul immediate a Deo, sine populi assensu, fuisse credendus est electus in regem.

Respondeo et S. Matthiam, et Saulem, quamvis sorte electi sint, non tamen immediate a Deo, sed per consensum hominum electos esse. Quod enim attinet ad (a) S. Matthiam, historia perspicua est Actor. 1. S. enim Petrus convocato cœtu fratrum, qui erant ad centum viginti, docuit ex prophetia necesse esse eligi unum in locum Judæ: tum communi consensu electi sunt duo, qui videbantur omnium optimi: sed quoniam non constabat ex duobus uter esset præferendus, confugerunt ad orationem, et ad consilium sortium, quo in rebus dubiis uti solebant Judæi, ut intelligerent voluntatem Dei. Illa enim optima est electio, qua homines eligunt eum, quem a Deo præelectum sibi persuadent. Itaque dederunt sortes eis, orantes Deum, ut sortes dirigeret, et ostenderet eo signo, quem ipse præelegisset, ubi autem cecidit sors super Matthiam, ipsi quoque eum elegerunt, quod enim nos legimus annumeratus est cum undecim Apostolis, in græco textu est συγκατεψηφισθη, id est, suffragiis electus est, ut etiam interpres Chrysostomi vertit. Itaque Deus elegit S. Matthiam, et Apostoli eumdem elegerunt. Elegerunt autem Apostoli partim judicio, et consilio proprio, partim sortium auxilio.

Quod autem ad Saulem attinet, res est adhuc clarior: (b) sorte enim electus est Saul, ut haberet populus signum divinæ voluntatis, et sciret quem tuto eligere, et in quem potestatem suam transferre secure posset. Et quidem cadente sorte super Saulem, multi de populo clamaverunt, vivat rex; multi etiam recusarunt consentire in eam electionem: sed paulo post cum Saul facto quodam egregio virtutem suam probasset, unanimi consensu electus fuit, ut habetur I Reg. XI. *Perrexit,* inquit Scriptura, *omnis populus, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala* (1). Ut autem intelligatur, (c) judicium sortium fuisse apud Hebræos indicium potius, sive præjudicium, quam absolutum judicium: consulendæ sunt Scripturæ divinæ Josue VII. I Reg. XIV. et Jonæ I. In his enim tribus locis investigatur per sortes, quis ex multis reus esset commissi delicti. Sed ille in quem sors cecidit, non prius punitur, quam ipse delictum ore proprio confiteatur. Quod postea rex addit de electione summi Pontificis, non conjectu sortium in urnam, sed prægrandi pecunia in Cardinalium fauces, ad calumnias pertinet. Nos certe electioni Pontificum bis interfuimus, nec tamen de prægrandi ista pecunia quidquam audivimus, sed solemne est adversariis id, in quo unus aliquando forte peccavit, ad omnes Catholicos transferre: sic enim feliciter ipsorum Evangelium propagatur.

Quod vero pag. 125. et 126. dicit, mirari se quod lapsus memoria, in eodem parvo

(1) I Reg. II, 15.

(a) *S. Matthias non sola sorte, sed etiam suffragio Apostolorum electus fuit.* — (b) *Saul Rex et forte, et suffragiis electus fuit.* — (c) *Apud Hebræos judicio sortium investigabantur occulta crimina.*

opusculo mecum ipse pugnem, quod Saulem, et Davidem a Propheta inunctos dixerim eguisse populi consensu, ut regnum adipiscerentur : et tamen in eodem opusculo scripserim, Cypriani ætate potestatem eligendi Episcopos non fuisse apud populum : Ego admirationem ejus miror; hæc enim inter se contraria non sunt, rex eligebatur a populo tempore Samuelis, et, Episcopus non eligebatur a populo tempore Cypriani. Quæ enim, rogo, hic contrarietas, quæ repugnantia est, ubi personæ, et tempora diversissima sunt? quod si illa contraria sunt, etiam ista erunt contraria, et secum ipse pugnabit, qui dixerit, rex Poloniæ eligitur a populo, imperator non eligitur a populo, sed a principibus; rex Francorum neque a populo, neque a principibus eligitur, sed hæreditaria successione regnum acquirit.

(a) Quæ fuerit Cypriani tempore ratio electionis Episcoporum, ipse his verbis testatur lib. I. epist. 4. « Apud nos, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. » Et paulo ante : « Ut plebe præsente, inquit, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. » Hæc ille, ex quo intelligimus ad plebem pertinuisse Episcoporum electionem per testimonium vitæ, et morum; ad Episcopos autem provinciæ ejusdem per judicium, et auctoritatem.

At, inquit rex, cum agitur de rege, Bellarminus vult per consensum populi eligendi potestatem designari : cum agitur de Episcopo, eodem illo consensu non jus eligendi, sed electionem ab aliis factam confirmandi intelligit. Respondeo, nullam hic quoque esse repugnantiam : nam consensum populi fuisse necessarium ad regis electionem demonstrant verba Scripturæ, quæ dicunt, fecerunt ibi regem Saul coram Domino : consensum populi adhibitum fuisse ad testimonium ferendum de vita, et moribus eligendorum, vel electorum ab Episcopis, demonstrant verba S. Cypriani paulo ante citata.

Pergit rex, et a pag. 127. ad 133. multa dicit de conjuratione pulveraria adversus Garnettum, et Ouldcornium Jesuitas, de qua re, quoniam maxima ex parte in facto consistit, et exstat publice edita actio in Garnettum, plena mendaciis; et brevi exstabit responsio, quæ jam tota conscripta est, atque a me quoque diligenter perlecta; ad illam lectorem remitto. Id solum paucis refellam, quod in historia ista percensenda, adversus Bellarminum proprie dicitur.

Scripserat Bellarminus, (b) Henricum Garnettum Jesuitam, proditionem illam pulverariam novisse quidem, sed in confessione sacramentali, quam detegere nulla ratione poterat. Rex contra demonstrare nititur, et Garnettum ejus proditionis extra confessionem sacramentalem conscium fuisse : et proditiones ejusmodi in sacramentali confessione auditas, posse ac debere detegi, modo persona confitentis non detegatur. Ad hæc duo ita respondeo. Quod Garnettus, non solum in judicio, sed etiam in ipso Theatro jam jam moriturus aperte pronunciaverit, se proditionis illius conscium non fuisse, nisi in confessione sacramentali; testes multi sunt, sed unus præcipue vir gravis, non Sacerdos, non Jesuita, non seminarii Alumnus, qui in ipso theatro prope ipsum Garnettum cum esset, ex ore ejusdem Garnetti id se accepisse mihi sancte affirmavit, quod ego facile credidi, qui multorum annorum Garnetti consuetudine usus, optime novi summam illius viri probitatem, et innocentiam, cum summa ingenii, et omnis generis eruditione conjunctam.

(c) Sigillum vero confessionis sacramentalis posse detegi ad ingens detrimentum avertendum, modo persona confitentis reticeatur, non ignoro. Sed quæro a rege, si Garnettus retulisset, scire se regi a proditoribus mortem imminere : an passus fuisset ob religionem sacramenti confessionis, personam proditoris silentio præteriri? certe qui confessionis sacramentum nullum esse credit, quique ejusmodi sigillum, ut reipublicæ maxime perniciosum avertatur, mox Garnettum rapi in vincula, et exquisitissimis tormentis examinari jussisset, neque

(a) Quæ fuerit electionis forma, tempore S. Cryprani. — (b) Henricus Garnettus in sacramentali tantum confessione proditionem pulverariam novit. — (c) An liceat sigillum confessionis sacramentalis detegere in aliquo casu.

destitisset donec in cognitionem Proditoris, et omnium ejus consciorum devenisset : licet igitur proditionem in sacramentali confessione cognitam verbis generalibus Christiano, et pio principi aperire, ut remedium imminenti malo paret, quia pro comperto habetur, eum principem nihil ultra fas interrogaturum : sed principi a vera Religione alieno, qui sigillum confessionis divinitus imperatum irridet, et quem satis constat non passurum, ut persona confitentis lateat, nullo modo licet.

Denique rex pag. 134. 135. et 136. opinionem crudelis sævitiæ in Catholicos a se removere conatur. « Ac primum, inquit, id constanter assevero, hic neminem sive meis sive defunctæ reginæ temporibus, conscientiæ, ac Religionis causa ultimo supplicio affectum. Nam quantumvis Religioni suæ deditus sit, quantumvis eam aperte, et constanter profiteatur, nullum ei a legibus impendent capitis periculum, nisi comperto contra leges, externo aliquo actu deliquisse : aut conjurationem, consilliumve summæ rei perniciosum iniisse : exceptis tantummodo sacrificulis, cæterisque Pontificiarum partium, qui in transmarinis regionibus initiantur. »

Ad hæc facilis est responsio : nam (a) tametsi verum esset, neminem in Anglia religionis causa extremo supplicio affici, nisi contra leges externo aliquo actu deliquerit : tamen quia leges prohibent recipere sacerdotes Catholicos in domum, prohibent reconciliari cum Ecclesia Catholica, prohibent interesse sacrificio Missæ, jubent præstari juramentum de primatu regis in spiritualibus, vel certe jubent suscipi juramentum de non curanda excommunicatione summi Pontificis, et alia id genus multa, quæ ad Religionem pertinent : ideirco qui ultimo supplicio afficiuntur propter transgressionem ejusmodi legum, merito dici possunt ultimo supplicio affici propter religionem.

Deinde qui plectuntur, quia sacris ordinibus in transmarinis regionibus initiati sunt, cum in patria ejusmodi sacri ordines non conferantur; nonne propter religionem plectuntur? nonne sacri ordines ad Religionem pertinent? Hinc videlicet tam multi numerantur Martyres in libro de persecutione Anglicana, et in altero de schismate Anglicano Nicolai Sanderi, et in aliis Catholicorum libris. Parum enim refert ad Martyrium utrum quis occidatur, quia Christianus Catholicus est, an quia legem transgressus est, quæ jubet fidem Catholicam abjurare. Nam imperatores Pagani edicta proponebant, ne cui liceret Christum Deum confiteri, vel ut suspecti de Christianismo juberentur diis publice sacrificare. Deinde tanquam inobedientes legibus imperatorum supplicio afficiebant. Et quemadmodum rex in hoc eodem loco dicit (b), sacrificulos sub pœna perduellionis a finibus Angliæ arceri, quia conjurationibus, et proditionibus vel conceptis, vel laudatis infames sunt. Sic etiam Pagani principes quicquid sceleris publice agebatur, Christianis imputabant; ut etiam ob incendium, cujus auctor Nero ipse fuerat, teste Suetonio, et quo magna pars Urbis conflagravit, Nero imperator Christianos plurimos, tanquam auctores exquisitissimis supplicis interemit, ut libro annalium XV. Tacitus prodidit. Certe pulveratiæ conjurationis odium in Jesuitas conversum est, cum neque Jesuitæ, neque ullus ex numero Sacerdotum particeps ejus conjurationis fuerit.

Atque hæc dicta sint, si verum esset, quod rex hoc loco tam constanter affirmat, Sed id manifeste falsum esse, constat tum lib. III. de schismate Anglicano : tum ex libro Andreæ Philopatri section. 4. pag. 266. et sequentibus, ubi ex ipsis historiis hæreticorum Anglicanorum, aperte demonstratur, plurimos tum clericos, tum laicos, solius Religionis Catholicæ causa necatos fuisse, ut mirum sit regem ea scribere voluisse, quæ ex ipsis subditorum suorum aut verbis, aut scriptis refutantur.

Quia vero rex pag. 136. reginæ Mariæ, Catholicæ ac piæ principis tempora sævitiæ nota infamat dicens : « Tunc nulla supplicium atrocitas in viros, in feminas, in infantes nostram Religionem profitentes, est omissa : immo contra Dei, naturæque leges, gravidis mulieribus mors immanissime illata, infan-que e materna alvo exiliens in easdem cum matre flammas injectus (c). » Sciendum est hanc omnem tragœdiam excitari propter unius meretriculæ obstinatio-

(a) An verum sit neminem in Anglia extremo supplicio affectum esse propter religionem. — (b) Sic imputantur hodie proditiones in Anglia sacerdotibus : ut imputabantur olim publica scelera Christianis in terris Paganorum. — (c) Defenditur regina Maria a nota barbaræ crudelitatis.

nem, quæ gravida cum esset, gravidam esse se numquam fateri voluit. Igitur igni tradita, more pertinacium hæreticorum, est : ac ut non solum hæresis, sed et mendacium etiam patefieret, ex ejus alvo prodiit non infans, sed informis, ac sine anima caro, quam in ignem fuisse conjectam mirandum non est : quemadmodum vere mirandum, et execrandum esset, si vivus infans prodiisset.

Sed hæc immanitas tantum aberat a moribus illorum, qui regnante Maria judiciis præerant, quantum absunt, qui ista confingunt, a studio veritatis. Hanc historiam, si tamen historia est, fama accepi, non in libro aliquo legi. Sed scio etiam a viris gravibus pro fabula haberi, conficta videlicet a Foxio ejusmodi rerum artifice peritissimo. Consulat lector Hardingum adversus Ivellum, vel auctorem triplicis conversionis Angliæ adversus Foxium.

CAPUT XIV.

Exeutitur peroratio regis.

(a) In extrema peroratione sua rex, primum admonet in communi principes omnes, tanquam Vicarios Dei, ut serio cogitent de Evangelii plantatione, et propagatione ; et sceptrorum suorum securitati mature provideant, cum Dei benignitas spiritualem Libertatem, cum temporali voluerit esse conjunctam. Deinde hortatur Principes alienos ab Ecclesia Romana, ut veræ fidei unitatem conservent, et communionem spiritus in vinculo pacis ; ne factis inter ipsos schismatibus, scandalum fidei oriatur, et fiant parabola opprobrii adversariis, quibus unitas una e præcipuis est veræ Ecclesiæ nota. Addit autem, mediam prope partem Orbis Christiani in suam religionem consentire. Denique Principes Catholicos, quorum mentes dicit, nondum veritatis fulgore esse illustratas, excitat ut oculos aperiant, atque in primis ut Scripturas perlegere velint, atque ex illis credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed super propria, et certa scientia, fidei fundamenta collocare.

Et quidem quod attinet ad primam partem admonitionis, videtur ea mihi sacris Evangeliis prorsus esse contraria (b). Christus enim in Evangelio, nusquam principes sæculi Vicarios suos facit ; nusquam illis mandat Evangelii plantationem, vel propagationem, nusquam libertatem spiritualem cum temporali conjungit, ut videlicet principes liberi in temporalibus, liberi sint etiam in spiritualibus ; Sed Apostolis, qui reges, et principes temporales non erant, dixit : *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum Cœlorum*, Matth. x. iisdem dixit : *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, Matth. ultim. iisdem dixit : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marci ult. iisdem dixit : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos : Et quorum remiseritis peccata remittentur eis*, Joan. xx. Petro vero Apostolorum primo, non Tiberio Principum temporalium primo, ovile suum commissit dicens : *Pasce oves meas* (1), Joan. xxi. Qui sint autem Apostolorum successores Apostolus Paulus docet Actor. xx. ubi dicit, Episcopos positos esse a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo : Apostoli vero Petri successores, Romanos esse Pontifices docent antiquissimi Patres, qui eos enumerant, Irenæus lib. III. cap. 3. Eusebius in historia, et in Chronico, Epiphanius hæresi 27. Optatus lib. II. cont. Parmenian. S. Augustinus in epist. ad Generosum, quæ est 165. Denique Hieronymus, et Prosper in continuatione Chronici Eusebii.

Videat ergo rex, dum principes temporales liberos facere nititur ab obedientia Pastorum Ecclesiæ, et super ipsam Ecclesiam constituere, ne captivos diaboli faciat, et ab Ecclesia excludat. (c) Quicumque enim in Ecclesia Christi sunt, aut Pastores, aut oves sunt ; oves autem pastoribus subditas esse debere, non Scriptura solum, sed et ratio ipsa demonstrat. Principes temporales, non esse in Ecclesia Pastores a Christo institutos, paulo ante monstravimus, neque ipsi negare possunt, nisi non contenti solio, et sceptro, et corona, cathedras quoque Episcoporum, et baculos pastorales, et mitras Pontificum velint invadere. Restat igitur ut oves sint, ac per hoc obedientes præpositis esse debeant, et subjacere eis, qui pervigilant, tanquam rationem pro animabus illorum reddituri, ut Apostolus monet ad Heb. XIII.

(1) Matth. X, 7 ; Matth. XXVIII, 19 ; Marc. XVI, 15 ; Joan. XX, 23 ; Joan. XXI, 17.

(a) Summa totius peroralionis tribus capitibus comprehensa. — (b) Evangelii plantatio et Ecclesiæ gubernatio Apostolis, non regibus, a Christo commissæ. — *(c) Reges in Ecclesia esse debent, non super Ecclesiam ; quippe oves, non Pastores.*

Jam vero in altera parte admonitionis gloriatur rex, mediam prope partem orbis Christiani in suam religionem consentire, quod quidem verum est, si per religionem suam intelligat omnes sectas quotquot sunt a Catholica fide discordes. Plurimi enim sunt ad Orientem, et Meridiem Nestoriani, Dioscoriani, Jacobitæ, et similes, cum quibus magna ex parte Abyssini conveniunt : plurimi quoque sunt ad Occidentem, et Septentrionem Hussitæ, Lutherani, Zwingliani, Anabaptistæ, Confessionistæ, Calviniani, Ariani quoque et Samosateni. Si hos omnes pro suis rex agnoscit, recte gloriatur, sectam suam ita propagatam, ut mediam prope partem Christi orbis obtineat. Si vero pro suis non agnoscit nisi Calvinianos mistos, puritanis videlicet exclusis, nescio an (a) mediam partem regni sui numerare potuerit in iis, qui religioni suæ consentiunt.

Quod autem rex cupit, omnes qui a Luthero descendunt, in unitatem fidei convenire ; cum principalis veræ Ecclesiæ nota sit unitas ; inani desiderio tenetur, frustra laborat, impossibilia concupiscit. (b) Quomodo enim fieri potest, ut lites finiant, qui judicem nullum admittunt, nisi Scripturas, quas unus quisque pro arbitrio sui ad opiniones suas detorquet? certe si in litibus civilibus dirimendis nihil haberemus præter leges, judicibus, atque arbitris omnino exclusis, quem finem litium sperare possemus? Et nonne jam per nonaginta circiter annos Lutherani experti sunt, in discordiis gravissimis de summa fidei se concordiam frustra tentasse? desinat ergo rex unitatem Spiritus apud eos quærere, qui spiritu contradictionis pleni sunt : neque speret concordiam in fide apud eos unquam futuram, qui circa fidem naufragaverunt, qui fidem divinam in opiniones humanas commutaverunt, et qui denique (quod potissimum est) ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ, in petra firmissima stabilitæ, atque fundatæ semel recesserunt.

Venio ad tertiam partem admonitionis, in qua rex Principes nostros Catholicos, nondum luce veritatis illustratos esse dicit, atque ideo (c) monet, ut lumen aspiciant. Ubi primum quæro, unde novum istud lumen Anglis affulserit? ab Aquilone respondebit : inde enim primus eorum propheta Lutherus emersit. At nos Prophetam audimus dicentem : *Ab Aquilone pandetur omne malum* (1). Hierem. I. Et si omne malum, certe etiam tenebræ errorum, non lux veritatis.

Deinde Christus in novissimis temporibus pseudoprophetas surrecturos prædixit, Matth. XXIV. non Prophetas novos. Apostoli Petrus, et Judas illusores venturos in ultimis diebus admonuerunt, non reformatores. II Petri III. Judæ v. 18. Idem Judas Apostolus, sidera errantia prædixit exoriturа iis, qui veram lucem amiserunt. Denique sanctus Paulus II ad Timoth. III. *In novissimis*, inquit, *diebus instabunt tempora periculosa : erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi* (2) ; et I Timoth. IV. dicit, futuros in iisdem novissimis temporibus, qui discedentes a fide intendant spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum. Ergo si scripturas scrutari rex voluerit, intelliget omnino, novos istos fidei architectos, non reformatores, sed illusores ; non Prophetas, seu pseudoprophetas ; non stellas lucidas, et matutinas, sed errantia sidera esse, quibus procella tenebrarum servatur in æternum.

Atque ut principes Orthodoxi plane perspiciant, quale lumen aspiciendum Anglorum rex ipsis ostendat, verba illa perpendant, quæ rex in extrema sua adhortatione posuit, cum ait (d) : Cum Paulo opto vos omnes fieri tales, hac una in re, qualis ego sum ; in primis ut velitis scripturas pervolvere, ex his credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia, fidei fundamenta collocare, quando justus ex fide vivet, et unusquisque sit fide propria salvus. » Ubi satis aperte docet, unumquemque debere esse judicem in rebus fidei, suoque judicio potius quam Ecclesiæ, vel Conciliorum, aut summi Pontificis acquiescere.

(1) Hier. I, 14. — (2) II Timoth. III, 1.

(a) Non media pars orbis Christiani, sed vix media pars Angliæ in religionem regis consentit. — (b) Unitas fidei inter hæreticos optari potest, obtineri non potest. — (c) Proprium est hæreticorum, cum in tenebris errorum degant, lucem veritatis polliceri. — (d) Hic omnibus hæresibus janua aperitur.

Quæ doctrina non est ipsius regis propria, sed illis communis, qui nunc in Anglia rem theologicam tractant. Sic enim clarioribus verbis hoc idem tradit Witacherus, unus ex primariis Anglorum scriptoribus, in libro, quem proprie contra me scripsit, controversiæ primæ quæstione quinta : « Unusquisque sibi Judex esse debet, et suo judicio, non plane privato quidem, sed divinitus inspirato stare » : et paulo infra rationem reddens ait : « Concilia, Patres, Papæ homines sunt, et Scriptura testatur, omnem hominem mendacem esse : quomodo ergo illorum sententiæ acquiescam ? » Hæc ille. Quod sane dogma omnibus hæresibus aditum aperit, neque tam est hæresis, quam hæresum omnium janua. Verissime enim sanctus Cyprianus lib. I. epist. 3. scripsit, hinc hæreses orta esse, quod unus in Ecclesia Dei ad tempus sacerdos, et ad tempus Judex vice Christi non cogitatur, quomodo enim hæreses impediri possunt, ne nascantur; vel jam natæ resecari, ne propagentur; ubi tot sunt Magistri, quot discipuli ; tot judices, quot litigatores?

Neque solum ex hoc uno dogmate nascuntur hæreses multæ, sed omnino ipsa fidei certitudo (a) : cum nemo sibi polliceri possit, se verum spiritum Dei habere, aut veram scientiam adeptum esse, quam ad fidem stabiliendam rex requirit. Scriptura siquidem de Ecclesia ipsa testatur, quod sit columna, et firmamentum veritatis. 1 Timoth. III. de spiritu, vel scientia propria nusquam testatur. Patres in concilio legitimo congregati, vere, et tuto dicunt, *Visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Act. XV. Privati homines nisi temere hoc dicere non audebunt, quantumvis docti, et spirituales sibi esse videantur. Apostolorum principi dictum est a Domino : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (2). Luc. XXII. Et quoniam privilegium hoc Petro primo summo Pastori propter Ecclesiam datum est, non temere a fidelibus creditur ad successores quoque Petri pertinere : de privatis hominibus nihil tale legitur.

Denique utriusque testamenti tabulæ in rebus dubiis ad Sacerdotis summi judicium non remittunt : ad judicium proprium neminem remittunt. *Si difficile, atque ambiguum judicium apud te esse perspexeris, surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, et ad Judicem qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*, Deut. XVII. et Malach. II. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ab ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Et Dominus in Evangelio Matth. XXIII. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi : quæcumque dixerint vobis servate, et facite.* Et Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus* (3). Et cur Dominus Petro pascendas oves commisit, nisi ut oves rationales pascua doctrinæ non a se ipsæ, sed ab illo acciperent? Et cur posuit Deus in Ecclesia sua Pastores, et Doctores, juxta Apostolum ad Ephes. IV., si unusquisque sibi Pastor, et Doctor esse debebat?

At concilia, Patres, Papæ, homines sunt, et secundum Scripturæ testimonium mendaces (b). Respondeo Apostolos quoque, et Prophetas homines fuisse, et tamen eis tuto credi potuisse, quoniam non erat mendax spiritus, qui loquebatur in eis. Sic igitur concilia legitime congregata, Patres unanimi consensu prædicantes, Papa in Cathedra Petri sedens, et docens, homines sunt, et ex naturæ humanæ fragilitate mendaces; sed non est mendax Spiritus Sanctus, qui per ejusmodi homines Ecclesiam docet.

Particulares vero homines, non tantum homines sunt, et per se, atque ex se mendaces ; sed neque promissionem ullam habent, quod eis spiritus veritatis assistat. Ex experimento didicimus hæreticos hujus temporis, qui contraria, atque inter se pugnantia dogmata profitentur, omnes omnino Spiritus sancti illustrationem, et scientiam Scripturarum jactare : et illos ipsos magis de Spiritu, et scientia gloriari, qui longius a veritate absunt, quales sunt omnium fere judicio Anabaptistæ. Quare si super scientia propria, vel privata spiritus illustratione fundamenta fidei collocanda sunt, non super petram, sed super arenam domus fidei nostræ fundata, non poterit effugere, quin flante vento tentationis, fiat ruina illius magna.

Sed si rei Jacobo licuit, optare cum Paulo,

(1) Act. XV, 28 ; Luc. XXII, 32. — (2) Deut. XVII, 8 ; Matth. XXIII, 7; Matth. XVIII, 2, 17.

(a) *Qui proprium spiritum judicem controversiarum fidei facit, amittit fidei certitudinem.* — (b) *Solvitur objectio adversariorum.*

ut omnes Catholici reges, et principes fierent, qualis ipse est ; cur non majore ratione licebit tot magnis regibus, aliisque principibus Orthodoxis optare, ut rex Jacobus fiat quales ipsi sunt, et quales fuerunt omnes majores ejus, avi, proavique Scotiæ reges a Donaldo primo, qui a sancto Victore Papa, et Martyre Christiana sacra suscepit, usque ad Mariam parentem ejus, feminam optimam, atque sanctissimam? Satis enim constat, Scotiæ reges, singulari Dei benedictione per annos mille trecentos sibi invicem succedentes, Catholicos fuisse, uno Jacobo sexto excepto, qui temporum injuria, piorum parentum cura destitutus, in educatores hæreticos incidit, atque ab illis institutus a via majorum deflexit.

Optant igitur, quod de illorum summa pietate, et charitate fidenter præsumo, omnes Catholici reges et principes cæteri, in primis Cæsar ipse Rudolphus, atque a Deo precantur, ut Jacobus rex aliquando majorum suorum vestigia requirat, atque ad ea rediens, iisque insistens ita vivat, et regnet in præsenti sæculo, ut etiam in futuro una cum ipsis in æternum vivere, ac regnare mereatur.

CAPUT XV.

Responsio ad ea, quæ sub nomine mendaciorum, ementitorum historiarum, et novorum dogmatum, rex scripsit adversus librum Matthæi Torti, qui vere Cardinalis Bellarmini liber est, sed justis de causis alieno nomine editus.

Post præfationem monitoriam Jacobus rex exponit tabulam, in qua notat mendacia viginti, ementitas historias quinque, et nova dogmata item quinque, in libro Matthæi Torti a se reperta : ut inde de toto libro judicium fiat. Eamdem ipsam tabulam ego quoque hic adscribam, adjuncta brevi responsione, ex qua manifeste appareat, nullum in eo libro esse mendacium, nullam historiam ementitam, nullum dogma novum :

Primum Mendacium pag. 9. *edit. Politanæ.*

Hic, in juramento fidelitatis, aperte negatur Summo Pontifici potestas excommunicandi reges hæreticos.

Confutatio.

« Quæstio de Pontificis potestate in regibus excommunicandis nec tractatur, nec ullo modo definitur in juramento fidelitatis ; sed ex proposito declinatur. Inspiciantur verba juramenti, et monitoria præfatio pag. 10. et 11. »

Responsio.

Auctor libri non scripsit, in juramento infidelitatis tractari, aut proprie definiri quæstionem de potestate Pontificis in regibus excommunicandis, satis enim intelligebat, in formula juramenti non esse locum quæstionum Theologiæ disputandarum. Sed affirmavit in ea formula negari Pontifici maximo potestatem excommunicandi reges etiam hæreticos : quod verum esse, perspicuum est ex illis verbis juramenti : « Item juro ex corde, non obstante aliqua declaratione ; vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta, vel concessa, aut fienda, vel concedenda per Papam, vel successores ejus etc. fidelitatem, et veram obedientiam suæ Majestati, hæredibus, et successoribus suis præstabo. » Hæc ibi : qui vero jurat se obediturum regi hæretico, non obstante excommunicatione Papæ, non jurat simul, se non agnoscere in Papa potestatem excommunicandi reges hæreticos? alioqui enim non juramentum, sed sacrilegium esset, jurare se non obiturum sententiæ excommunicationis a Papa latæ in regem hæreticum, si crederet esse in Papa veram potestatem excommunicandi reges hæreticos.

II. Mendacium pag. 10.

Nam ex verbis illis Dominicis : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlo,* Catholici omnes colligunt ad Pontificis Maximi auctoritatem pertinere, non solum potestatem absolvendi a peccatis, sed etiam a pœnis, censuris, legibus, votis, atque a juramentis.

Confutatio.

« Quod non omnes Romani Catholici ita colligant ex hisce Christi verbis Matth. XVI. ut alia argumenta tacitus præteream, vel inde apparet, quod ex plurimorum sententia

Quæ doctrina non est ipsius regis propria, sed illis communis, qui nunc in Anglia rem theologicam tractant. Sic enim clarioribus verbis hoc idem tradit Witacherus, unus ex primariis Anglorum scriptoribus, in libro, quem proprie contra me scripsit, controversiæ primæ quæstione quinta : « Unusquisque sibi Judex esse debet, et suo judicio, non plane privato quidem, sed divinitus inspirato stare » : et paulo infra rationem reddens ait : « Concilia, Patres, Papæ homines sunt, et Scriptura testatur, omnem hominem mendacem esse : quomodo ergo illorum sententiæ acquiescam ? » Hæc ille. Quod sane dogma omnibus hæresibus aditum aperit, neque tam est hæresis, quam hæresum omnium janua. Verissime enim sanctus Cyprianus lib. I. epist. 3. scripsit, hinc hæreses orta esse, quod unus in Ecclesia Dei ad tempus sacerdos, et ad tempus Judex vice Christi non cogitatur, quomodo enim hæreses impediri possunt, ne nascantur; vel jam natæ resecari, ne propagentur; ubi tot sunt Magistri, quot discipuli ; tot judices, quot litigatores?

Neque solum ex hoc uno dogmate nascuntur hæreses multæ, sed omnino ipsa fidei certitudo (a) : cum nemo sibi polliceri possit, se verum spiritum Dei habere, aut veram scientiam adeptum esse, quam ad fidem stabiliendam rex requirit. Scriptura siquidem de Ecclesia ipsa testatur, quod sit columna, et firmamentum veritatis. 1 Timoth. III. de spiritu, vel scientia propria nusquam testatur. Patres in concilio legitimo congregati, vere, et tuto dicunt, *Visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Act. XV. Privati homines nisi temere hoc dicere non audebunt, quantumvis docti, et spirituales sibi esse videantur. Apostolorum principi dictum est a Domino : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (2). Luc. XXII. Et quoniam privilegium hoc Petro primo summo Pastori propter Ecclesiam datum est, non temere a fidelibus creditur ad successores quoque Petri pertinere : de privatis hominibus nihil tale legitur.

Denique utriusque testamenti tabulæ in rebus dubiis ad Sacerdotis summi judicium non remittunt : ad judicium proprium neminem remittunt. *Si difficile, atque ambiguum judicium apud te esse perspexeris, surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, et ad Judicem qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*, Deut. XVII. et Malach. II. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ab ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Et Dominus in Evangelio Matth. XXIII. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi : quæcumque dixerint vobis servate, et facite.* Et Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus* (3). Et cur Dominus Petro pascendas oves commisit, nisi ut oves rationales pascua doctrinæ non a se ipsæ, sed ab illo acciperent? Et cur posuit Deus in Ecclesia sua Pastores, et Doctores, juxta Apostolum ad Ephes. IV., si unusquisque sibi Pastor, et Doctor esse debebat?

At concilia, Patres, Papæ, homines sunt, et secundum Scripturæ testimonium mendaces (b). Respondeo Apostolos quoque, et Prophetas homines fuisse, et tamen eis tuto credi potuisse, quoniam non erat mendax spiritus, qui loquebatur in eis. Sic igitur concilia legitime congregata, Patres unanimi consensu prædicantes, Papa in Cathedra Petri sedens, et docens, homines sunt, et ex naturæ humanæ fragilitate mendaces; sed non est mendax Spiritus Sanctus, qui per ejusmodi homines Ecclesiam docet.

Particulares vero homines, non tantum homines sunt, et per se, atque ex se mendaces ; sed neque promissionem ullam habent, quod eis spiritus veritatis assistat. Ex experimento didicimus hæreticos hujus temporis, qui contraria, atque inter se pugnantia dogmata profitentur, omnes omnino Spiritus sancti illustrationem, et scientiam Scripturarum jactare : et illos ipsos magis de Spiritu, et scientia gloriari, qui longius a veritate absunt, quales sunt omnium fere judicio Anabaptistæ. Quare si super scientia propria, vel privata spiritus illustratione fundamenta fidei collocanda sunt, non super petram, sed super arenam domus fidei nostræ fundata, non poterit effugere, quin flante vento tentationis, fiat ruina illius magna.

Sed si rei Jacobo licuit, optare cum Paulo,

(1) Act. XV, 28 ; Luc. XXII, 32. — (2) Deut. XVII, 8 ; Matth. XXIII, 7; Matth. XVIII, 2, 17.

(a) *Qui proprium spiritum judicem controversiarum fidei facit, amittit fidei certitudinem.* — (b) *Solvitur objectio adversariorum.*

ut omnes Catholici reges, et principes fierent, qualis ipse est ; cur non majore ratione licebit tot magnis regibus, aliisque principibus Orthodoxis optare, ut rex Jacobus fiat quales ipsi sunt, et quales fuerunt omnes majores ejus, avi, proavique Scotiæ reges a Donaldo primo, qui a sancto Victore Papa, et Martyre Christiana sacra suscepit, usque ad Mariam parentem ejus, feminam optimam, atque sanctissimam? Satis enim constat, Scotiæ reges, singulari Dei benedictione per annos mille trecentos sibi invicem succedentes, Catholicos fuisse, uno Jacobo sexto excepto, qui temporum injuria, piorum parentum cura destitutus, in educatores hæreticos incidit, atque ab illis institutus a via majorum deflexit.

Optant igitur, quod de illorum summa pietate, et charitate fidenter præsumo, omnes Catholici reges et principes cæteri, in primis Cæsar ipse Rudolphus, atque a Deo precantur, ut Jacobus rex aliquando majorum suorum vestigia requirat, atque ad ea rediens, iisque insistens ita vivat, et regnet in præsenti sæculo, ut etiam in futuro una cum ipsis in æternum vivere, ac regnare mereatur.

CAPUT XV.

Responsio ad ea, quæ sub nomine mendaciorum, ementitorum historiarum, et novorum dogmatum, rex scripsit adversus librum Matthæi Torti, qui vere Cardinalis Bellarmini liber est, sed justis de causis alieno nomine editus.

Post præfationem monitoriam Jacobus rex exponit tabulam, in qua notat mendacia viginti, ementitas historias quinque, et nova dogmata item quinque, in libro Matthæi Torti a se reperta : ut inde de toto libro judicium fiat. Eamdem ipsam tabulam ego quoque hic adscribam, adjuncta brevi responsione, ex qua manifeste appareat, nullum in eo libro esse mendacium, nullam historiam ementitam, nullum dogma novum :

Primum Mendacium pag. 9. *edit. Politanæ.*

Hic, in juramento fidelitatis, aperte negatur Summo Pontifici potestas excommunicandi reges hæreticos.

Confutatio.

« Quæstio de Pontificis potestate in regibus excommunicandis nec tractatur, nec ullo modo definitur in juramento fidelitatis ; sed ex proposito declinatur. Inspiciantur verba juramenti, et monitoria præfatio pag. 10. et 11. »

Responsio.

Auctor libri non scripsit, in juramento infidelitatis tractari, aut proprie definiri quæstionem de potestate Pontificis in regibus excommunicandis, satis enim intelligebat, in formula juramenti non esse locum quæstionum Theologiæ disputandarum. Sed affirmavit in ea formula negari Pontifici maximo potestatem excommunicandi reges etiam hæreticos : quod verum esse, perspicuum est ex illis verbis juramenti : « Item juro ex corde, non obstante aliqua declaratione ; vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta, vel concessa, aut fienda, vel concedenda per Papam, vel successores ejus etc. fidelitatem, et veram obedientiam suæ Majestati, hæredibus, et successoribus suis præstabo. » Hæc ibi : qui vero jurat se obediturum regi hæretico, non obstante excommunicatione Papæ, non jurat simul, se non agnoscere in Papa potestatem excommunicandi reges hæreticos? alioqui enim non juramentum, sed sacrilegium esset, jurare se non obiturum sententiæ excommunicationis a Papa latæ in regem hæreticum, si crederet esse in Papa veram potestatem excommunicandi reges hæreticos.

II. Mendacium pag. 10.

Nam ex verbis illis Dominicis : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlo,* Catholici omnes colligunt ad Pontificis Maximi auctoritatem pertinere, non solum potestatem absolvendi a peccatis, sed etiam a pœnis, censuris, legibus, votis, atque a juramentis.

Confutatio.

« Quod non omnes Romani Catholici ita colligant ex hisce Christi verbis Matth. XVI. ut alia argumenta tacitus præteream, vel inde apparet, quod ex plurimorum sententia

quicquid Christus promisit Matth. XVI. id actu præstitit Joan. 20. cum dixisset, Quorum remiseritis etc. unde constat, Christum potestatem illam solvendi promissam sensisse de absolutione a peccatis, nulla hic mentione facta de absolutione aliqua a legibus, votis, juramentis. Atque ita sentiunt Theophylactus, Anselmus, Hugo Cardinalis, et Ferus in Matth. XVI. Sic etiam Scholasticorum primarii, Alexander Alensis in summa p. 4. q. 79. memb. 5. et 6. art. 3. Thomas in 4. d. 24. q. 3. art. 2. Sotus in 4. d. 19. art. 1. Hadrianus sextus Papa in 4. d. q. 2. de clavibus p. 303. edit. Paris. anno 1530. qui etiam pro hac interpretatione citat Augustinum, et glossam interlinearem.

Responsio.

Ea de causa scripsi, ab omnibus Catholicis colligi ex illis verbis Dominicis, *Quodcumque solveris etc.*, ad Pontificem Petri successorem pertinere potestatem, non solum remittendi peccata, sed etiam solvendi a pœnis, censuris, legibus, votis, juramentis : quoniam nullus Catholicorum negat hæc omnia ad Summum Pontificem pertinere; neque rationem efficaciorem reddere possunt, quam amplissimum, et universale privilegium illud, *Quodcumque solveris etc.*, et quamvis verum sit, quod Theophylactus, et alii dicunt, quod uni Petro promissum fuit Matth. XVI. datum esse omnibus Joan. XX. tamen non est verum quoad omnia. Siquidem Petro Matth. XVI. promissa fuit potestas, non solum remittendi peccata, sed etiam solvendi omnia vincula, quæ impedire possunt adeptionem regni cœlorum : Apostolis autem Joann. XX. data potestas est remittendi peccata, non quomodocumque, sed per sacramenta Baptismi, et Pœnitentiæ, ut docent sancti Chrysostomus, et Cyrillus in cap. XX. Joann. et S. Hieronymus in epist. ad Hedibiam q. 9. quibus accedit S. Anselmus, qui in cap. XVI. Matth. scribit, per illa verba Joann. XX. *Quorum remiseritis etc.* (1), dari potestatem remittendi peccata, non solum Apostolis, sed etiam omnibus episcopis, et presbyteris. Constat autem presbyteros non habere potestatem remittendi peccata, nisi per sacramenta, quæ vocatur potestas ordinis. Nec minus constat, habere episcopos, et multo magis summum Pontificem, potestatem jurisdictionis, dandi indulgentias, dispensandi in legibus, votis, juramentis, et similibus; sed Pontificem illam habere absque limitatione, ut Principem, et caput Ecclesiæ universæ; Episcopos autem cum limitatione, ut vocatos in partem sollicitudinis. Si quis autem quærat, ubi datum sit Petro, quod ei promissum fuerat Matth. XVI. Respondeo datum fuisse Joann. ult. quemadmodum enim Dominus Matth. XVI. nominatim expressit Simonem, et patrem ejus, ut eum distingueret ab aliis, et promisit claves regni cœlorum : et super eum Ecclesiam ædificaturum se dixit : ita postea Joann. ult. nominatim expressit Simonem, et patrem ejus, et distinxit ab aliis, atque ei dixit : *Pasce oves meas.* Idem enim est esse fundamentum ædificii, et pastorem ovilis, et caput corporis, et principem civitatis, cui in signum potestatis dantur claves ejusdem civitatis, ut possit admittere, vel excludere. Sed ad singulos auctores respondeamus. Theophylactus in cap. XVI. Matth. solum dicit, quod promissum fuit Petro Matth. XVI. datum fuisse omnibus Apostolis Joann. XX. quod est verum de potestate remittendi peccata per sacramenta : non autem verum est, de omni potestate solvendi, atque ligandi : neque Theophylactus hoc negare potest, cum sanctus Joannes Chrysostomus (cujus Commentaria Theophylactus in compendium redegit) scribat in caput XVI. Matthæi, Petrum factum esse a Christo caput totius Ecclesiæ, et totum orbem terrarum illi esse commissum, ad quod officium certe non sufficit potestas remittendi peccata per sacramenta. Anselmus in cap. XVI. Matth. dicit quidem eamdem potestatem remittendi peccata, datum esse Apostolis, imo etiam omnibus episcopis, et presbyteris Joann. XX. quæ promissa fuit Petro Matth. XVI. Sed addit, unum Petrum factum esse principem Apostolorum, ut intelligeremus in Ecclesia esse debere unum principalem Christi Vicarium, ad quem diversa Ecclesiæ membra recurrant. Hugo Cardinalis in cap. XVI. Matth. secutus Anselmum loquitur de potestate remittendi peccata, et recte dicit, eam promissam fuisse Matth. XVI. et datam Joann. XX. sed non negat, aliam quoque potestatem promissam, et datam Petro, quæ non est expressa Joann. XX. Joannes Ferus in cap. XVI. Matth. non confert hunc locum

(1) Joan. XX, 23; Joan. XXI, 17.

cum cap. XX. Joannis. Itaque frustra citatur, neque tantus est auctor, ut ejus testimonium movere nos debeat. Alexander Alensis non dicit, quod fuit promissum Matth. XVI. fuisse datum Joann. XX. sed contra, dicit, claves datas fuisse Petro Matth. XVI. etiam si videantur verba esse de futuro : « Respondeo, inquit, quod claves fuerunt datæ ibi, *Tibi dabo claves*, et licet, *tibi dabo claves*, exprimatur per modum promissionis eventus futuri, nihilominus ibi cum verbis sequentibus, quæ sunt, *Quodcumque ligaveris*, datæ fuerunt Petro præcipue » ; et infra : « Aliis fuerunt datæ Joan. XX. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata* etc. » Idem Alex. in eodem art. 3. paulo ante, sic loquitur : « Voluit Deus quosdam in alios plures habere potestatem, et deinde in illos, alios pauciores ; et sic semper quousque perveniretur ad unum, scilicet Papam, qui sub Deo immediate est. » S. Thomas in loco citato a rege, ponit in argumento contrario, quæ rex pro se citat, et postea solvit illud argumentum dicens, datam esse primo soli Petro potestatem ligandi, et solvendi : deinde datum esse aliis, ut ostenderetur, ab illo tamquam a capite descendere debere potestatem in alios. Idem quoque S. Thomas in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. ad primum, distinguit de potestate ordinis, et jurisdictionis, et priorem dicit esse datum omnibus æqualiter Joann. XX. non solum Apostolis; sed etiam omnibus Sacerdotibus, quod probat ex ritu Ecclesiæ, ubi in ordinatione presbyterorum dicuntur hæc verba : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, etc.*, posteriorem potestatem dicit non esse æqualiter in omnibus, sed principaliter in Petro, ut habetur Matth. XVI. Et per illum in alios descendere. Dignetur autem rex consulere eumdem sanctum Doctorem in cap. XVI. Matthæi, et inveniet quod ego supra dixi, quod promissum fuit Petro Matth. XVI. per illud, *Tibi dabo claves*; datum esse reipsa eidem Petro Joann. XXI. per illud, *Pasce oves meas* (1). Inveniet quoque hæc verba, Papa qui est loco sancti Petri, habet plenariam potestatem, alii vero ab ipso. Sotus in loco a rege citato, id est, dist. 19. art. 1. nihil de hac re dicit. Sed vitio scriptoris fortasse posita est distinctio 19. art. 1. pro dist. 20 q. 1. art. 2. in hoc enim loco tractat Sotus de clavibus, et allegat duo testimonia Scripturæ Matth. XVI. et Joann. XX. et XXI., sed non dicit, quod rex vellet, quod promissum fuit Matth. XVI. in totum datum fuisse Joann. XX.; sed dicit cum Cardinali de Turrecremata, potestatem Ordinis collatum Apostolis Joann. XX., promissam autem Petro plenissimam potestatem ordinis, et jurisdictionis Matth. XVI. et re ipsa collatam eidem Petro Joann. XXI. Restat Hadrianus VI. in 4. sentent. q. 2. de clavibus Ecclesiæ, ubi dicit, duas esse claves, alteram scientiæ, alteram potestatis, et hoc probat ex Augustino, et glossa interlineari. Sed an ex hoc dicto Hadriani, vel ex aliis citatis auctoribus convincatur Tortus mendacii, lectorum erit judicium.

III. Mendacium pag. 18.

Odi parricidia, execror conspirationes : sed occasiones desperandi datas nemo inficiari potest.

Confutatio.

« Quod occasio desperandi pulverariis proditoribus non erat data, ut iste mentitur, sed quod a Jesuitis edocti irruebant in hoc sanguinarium facinus. Vide Monitor. Præf. pag. 132. 133. et Actionem in proditores. »

Responsio.

Verissime datum fuisse occasionem desperandi proditoribus, testantur gravissima edicta in recusantes adire Ecclesias hæreticorum, quæ tanto graviora sunt, quanto magis speraverant Catholici sub novo principe mitigandam fore acerbitatem persecutionis Elisabethæ reginæ. Quod autem a Jesuitis edocti non fuerint proditores, solis luce clarius est. Ipsi enim proditores sub ipsum mortis articulum publice professi sunt nullum se habuisse, vel auctorem, vel socium in eo facinore ex Jesuitis, vel aliis Catholicis sacerdotibus. Id mihi retulit vir nobilis, et fide dignissimus, qui supplicio proditorum interfuit, et auribus ipse suis audivit protestationem unius ex præcipuis proditoribus. Ipse quoque Garnettus publice, et in judicio coram multis nobilibus, et ad patibulum coram populo protestatus est, eam proditionem sibi non fuisse notam, nisi in

(1) Matth. XVI, 19; Joan. XXI, 17.

confessione sacramentali; notam a se denatam, et totis viribus impeditam. Actionem in proditores, quam rex citat, plenam esse mendaciis maximis, et clarissimis perspicuum est ex responsione jam edita, vel brevi proditura, quam ego, antequam oderetur, vidi, et miratus fuissem inveniri homines, qui mentiri auderent de rebus notissimis: nisi legissem apud Eusebium lib. IX. hist. Eccles. cap. 5. ex versione Rufini, a persecutoribus Christianorum confecta fuisse acta apud Pilatum de passione Christi, et per omnes provincias disseminata plena blasphemiis, et mendaciis. Quid enim mirum est, si de servulis Christi acta scribantur ejusmodi, si de ipso Domino scripta fuisse dubitari non potest?

IV. Mendacium pag. 26.

Nam ab eo juramento non solum Catholici, sed etiam Calvinistæ Puritani abhorrent.

Confutatio.

« Puritani non abhorrent a juramento primatus, sed quotidie suscipiunt, nec unquam recusarunt. Eumdem etiam primatum tuetur Calvinus Instit. lib. IV. cap. 20. »

Responsio.

Puritanos Calvinistas abhorrere a juramento primatus, ex Præfatione monitoria, et ex Basilico Doro ejusdem regis didicimus, nam in utroque libro rex Puritanis tribuit anarchiam. Anarchia enim, et monarchia, sive primatus contraria sunt. Non tamen negaverim, a Puritanis admitti juramentum Primatus, sed temporalis, qui ad Ecclesiam protegendam, non ad spiritualia ejus negotia administranda pertineat. Sic enim explicatur Primatus regis in Confessione Scotica edita anno 1581. « Et quoniam, inquiunt, percipimus Ecclesiæ, et religionis nostræ tranquillitatem, et stabilitatem, ex sainte, et bono regimine regiæ majestatis, tamquam instrumento consolatorio divinæ misericordiæ, huic regno pro Ecclesiæ conservatione, et justitiæ administratione inter nos, concesso pendere: spondemus, et promittimus corde, sub eisdem juramento, subscriptione, et pœnis, defensuros ejus personam, auctoritatem, et dignitatem bonis, corporibus, et vitis, in tutelam Evangelii Christi, libertatis Patriæ etc. » Atque huic est primatus, quem Calvinus agnoscit lib. IV. Instit. cap. 20. qui primatum in spiritualibus verum, et proprium, neque regi neque Pontifici unquam permisit. Ac ut regi domesticum testem adducam, exstat liber Richardi Brancolti, qui se Cantuariensem Archiepiscopum vocat, cui titulus est, Præteusa Puritanorum disciplina, in quo libro cap. 22. hæc leguntur: « Hinc est ut veritatem aperte fateamur) quod Calvinus nullo modo ferre potuerit, regem Henricum octavum caput Ecclesiæ vocari, aut supremum gubernatorem in terris Ecclesiarum Dei, quæ in suis ditionibus erant. » Hæc ille, qui eodem capite, et sequentibus duobus id in primis demonstrare conatur, negationem primatus Ecclesiastici in regibus, communem esse Puritanis cum Papistis, et eo maxime differre a Protestantibus Puritanos.

V. Mendacium pag. 28.

Principio non scribit Pontifex, se mœrore affici ob calamitates, quas tempore reginæ, aut initio regni Jacobi regis, in Anglia pro retinenda orthodoxa fide Catholici patiebantur, sed ob calamitates, quas hoc tempore patiuntur.

Confutatio.

« Verba ipsius brevis recitasse, est hoc mendacium confutasse: sic enim scribit Papa: Magno mœrore nos semper affecerunt, tribulationes, et calamitates, quas pro retinenda Catholica fide jugiter sustinuistis, sed cum intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est. »

Responsio.

Omnino verba ipsius brevis recitasse, est confictum fuisse mendacium demonstrasse, nulla enim fit in verbis brevis mentio temporis reginæ Elisabethæ, aut initii regni Jacobi, perperam ergo verba brevis ad illa tempora referuntur, præsertim cum neque tempore reginæ, neque initio regni Jacobi, Paulus V. Pontifex fuerit. Scribit igitur de calamitatibus Anglorum Catholicorum, quas

initio Pontificatus sui gravissimas fuisse, et anno sequente, quo primum breve scriptum est, non parum crevisse acceperat.

VI. Mendacium pag. 28.

In primo articulo (Statuti) confirmantur leges Elisabethæ.

Confutatio.

« In primo articulo istius statuti nulla fit mentio de confirmandis legibus reginæ Elisabethæ. »

VII. Mendacium pag. 29.

In 10. articulo (ejusdem statuti) additur, ut si tertia vice (Catholici) propositum juramentum recusaverint, capitis, vitæque dispendium patiantur.

Confutatio.

« Nullus est ejusmodi articulus in toto illo statuto, ubi, vel de proponendo hoc juramento tertia vice, vel de capitis, vitæque dispendio ulla mentio habeatur. »

VIII. Mendacium pag. 30.

In 12. habetur, ut qui principibus externis militare voluerit, in prius juramentum præfatum præstet, alioqui perduellis habeatur.

Confutatio.

« Non dicitur in statuo, quod perduellis habebitur, sed quod feloniæ reus habebitur, qui principi extraneo militare voluerit, priusquam juramentum susceperit. »

Responsio ad tria prædicta.

Statutum, cujus articulos in libro meo descripsi, habetur in libello latino edito Rhotomagi anno 1606, cujus hic est titulus: Breviculus duorum nuper in publicis Comitiis Anglicanis actorum, anno Christi 1606. Jacobi Angliæ regis tertio, in eo libello habentur omnia illa, quæ rex negat: hæc enim sunt verba ipsa articuli primi, « Visum est regiæ Majestati, regnique proceribus, et statibus, qui ad hoc Parlamentum convenerunt, omnes in primis leges tempore Elisabethæ, et aliorum regum contra Papistas stabilitas confirmare, et ratas habere. » Articuli vero decimi hæc sunt verba. « Qui vero tertia vice juramentum de primatu regis in spiritualibus recusaverit, si modo regi, ut illi proponatur, placuerit, capitis, vitæque dispendio puniatur. » Articuli duodecimi hæc sunt verba ultima: « Statuitur auctoritate prædicta, ut quicumque hujus regni subditus, post decimum diem Junii insequentem, principibus externis militare voluerit, is prius juramentum præstabit: alioquin perduellis habeatur. » Hæc ad verbum in eo libello habentur. Ac ut fidem meam certius liberem, et quia libellus elegantissimus est, dabo operam ut primo quoque tempore recudatur.

IX. Mendacium pag. 35.

Ostendimus eo juramento, negari potestatem Apostolicam tum ligandi, tum solvendi.

Confutatio.

« Nulla est sententia assertoria in isto juramento, nec ullum verbum, nisi conditionale de Pontificis potestate ligandi, vel solvendi. »

Responsio.

Neque auctor dixit per assertoriam propositionem negatam esse Pontifici potestatem ligandi, et solvendi: sed per juratonis formulam affirmavit esse negatam, qui enim jurat, ut hæc formula præscribit, pariturum se regi; non obstante sententia excommunicationis a Pontifice lata, is negare censetur potestatem Pontificiam ligandi per sententiam excommunicationis et qui jurat (ut eadem hæc formula jubet) et credit a nullo se posse absolvi, ac ne ab ipso quidem Pontifice, ab obligatione hujus juramenti, is negat in summo Pontifice potestatem solvendi. Quod autem rex dicit, nullum esse verbum nisi conditionale in hoc juramento de Pontificis potestate ligandi, vel solvendi: non apparet in quo sensu veritate nitatur. Ista siquidem verba: « Vere credo, et certa conscientia teneo, quod neque Papa, neque quivis alius me ab hoc juramento, vel illius ulla particula ab-

solvere possit» : non sunt conditionalia, sed absoluta; et in hac juramenti formula expresse continentur; et ad potestatem Pontificiam negandam circa absolutionem, apertissime pertinent.

X. Mendacium pag. 37.

Diocletiano, et Neroni, vellent nollent, ipsi etiam Summi Pontifices subjecti esse cogebantur.

Confutatio.

« Quod Christiani sine exceptione, non coacte sed libere, et propter conscientiam, Ethnicis imperatoribus subjiciebantur : vide Apolog. nostram pag. 23. 24. et veterum Apologetica. »

Responsio

Quod Christiani subditi regibus, vel imperatoribus, etiam Ethnicis propter conscientiam subjici debeant, et obedire in iis rebus, quæ contra Deum non sunt, nos quoque docemus; sed si qui sint eorum imperio non subditi, etiam si Christiani sint certe subjici, et obedire non tenentur, nisi forte vi, et potentia adacti. Exempla habemus in prædecessoribus regis Anglorum, et Scotorum. Romanis enim ethnicis imperatoribus, regnabat in Anglia Lucius rex Christianus : et in Scotia Donaldus rex item Christianus, quæro igitur a Jacobo rege, utrum existimet reges illos Christianos Lucium, et Donaldum debuisse obedientiam, et subjectionem propter conscientiam imperatoribus Ethnicis? negabit opinor, neque alia de causa, nisi quia summi principes erant in suis regnis, et ideo non subditi imperatoribus Romanis. Eodem igitur modo Christiani subditi imperatoribus ethnicis, obedientiam illis debeant secundum conscientiam : summus autem Pontifex Christi regis regum Vicarius imperatoribus terrenis jure subditus non erat, ac per hoc obedientiam illis non debebat; sed tamen, tum quia potestas ejus nota non erat imperatoribus paganis, tum quia viribus temporalibus destitutus erat, vellet nollet, ut dixi, subjectus esse cogebatur.

XI. Mendacium pag. 47.

Quibus verbis (brevium Clementis VIII) Jacobus Scotiæ rex non excludebatur, sed includebatur potius.

Confutatio.

« Si brevia, Clementis non excludebant me a regno, sed includebant potius; cur ea flammis tradidit Garnettus? quare non mihi videnda asservavit, ut sibi, et suis Catholicis apud me majorem inde gratiam conciliaret? »

Responsio,

Brevia illa Pontificia, neque nominatim Jacobum regem excludebant, neque nominatim includebant : sed hortabantur Clerum, et populum Anglicanum Catholicum, ut curarent quantum in se esset, ut rex eligeretur a fide Catholica non abhorrens : et quoniam talis existimabatur rex Scotiæ, ideo per ea brevia includebatur potius, quam excludebatur, nostro saltem judicio. An autem, et cur ea brevia Garnettus cremaverit, ignorare me fateor. Vidit fortasse, posse verba brevium in malam partem accipi; vel audivit Jacobum regem vere a Catholica fide alienissimum esse. Ideo brevia quæ tunc prodesse non poterant, ignibus tradidit, ut non obessent.

XII. Mendacium pag. 60.

Ex quatuordecim articulis in juramento fidelitatis comprehensis, undecim sunt, qui primatum Pontificis in spiritualibus attingunt.

Confutatio.

« Ex hisce articulis ne unus quidem Pontificis primatum in spiritualibus attingit. Quorsum enim attingeret, cum contra primatum Pontificis in spiritualibus expressum alibi juramentum exstet? »

Responsio.

Ex quatuordecim articulis in juramento comprehensis, ut rex ipse divisit, et numeravit per quatuordecim oppositas propositiones in Apologia sua pag. 51. et 52. soli sunt tres, primus, tertius decimus, et quartus decimus, qui de potestate Papæ in excommunicandis, vel deponendis principibus loquuntur, eam vero potestatem ad primatum in spiritualibus pertinere dubium non est, cum Papa non excommunicet, neque deponat principes, nisi Apostolica potestate : Apostolicam autem potestatem spiritualem esse omnes fateantur.

XIII. Mendacium pag. 64.

Inter alias calumnias, illam profert in medium, quod Bellarminus vel conscius, vel auctor fuit proditionum adversus reginam Elisabetham.

Confutatio.

« Numquam dixi (in Apologia) Bellarminum vel auctorem, vel conscium fuisse proditionum adversus reginam Elisabetham; sed proditorum Præceptorem, eumque tam pravis, et perniciosis dogmatibus eorum mentes imbuisse, ut iis facillimum esset thesim transferre ad hypothesim : et quæ ille e Cathedra dictaret, ad suas machinationes pro renata accommodare. »

Responsio.

Apologiæ verba pag. 58. hæc sunt : « Quidam ex eo numero Sacerdotum, et Jesuitarum, qui et ipsi præcipui proditores erant, et proditionum gravissimarum fautores in nuperam reginam initarum, Patrem Robertum Bellarminum pro uno ex præcipuis suis vel auctoribus, vel oraculis celebrare non dubitaverunt », et ad marginem notat, qui sint illi proditores dicens : « Campianus, et Hartus : vide colloquium in turri Londinensi habitum. » Ex his verbis quis non judicet, Campianum, et Hartum vocari proditores, et eorum auctorem fieri Bellarminum? Sed quoniam Campianus, et Hartus nullius proditionis convicti fuerunt, et in turri Londinensi, ubi Bellarmini scripta allegata sunt, non de proditionibus, sed de controversiis fidei disputabatur : et Bellarminus Hartum numquam vidit, Campianum semel dumtaxat Romæ in transitu salutavit; ac per hoc neutrum discipulum habuit : denique quia neque in cathedra Bellarminus aliquid unquam dixit, neque in libris aliquid scripsit, quod ad proditiones pertineat : videat Rex qua conscientia dicat ea, quæ probare numquam poterit.

XIV. Mendacium pag. 64.

Scit Bellarminus, Campianum contra hæreticam pravitatem solum conspirasse.

Confutatio

« Quod Campianus ultimo supplicio affectus est, non in causa fuit, quod contra hæreticam pravitatem, ut hic libellator videri vult, sed quod contra reginam Elisabetham et hujus regni statum conspiraverit, id quod ex actibus judicialibus evidentissime constabat. »

Responsio.

Disputationes tertio habitæ Ministrorum cum Campiano de fide Catholica in turri Londinensi, satis ostendunt causam veram supplicii : præsertim cum post disputationem tertiam acerrime tortus Campianus fuerit. Non tamen ignoro, neque nego conficta fuisse crimina conspirationum, quæ neque ipse fassus est, neque de iis ab aliis convictus fuit. Actis judicialibus in Campianum quæ fides haberi debeat, docent acta similia in Garnettum.

XV. Mendacium pag. 65.

Cur Henricus Garnettus, vir doctrina omnis generis, et vitæ sanctitate incomparabilis, ultimo supplicio affectus est, nisi quia revelare noluit, quod salva conscientia revelare non poterat?

Confutatio.

« Quod hujus nefandi facinoris notitia non ex sola confessione, ad Henricum Garnettum pervenerit, ut iste mentitur, sed aliis etiam modis : nec ex unius, sed plurium relatione, ita ut salva conscientia illud revelasse potuisset, vide Monit. Præf. pag. 131. et Comitis Northamptonii librum. »

Responsio.

Vidi monitoriam præfationem, vidi etiam Actionem in Garnettum : sed vidi quoque responsionem, qua actionis illius mendacia deteguntur, et inde in sententia confirmatus sum, quam ab oculatis, et auritis testibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

acceperam, non fuisse ullo legitimo indicio probatum, proditionem pulverariam alia via quam sacramentalis confessionis, ad Garnettum pervenisse, quod ipse et in judicio, et ad patibulum confessus est.

XVI. Mendacium pag. 71.

Itaque Syxtus Pontifex neque regem cædi imperavit, neque cædem a privato illo homine factam approbavit.

Confutatio.

« Quam splendidum sit hoc mendacium, patet ex oratione ipsa Sixti Quinti. »

Responsio.

Nulla apud nos Sixti V, exstat oratio : et quæ ab adversariis edita est, quamvis fidem non mereatur, tamen in eam sententiam commode potest exponi, quæ in responsione nostra legitor pag. 70. 71. 72.

XVII. Mendacium pag. 91.

Quod autem additur de Stanleiana proditione, non fideliter, neque vere narratur, siquidem more suo auctor Apologiæ multis additis mendaciis historiam fœde corrupit.

Confutatio.

« Quæ dicta sunt de proditione Stanleiana, recitata erant ad verbum ex apologia Alani, pro causa Stanleiana, ut ibi videre est. »

Responsio.

Apologiam illam totam nullo verbo omisso, denuo legi, nec inveni verba illa quæ rex citavit : dicit quidem Alanus bellum reginæ, quo in Hollandia oppida regi Catholico eripuerat, fuisse injustum, et ideo oppida illa regi debuisse restitui : sed non dicit : « Quod quandoquidem excommunicata esset regina, et hæretica, non solum liceret jam ejus subditis, verum etiam necesse esset ab obligatione conscientiæ, nudare eam omni, quo possent, præsidio, et sive exercitus, sive oppida, sive arces, et propugnacula ejus obtinerent, regi Hispano hosti tradere, regina deinceps nihil habente proprium, vel suum, » hæc, inquam, non dicit Cardinalis Alanus, et tamen rex affirmat hæc ipsa ad verbum recitata esse ex Apologia Alani, pro causa Stanleiana. Apologia illa exstat Anglice, Gallice, et Italice, consulat lector Apologiam, et judicet.

XVIII. Mendacium pag. 39.

Constat Henricum Garnettum in publico judicio constanter semper dixisse, neque se, neque ullum Jesuitam hujus conspirationis auctorem, vel complicem, vel consultorem vel consentiente mullo modo fuisse, et paulo post idipsum in stante morte coram innumerabili populo longa oratione protestatus est.

Confutatio.

« Liber qui inscribitur, Actio in proditores, et nostra monitoria Præfatio pag. 131. 132 clare evincunt contrarium. »

Responsio.

Monitoria Præfatio narrat, non probat, Actio in proditores sine pudore, mentitur de iis rebus, quæ notissimæ sunt Angliæ universæ : sed ideo edita est, ut apud exteros fidem inveniat, et fallat incautos.

XIX. Mendacium pag. 97.

Jacobus autem cum Catholicus non sit, neque Christianus est.

Confutatio.

« Contra. Ego vero Catholicus sum, ut qui fidem profitear vere antiquam Catholicam, et Apostolicam : ac proinde vere Christianus sum. Vide confessionem fidei meæ in Monit. Præs. pag. 37. 38. et deinceps. »

Responsio.

Vidi confessionem regis in monitoria Præfatione, et ex ea plane, manifesteque didici regem non esse Catholicum, plurima enim rex damnat, et negat, quæ fides Catholica etiam antiquissima semper docuit. Non potest autem dici Catholicus, qui aliquam partem Catholicæ fidei tenet, sed qui totam tenet, alioqui omnes hæretici Catholici essent. Et si rex Catholicus est, cur in tota Apologia

pro juramento fidelitatis, eos Catholicos vocat, quorum fidem, et religionem detestatur?

XX. Mendacium pag. 98.

Et si vera sunt, quæ narrantur ab iis, qui cum intime noverunt, cum in Scotia Puritanus, et Protestantium inimicus esset, nunc in Anglia Protestans est, et Puritanorum adversarium se gerit.

Confutatio.

« Contra. Qualis Puritanus eram in Scotia, vide Præfationem in Basilicon Doron, et Monit. Præf. pag. 48. 49. »

Responsio.

Vidi ista duo, sed vidi etiam confessionem Scoticam Puritanorum, cui rex subscripsit, sic enim incipit confessio. Brevis, et generalis confessio Christianæ Religionis, secundum Dei verbum, et acta parlamentorum : subscripta a regia majestate ejusque familia, et diversis aliis : ad Dei gloriam, et bonum exemplum omnium. Edenburgi 28. Januarii, anno Domini 1580. et regni ejus 14. Legi quoque in ipso Basilico Doro regem docentem, se certo cognovisse religionem, quæ viget in Scotia, esse verissimam : Religionem autem, quæ viget in Scotia, fatetur ibidem rex divino miraculo a Puritanis seditiosis introductam, etc.

CAPUT XVI.

Sequuntur Historiæ, quas rex ementitas dicit cum responsione.

Prima Historia ementita pag. 70.

Constabat eum (Henricum IV.) naturali morbo extinctum fuisse.

Confutatio.

« Non constabat quandoquidem historici nonnulli aliter scribant, eum in vinculis mortuum fuisse vel fame, vel pudore, situque carceris, lege Fasciculum temporum ad annum 1094. Lazlardum Epitome univers. hist cap. 198. Paulum Langium in Chronico Citizensi ad annum 1105. Jacobum Wimphelingium in Epitome rerum Germanicarum cap. 24. »

Responsio.

Dixi in loco notato, constare Henricum IV. non fuisse occisum gladio, aut veneno, sed naturali morbo extinctum, ubi opponitur naturalis morbus, gladio, et veneno, sive is morbus naturalis contractus sit ex crapula, sive ex inedia, sive ex nimia deambulatione, sive ex nimia detentione in carcere, sive ex luxu, et deliciis, sive ex pœdore situque carceris. Quare cum nullus historicus referat, Henricum IV. fuisse occisum gladio, aut veneno, constat veritas historiæ, quam adduxi. Sed præterea constat etiam Henricum IV. non in vinculis, nec pœdore carceris, aut fame, sed naturali morbo defunctum Leodii anno 1106. cum adhuc milites haberet, et bellum filio occulte movere vellet, vide historicos ad annum 1106. Godefridum Viterbiensem, Additionem ad Lambertum Schaphnaburgensem, Dodechinum in additione ad Marianum Scotum, Sigebertum in Chronico, Syffridum presbyterum in Epitome, Abbatem Urspergensem, Othonem Frisingensem, et alios. Porro Fasciculus temporum, Paulus Langius, et pauci, qui dicunt illum obiisse in carcere, vel decepti sunt ex ea quod Henricum in carcere fuisse noverant, elapsum autem ignorabant, aut non recordabantur : vel certe dicunt obiisse in carcere, quia civitas Leodiensis, quæ fere sola illi erat ex toto Imperio, pro carcere computabatur.

II. Historia ementita pag. 83.

A quo (vinculo excomunicationis) ut absolvi mereretur, ad istam humilitatem se ipse (Henricus IV.) sponte dejecit.

Confutatio.

« Henricus IV. non sponte, nec metu excommunicationis Papæ, quam invalidam censuit, sed metu amissionis regni, et vitæ, sese in tantum humiliasse testantur historici. Lamb. Schaphnab. ad annum 1077. Abbas Ursperg. ad annum 1075. Platina in Gregorio VII. Auctor vitæ Henrici IV. Bruno in historia Belli Saxonici, Cuspinianus in Henrico IV. Sigonius de regibus Italiæ

lib. IX. Laziardus in Epitome hist. univers. cap. 193. »

Responsio.

Henricum IV. sponte se ad illam humilitatem dejecisse dixi, quoniam non vi adductus, sed propria voluntate accessit ; ut omnes citati historici, et alii permulti testantur. Accessisse autem ad Papam, ut a vinculo excommunicationis solveretur, ut etiam absolutus fuit ; iidem historici testes sunt. Quod autem ab excommunicatione absolvi desideravit, ne regnum amitteret, verissimum est, jam enim principes Germaniæ decreverant, eum regno privare, si annum integrum in excommunicatione perseveraret. Sed ista non pugnant inter se, neque efficiunt, ut conficta sit historia, quam retuli, iidem enim historici utrumque dicunt, et Henricum sponte ex Germania in Italiam ad Papam venisse, et summa humilitate absolutionem ab excommunicatione petivisse, et accepisse ; et eam fuisse potissimam causam, cur absolutionem tanto labore, et humilitate quæsierit, ne regno spoliaretur.

III. Historia ementita pag. 83.

Hæc historia (Alexandri III. Friderici Barbarossæ cervicem pede conculcantis) est dubiæ fidei.

Confutatio.

« At non est dubiæ fidei apud historicos ; cum nullos neget, multi affirment, ut Nauclerus, Jacobus Bergomensis, Petrus Justinianus, Papirius Missonus, Alphonsus Ciaconus, Hieronymus Bardus. »

Responsio.

Conflictæ historiæ reus non est, qui historiam aliquam dubiæ fidei esse dicit : sed qui falsam historiam narrat ; nisi vocabulis abuti velimus. Sed præterea historici quos rex citat, recentiores sunt : antiqui enim nihil tale scripserunt. Porro Romualdus archiepiscopus, Salernitanus, qui interfuit, et omnia accuratissime descripsit, Fridericum narrat toto corpore procubuisse ad pedes Alexandri Pontificis, mox autem a Pontifice cum lachrymis benignissime sublevatum, quod idem narrat Rogerius ejusdem ætatis auctor in annalibus Anglicis. At, inquit rex, multi rem illam scribunt, nemo negat. Respondeo, argumentum hoc concludere quando veteres affirmant, et nullus ejus temporis, aut posterioris negat : sed quando soli recentiores affirmant non est mirum, si veteres non negent quod divinare non potuerunt a recentioribus, confingendum fuisse.

IV. Historia ementita pag. 83.

Quid aliud Fridericus timuit, nisi excommunicationem ?

Confutatio.

« At Fridericum timuisse solam excommunicationem nullus antiquus historicus scribit : sed imperii, et dominii amissionem potissimum timuisse testantur plurimi, Martinus Polonus ad annum 1166. Platina in Alexandro III. Laziardus in Epitome hist. universalis cap. 212. Nauclerus generatione 40. Jacobus Wimphelingius in Epitome rerum Germaniæ cap. 32. »

Responsio.

Quid Fredericus timuerit, docet ipse in oratione, quam habuit Venetiis coram Pontifice, et maxima Procerum multitudine, quam ex Romualdo Salernitano Archiepiscopo refert Cardinalis Baronius tom. 12. annalium pag. 714. ubi aperte professus est, agnoscere se errorem suum, et schisma cujus auctor fuerat, et nihil magis timere, et odisse, quam ab Ecclesia separationem. Idem etiam constat ex facto. nam permissus non est Venetias ingredi, nisi antea ab excommunicatione absolutus esset. Sed cum eum Pontifex per Episcopos Ostiensem, Portuensem, et Prænestinum absolvi jussisset ; tum demum dux Venetorum illi obviam profectus est : eumque in urbem Venetiarum magno cum honore, et publica lætitia introduxit. Neque vero historici allegati contrarium testantur, cum enim dicant, eum timuisse, ne ab imperio caderet, hoc ipso censentur dicere, timuisse excommunicationem, per quam, nisi mature absolveretur, imperium amittere potuisset.

V. Historia ementita pag. 88.

Adde Cuspianum (in hac re de Turcæ fratre veneno sublato) aliorum historicorum testimoniis destitui.

Confutatio.

« Eadem historia a plerisque aliis celeberrimis historicis memoriæ prodita est. Vide Franciscum Guicciardinum lib. II. hist. Ital. Paulum Jovium lib. II. hist. sui temporis, Sabellicum Ennead. 10. lib. IX. Continuatorem Palmerii ad annum 1494. »

Responsio.

Historici citati narrant quidem fratrem Turcæ periisse Neapoli, vel Cajetæ, nam et de loco variant, sed periisse veneno Sabellicus in dubium revocat. Venenum autem datum auctore, vel non ignorante Pontifice, ut aliqui loquuntur, nullus affirmat. Suspicionem fuisse dicit Palmerii continuator ; Guicciardinus, creditum fuisse ; Jovius, famam fuisse ; Sabellicus, fuisse, qui crederent : litteris mandarunt. Ista vero non sunt historicorum testimonia, quorum est res gestas vere narrare, sed opiniones, vel suspiciones hominum, qui non raro suspicando, vel opinando falluntur. Certe Onuphrius Panuinius in annotationibus ad Platinam, Turcæ fratrem naturali morbo periisse scribit.

CAPUT XVII.

Sequuntur nova dogmata, quæ rex notavit in meo libello.

Primum Dogma novum pag. 9.

Inter homines convenit, posse Pontificem maximum hæreticos principes jure deponere, et subditos ab eorum obedientia liberare.

Confutatio.

« Imo vero tantum abest, ut inter omnes de hoc conveniat, verius ut dicas, ante Hildebrandi Pontificatum, id nemini unquam venisse in mentem, qui primus omnium hanc novam doctrinam, planeque ante inauditam prodidit, ut multi viri docti, cum illius, tum subsequentis sæculi testantur (ut alios inferiorum ætatum testes omittam) ; qua de re vide Epistolam Cleri Leodiensis ad Paschalem II. sententiam Episcoporum horum temporum apud Aventinum, lib. V. fol. 379. etc. »

Responsio.

Cum dixi, inter omnes convenire, de theologis, et jureconsultis Catholicis loquebar ; non de schismaticis, quales sunt quos rex allegat. Satis enim sciebam durante schismate Henrici quarti, multos fuisse, qui pro, vel contra scriberent. Sed si hoc dogma a tempore Gregorii VII. (quem rex Hildebrandum vocat) initium habuit : cur post annos circiter quingentos, ego quasi novi dogmatis inventor aut sectator accusor ? Certe non potest dici novum, quod ante tot sæcula viguit. Sed neque verum est, ante tempora Gregorii VII. hanc doctrinam fuisse inauditam ; cum constet, a Gregorio juniore, qui trecentis circiter annis Gregorium VII. antecessit, excommunicatum fuisse, et vectigalibus Italiæ privatum Leonem Isauricum imperatorem, testibus Zonara, et Cedreno. Ex auctoribus, quos rex citat, duo soli sunt non contemnendi, Otho Frigensensis lib. VI. c. 35. et Godefridus Viterbiensis par. 17. Sed hi scribunt solum se non legisse ante tempora Gregorii VII. imperatorem a Papa excommunicatum, et ab imperio depositum fuisse, non tamen dicunt id fieri non posse, aut non licere, ut schismatici dicunt. Ut autem rex videat, vere a me dictum esse convenire inter omnes Catholicos theologos, et jureconsultos, posse a Pontifice maximo principes hæreticos jure deponi, et subditos ab eorum obedientia liberari : legat concilium generale Lateranense sub Innocentio III. cap. 3. unde exstat cap. Excommunicamus, de hæret. et Lugdunense sub Innocentio IV. unde exstat cap. Ad Apostolicæ, de sent. et re judic. in 6. His enim Conciliis nemo vere Catholicus contradicere potest : ac per hoc inter omnes Catholicos convenit, hæreticum principem jure posse deponi. Neque his repugnat, quod in concilio Lugdunensi citato Fridericus variis de causis depositus fuerit : nam una ex præcipuis fuit, quia suspectus de hæresi argumentis evidentibus habebatur, et si suspectus evidenter de hæresi depositione dignus a Papa in generali concilio judicatus est, quanto magis hæreticus manifestus jure deponi pote-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rit ? Porro ex auctoribus particularibus multos inveni, qui expresse id fateantur ; qui expresse neget, nullum inveni : ideo non sine ratione affirmavi, inter omnes convenire. Consulat rex S. Thomam 2. 2. quæst. 10. art. 10. et ne forte suspicetur, S. Thomam loqui solum de Paganis, aut Judæis, cum dicit, posse infidelem principem auctoritate Ecclesiæ privari dominio, quod habet super fideles; legat articulum sextum ejusdem quæstionis, et inveniet sanctum Doctorem loqui de Paganis, Judæis, et hæreticis, ac potissimum de hæreticis, quos affirmat esse infideles. Paganis, et Judæis absolute, et simpliciter deteriores. Eamdem sententiam de jure quod habet summus Pontifex excommunicandi, et deponendi Principes hæreticos inveniet apud S. Raymundum in Summa tit. de Hæreticis §. 7. S. Bonaventuram de Hierarchia Ecclesiastica, part. 2. cap. 1. S. Antonium in Summa part. 3. tit. 22. cap. 3. §. 7. et cap. 5. §. 7. Joannem Andream in cap. Ad Apostolicæ de sent. et re judic. in 6. Ostiensem in Summa tit. de Hæreticis, §. Qua pœna puniatur, num. 11. Abbatem in cap. Excommunicamus num. 2. titul. de Hæreticis. Joannem de Turrecremata lib. II. Summæ de Ecclesia cap. 114. conclus. 4. in fine. Joannem Driedonis lib. I. De libertate Christiana cap. 14. Dominicum a Soto in 4. Sent. dist. 25 quæst. 2. art. 1. conclus. 5. Alphonsum de Castro De justa hæreticorum punitione lib. II. cap. 7. Jacobum Simancam in tract. de Catholicis institutionibus tit. de Papa, num. 25. et alios, quos longum esset, et non necessarium huc adferre.

II. Novum dogma pag. 51.

In ortu supernaturali, quem habemus in baptismo, intelligi debet juramentum tacitum, et congenitum ad obediendum Principi spirituali, qui est Christi Vicarius.

Confutatio.

« Mirum est unde iste hauserit hanc novam, et prorsus incognitam Theologiam, quæ non aliunde quam ex ipsius putido cerebro nasci potuit : sin minus suos nobis auctores enumeret, qui doceant, et affirment Christianos omnes, sive adultos, virtute juramenti cujusdam taciti in baptismo suscepti, teneri ad obedientiam absolutam Christi Vicario præstandam, aut in aliud quam in Christi nomen baptizari. »

Responsio.

Nusquam dixit Bellarminus, eos, qui per baptismum renascuntur in Christo, in aliud quam in Christi nomen baptizari. Obligari autem eos, qui baptismum Christi suscipiunt, ad obedientiam Vicario Christi præstandam : docent omnes, qui fatentur, per baptismum admitti homines ad familiam Christi : et Christi Vicarium esse illum, quem constituit Dominus super familiam suam, Matth. XXIV. et Luc. XII. Sed mirum est, cur rex miretur, unde hæc theologia nata sit, cum satis facile colligi potuerit ex verbis ipsius in Apologia pro juramento fidelitatis pag. 76. Ibi enim rex docuit, duo esse juramenta subditorum, unum tacitum, et congenitum, cum primum nati sumus, alterum declaratorium in confirmationem prioris adhibitum, quod nihil aliud est, quam prioris ingeniti expressio, et publica quædam prædicatio. Ex hac admiranda regis doctrina sequitur : Si in ortu naturali debeat intelligi juramentum tacitum, et congenitum ad obediendum principi politico, in ortu quoque supernaturali, quem habemus ex baptismo, intelligi debere juramentum tacitum, et congenitum ad obediendum principi spirituali, qui est Christi Vicarius. Itaque vel damnet rex doctrinam suam de juramento tacito, et congenito in ortu naturali, vel probet etiam nostram de simili juramento tacito, et congenito in ortu supernaturali, et vel numeret ipse auctores doctrinæ suæ, vel desinat quærere auctores doctrinæ nostræ.

III. Novum dogma pag. 94.

Sed cum Catholica doctrina non permittat ad ullum malum vitandum secretum sacramentalis confessionis detegi, maluit ille mortem acerbissimam pati, quam tanti sacramenti sigillum violare.

Confutatio.

« Quod secretum sacramentalis confessionis ad nullum malum quantumcumque vitandum, vel præveniendum possit detegi, vel indirecte saltem, aut in genere, modo persona, quæ confessionem edit, celetur, præterquam quod thesis est cunctis principibus, et rebus publicis perniciosissima, novum est dogma etc. Consule Alex. Alensem, Thomam, Scotum, etc. »

Responsio.

Non est cur rex fatigetur in auctoribus citandis, aut hac doctrina impugnanda, numquam enim venit Bellarmino in mentem docere, quod rex existimat eum docuisse : quod igitur dixit secundum Catholicam doctrinam, non posse solvi sigillum confessionis, ad quodcumque malum evitandum, intelligendum est, non esse licitum ullo modo prodere personam confitentis, hoc enim proprie cadit sub sigillum : alioqui nemini dubium est posse detegi peccata ipsa vel ad capiendum consilium, vel ad præcavenda mala, vel aliis de causis, dummodo ex manifestatione peccati non sit periculum, ne manifestetur persona, quæ peccatum confessa est. Jam autem supra demonstratum est, non potuisse Garnettum detegere proditionem in confessione sacramentali cognitam, nisi etiam detegeret proditores : ideo maluisse crudeli supplicio vitam amittere, quam sacrosanctum secretum violare.

IV. Novum dogma pag. 102.

Ego vero audeo dicere, meliorem causam habere Catholicos juramenti recusandi, quam Eleazarus habuerit carnis porcinæ non gustandæ.

Confutatio.

« Hæc assertio revera novum dogma continet, breve scilicet Pontificium legi Mosaicæ præferendum esse : et Catholicos magis teneri Pontificis decreto, quam Judæi olim lege per Mosem tradita tenebantur. »

Responsio.

At Bellarminus in illa pag. 102. disertis verbis comparavit præceptum non comedendæ carnis porcinæ cum præcepto recusandi juramenti regii quo ad materiam, non quo ad legislatores. Itaque hoc solum dixit, meliorem causam habere Catholicos juramenti recusandi, quo summi Pontificis auctoritas violatur, quam Eleazarus habuerit non gustandæ carnis porcinæ ; quoniam longe major res est, violatio auctoritatis summi Pontificis, quam esus carnis porcinæ : frustra igitur rex comparat breve pontificium cum lege Mosis. Sed neque verum est, præceptum non admittendi juramentum, de quo agimus, niti solum auctoritate brevis pontificii : nititur enim auctoritate divina per breve Pontificis declarata. Ideo in eodem loco dixit Bellarminus auctoritatem imperantis in utroque loco eamdem esse, videlicet Dei, qui per Mosem jussit in Levitico, ut Judæi a carne suilla se abstinerent ; et per eundem Mosem in Deuteronomio jussit, ut omnes summo Sacerdoti obtemperarent.

V. Novum dogma pag. 135.

Clericos exemptos esse a jurisdictione principum sæcularium, ac per hoc, non esse subjectos regibus : sed debere tamen leges eorum de temporalibus rebus observare non vi legis, sed vi rationis, id est, non quia subditi sunt, sed quia ratio dictat ob commune bonum, et pacem Reipub. eas leges ab omnibus esse servandas.

Responsio.

« Quam sit amicus regibus Cardinalis, et qui Cardinali a sacellis est, qui tot subditos ab eorum potestate exemptos velint docet monit. Præf. pag. 23, 24. »

Confutatio.

Expectabam, ut rex novitatem hujus dogmatis demonstraret, juxta titulum illum, Nova dogmata, una cum novitatis ipsorum declaratione. Sed quia vidit, dogma istud inveniri apud omnes theologos, et jureconsultos ; immo ipsis sacris Pontificum Canonibus, et Conciliorum decretis : prudenter divertit ad invidiam Cardinali apud reges constandam, quasi ipse primus sit auctor exemptionis Clericorum. Sed sicut ipse nihil novi docuit, ita sperat, manifestam istam calumniam, nihil ei apud Catholicos reges, et principes nocituram.

FINIS APOLOGIÆ CARD. BELLARMINI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS

RESPONSIO

AD LIBRUM INSCRIPTUM

TRIPLICI NODO TRIPLEX CUNEUS

SIVE

APOLOGIA PRO JURAMENTO FIDELITATIS

ADVERSUS DUO BREVIA PAPÆ PAULI V. ET RECENTES LITTERAS CARDINALIS BELLARMINI

Ad Georgium Blakuellum Angliæ Archipresbyterum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ADMONITIO AD LECTOREM

Quoniam rex Magnæ Britanniæ Jacobus Præfationi suæ monitoriæ adjunxit Apologiam suam pro juramento fidelitatis, quam ante duos annos tacito nomine suo ediderat; necessarium esse duxit Cardinalis Bellarminus Apologiæ suæ adversus monitoriam regis Præfationem, adjungere responsionem suam ad Apologiam regis, quam anno superiore, sub nomine Matthæi Torti, sui familiaris, emiserat : sic enim fiet, ut ad neutram partem libri regii responsio desideretur; et equus lector scriptis contrariis diligenter expensis, certius de re tota judicium ferat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

RESPONSIO

AD LIBUM SCRIPTUM

TRIPLEX NODO, TRIPLEX CUNEUS, SIVE APOLOGIA, ETC.

Prodiit anno superiori, ex Urbe Londino, liber Anglicano idiomate scriptus, adversus duo brevia summi Pontificis, et epistolam quamdam Cardinalis Bellarmini, sine nomine quidem auctoris, sed regia tamen auctoritate impressus, et in ipso frontispicio, triumphum canens ante victoriam. Scriptum gerebat: « Tunc omnes populi clamaverunt, et dixerunt magna est veritas, et prævalet. » Hic liber, in latinam linguam conversus, ad nos quoque ante paucos dies pervenit. Sed qui cuneos ad scindendos nodos tres adhibere curavit, hoc uno maxime peccasse videtur, quod non recte cuneos ad nodos applicuit. Itaque magno, sed inani conatu aerem verberavit, et tunc omnes populi clamaverunt, et dixerunt, magna est veritas, et prævalet, quæ funiculo triplici colligata, dissolvi non potuit. Ac, ut sine ambagibus loquamur, qui Apologiam scripsit pro Juramento fidelitatis, adversus duo brevia Pauli V, summi Pontificis, et Epistolam Cardinalis Bellarmini: neque juramentum, neque brevia, neque Epistolam intellexisse videtur. Affirmat enim juramento fidelitatis, quod rex Anglorum subditis suis Catholicis præstandum proposuit, solam civilem obedientiam contineri. Addit, Brevibus Pontificiis, et Cardinalis Epistola civilem obedientiam prohiberi. Neutrum est verum, ut paulo post apertissime demonstrabitur. Format deinde varia argumenta ex Scripturis, Conciliis, et Patribus, quibus probet deberi regibus obedientiam civilem a subditis: quod quia in brevibus et epistola non negatur, argumenta non magis concludunt, quam ea, quæ in dialectica duci dicuntur a disparatis: quamvis autem hoc generatim admonuisse sufficeret, tamen, ut etiam tardioribus fiat satis,

(1) Primum ostendemus, juramentum Catholicis propositum, non solum civilem obedientiam, sed etiam Catholicæ fidei abnegationem requirere: hæc enim est principalis quæstio quæ inter nos hoc tempore disputatur. Deinde singulas partes Apologiæ discutiemus.

Igitur juramento fidelitatis, quod habetur in edicto regio anni 1606, post articulum decimum, et in hac ipsa Apologia ex brevi Apostolico recitatur, auctor Apologiæ contineri affirmat solam civilis obedientiæ professionem, hæc enim sunt verba ejus pag. 4: « Rex specimen quoddam, atque exemplar sui præbuit, se nihil in Pontificios moliri, nec meditari conscientiæ causa, nec ultra quid desiderare, quam ut de eorum fide, et constantia securus fieret, quam propter conscientiam suæ majestati præstare tenebantur. » Hæc sunt ejus verba in latina editione; sed in Anglicana, quæ antea prodierat, clarius dicebatur, regem nihil desiderare, nisi ut securus de civili etiam obedientia redderetur. Item pag. 6. et 7. idem auctor sic loquitur: « Quare Pontifex se immiscet operi non suo, et falcem sic mittit suam in messem alienam, in re præsertim civili, et quæ eum nullatenus spectat? » In Anglicana editione legitur apertius, in rebus mere, et solum ad civilem obedientiam spectantibus. Item pag. 26. dicit, Pontificem prohibuisse per suum brevem, rem licitam, mereque civilem. Item pag. 29. cum testimoniis Patrum, Scripturarum, et Conciliorum probasset civilem obedientiam deberi regibus a subditis, subjungit:

(a) *Summa totius operis duobus capitibus comprehensa.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cohortationem Pontificis ad Catholicos Anglos, ut pro juramenti recusatione martyrium constanter subeant, ad rem non facere, cum in hoc juramento non agatur nisi de civili obedientia, quæ cum fide Catholica non pugnat : « Quasi, inquit, Romanam Religionem profiteri, et civilem obedientiam principi præstare, duæ quædam res essent, nullo pacto consociabiles, sed invicem compugnantes, atque contrariæ. » Hæc ille. Et pag. 49 : « Hoc, inquit, juramentum tantummodo civilem obedientiam attingit subditi, rum erga principem, in causis mere temporalibus. »

(a) At nos facile contra probabimus in hoc eodem juramento non agi de sola civili obedientia, sed agi de Fide Catholica, id est, de primatu Sedis Apostolicæ quem in Scripturis sanctis apertissime fundatum, Catholici omnes ut fidei Orthodoxæ dogma certissimum habent.

Id probamus primum ex edicto regio, in quo hujus juramenti formula continetur atque præscribitur. Nam (b) titulus edicti hic est : « Ad detegendos, et reprimendos Papistas. » Cur non dicitur, ad detegendos, et reprimendos rebelles? nisi quia finis, cujus gratia excogitatum est juramentum, non est detectio negantium civilem obedientiam, quod rebellibus convenit, sed detectio negantium primatum spiritualem regis, et confitentium primatum spiritualem summi Pontificis, quod Catholicorum, quos vos Papistas appellatis proprium esse dignoscitur.

Secundo probamus (c) ex ipsis juramenti verbis, primum ex illis : « Et quod Papa nec per seipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel sedis Romanæ ullam potestatem, vel auctoritatem habeat regem deponendi etc., vel ullos subditorum suorum, ab eorum suæ Majestatis obedientia, et subjectione exonerandi, etc. » Hic jam manifeste perspicitur, hoc juramentum non continere solam civilem obedientiam in rebus mere temporalibus, ut auctor Apologiæ tam sæpe repetivit, sed continere abnegationem Pontificiæ potestatis, quæ non est res mere temporalis, sed res sacra, et cœlitus data, quam nullus mortalium tollere, vel minuere potest. Sed neque hoc loco necessarium est disputare, quo modo sit accipienda hæc potestas, aut quibus de causis exerceri possit, de qua re theologi, et jureconsulti disputant, siquidem inter omnes convenit, posse Pontificem maximum hæreticos principes jure deponere, et subditos eorum ab obedientia liberare, cum hac enim conditione reges terræ ad Ecclesiam admittuntur, ut sceptra sua Christo subjiciant, et fidem ac religionem non evertere, sed protegere; defendere, non oppugnare debeant. Quod si nolint, jus est illi, qui toti Ecclesiæ vice Christi præst, eos a communione fidelium segregare, subditisque interdicere, ne illis pareant.

Idem probatur (d) ex verbis sequentibus : « Juro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione, vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta, vel concessa, aut faciendis, vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcumque auctoritatem derivatam, vel derivari prætensam ab illo, seu a sua Sede contra dictum regem, hæredes, aut successores suos, vel quacumque absolutione dictorum subditorum ab obedientia; fidelitatem tamen, et veram obedientiam suæ majestati, hæredibus, et successoribus suis præstabo, etc. » Hic aperte, negatur summo Pontifici potestas excommunicandi reges etiam hæreticos. Quo modo enim licite et juste Catholicus jurabit, se non pariturum summo Pontifici regem hæreticum excommunicanti, nisi credat non posse a Pontifice regem hæreticum excommunicari? Atqui potestas excommunicandi intrinseca est primatui Apostolico, atque ab eo inseparabilis, cum B. Petro ut primo spirituali primati dictum sit a Domino : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Matth. XVI. Et cum (e) eidem Petro, atque in eo successoribus omnibus auctoritas data sit totum gregem Dominicum pascendi, et regendi, Joan. ult., certe vel rex Anglorum ad gregem Dominicum nullo modo pertinet, vel B. Petro ejusque successoribus subditus est, atque ab eo ligari, et solvi potest. Neque ulla justior causa excommunicandi fingi potest, quam hæresis, quæ fidei Catholicæ, et omnis justitiæ fundamentum tollit. Quare is, qui affirmat, non esse in summo Pontifice potestatem excommunicandi reges hæreticos, neque illi esse parendum, si id faciat; is,

(a) In juramento Anglicano primatus Apostolici abnegationem quæri probatur. — (b) Ex titulo edicti. — (c) Ex ipsis juramenti verbis. — (d) Item ex aliis formulæ verbis. — (e) Omnes Christiani etiam Reges subditi sunt B. Petri successoribus.

omnino affirmat, non esse summum Pontificem Caput Ecclesiæ universæ, ac per hoc primatum Apostolicum negare convincitur. Non igitur hoc juramento sola civilis obedientia quæritur, sed quæritur abnegatio fidei Catholicæ, et ut obediatur homini contra obedientiam Dei.

Sed alia verba ejusdem juramenti consideremus : « Et alterius, inquit, credo, et in conscientia mea resolvor, (a) nec Papa, nec alius quicumque potestatem habet me ab hoc juramento, aut aliqua ejus parte absolvendi; quod juramentum agnosco recta, ac plena auctoritate, esse mihi legitime ministratum. » Hoc autem loco qui paulo ante jurando negaverat potestatem ligandi in summo Pontifice, idem nunc potestatem solvendi negat. Nam ex verbis illis Dominicis : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, Catholici omnes colligunt, ad Pontificis maximi auctoritatem pertinere, non solum potestatem absolvendi a peccatis, sed etiam a pœnis, censuris, legibus, votis, atque juramentis, quando id expediat ad gloriam Dei, atque animarum salutem. Sed præterea dum affirmat hoc juramentum sibi recta, ac plena auctoritate legitime ministratum, simul affirmat regem suum, a quo juramentum propositum est, potestatem supremam habere in spiritualibus; cum agnoscat in illo plenam auctoritatem jubendi, ut Pontificia excommunicatio, sive declaratio contemnator.

Tertio probamus hoc idem, ex alio simili juramento apertiore, quod hic idem auctor Apologiæ ad verbum recitat pag. 49. Hujus juramenti hæc sunt verba (b) : « Ego A. B. palam testor, et ex conscientia mea declaro, quod majestas regia unicus est supremus gubernator hujus regni, omniumque aliorum suæ majestatis dominiorum, ac territoriorum, tam in omnibus spiritualibus, sive Ecclesiasticis rebus, aut causis, quam in temporalibus : et quod nullus extraneus princeps, persona prælatus, status, aut potentatus habet, aut habere debet ullam jurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam vel auctoritatem Ecclesiasticam, sive spiritualem infra hoc regnum, etc. » Hæc juramenti formula hoc solum distat ab illa, quæ inclusa est in Brevi Pontificio, quod ista verbis expressis, et propriis continet abnegationem primatus Apostolici, et ideo non facile proponitur iis, qui aperte se profitentur Catholicos; illa vero formata est verbis obscurioribus, et per ambages circumloquutionum, ad decipiendos incautos, ut vere multos, atque adeo archipresbyterum ipsum decepit. Sed ex hac formula clariore facile possunt viri prudentes intelligere, quo tendat illa formula, quæ dum jubet abnegari potestatem excommunicandi regem, simul jubet abnegari primatum Apostolicum in Ecclesiam universam, et aperit aditum ad constituendum primatum regis in spiritualibus. Addo postremo confirmationem ex verbis hujus auctoris, quamvis enim millies repetierit, in hoc juramento non contineri, nisi civilem obedientiam; tamen pag. 88. excidit illi, (c) hoc juramentum institutum esse, quo populus arceretur, ne ita alte amarum illud populum ebiberet antichristianarum scortationum. » Quid enim vocare solent adversarii antichristianas fornicationes, nisi venerationem Pontificiæ Potestatis? Non ergo sola civilis obedientia, sed etiam detestatio spiritualis obedientiæ hoc juramento continetur. Inspiciamus nunc brevia pontificia ad Catholicos Anglos perscripta.

(a) Juram. Angliæ negat potestatem solvendi in summo Pontifice. — (b) Ex formula juram. des Primatu Regis Ecclesiastico, negari Pontificis Primatum convincitur. — (c) Idem probatur ex ipsi verbis auctoris Apologiæ.

PRIMUM BREVE PONTIFICIUM.

Dilecti filii, salutem, et Apostolicam benedictionem. Magno animi mœrore nos semper affecerunt tribulationes et calamitates, quas pro retinenda Catholica fide jugiter sustinuistis; sed cum intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est. Accepimus namque compelli vos, gravissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cohortationem Pontificis ad Catholicos Anglos, ut pro juramenti recusatione martyrium constanter subeant, ad rem non facere, cum in hoc juramento non agatur nisi de civili obedientia, quæ cum fide Catholica non pugnat : « Quasi, inquit, Romanam Religionem profiteri, et civilem obedientiam principi præstare, duæ quædam res essent, nullo pacto consociabiles, sed invicem compugnantes, atque contrariæ. » Hæc ille. Et pag. 49 : « Hoc, inquit, juramentum tantummodo civilem obedientiam attingit subditi, rum erga principem, in causis mere temporalibus. »

(a) At nos facile contra probabimus in hoc eodem juramento non agi de sola civili obedientia, sed agi de Fide Catholica, id est, de primatu Sedis Apostolicæ quem in Scripturis sanctis apertissime fundatum, Catholici omnes ut fidei Orthodoxæ dogma certissimum habent.

Id probamus primum ex edicto regio, in quo hujus juramenti formula continetur atque præscribitur. Nam (b) titulus edicti hic est : « Ad detegendos, et reprimendos Papistas. » Cur non dicitur, ad detegendos, et reprimendos rebelles? nisi quia finis, cujus gratia excogitatum est juramentum, non est detectio negantium civilem obedientiam, quod rebellibus convenit, sed detectio negantium primatum spiritualem regis, et confitentium primatum spiritualem summi Pontificis, quod Catholicorum, quos vos Papistas appellatis proprium esse dignoscitur.

Secundo probamus (c) ex ipsis juramenti verbis, primum ex illis : « Et quod Papa nec per seipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel sedis Romanæ ullam potestatem, vel auctoritatem habeat regem deponendi etc., vel ullos subditorum suorum, ab eorum suæ Majestatis obedientia, et subjectione exonerandi, etc. » Hic jam manifeste perspicitur, hoc juramentum non continere solam civilem obedientiam in rebus mere temporalibus, ut auctor Apologiæ tam sæpe repetivit, sed continere abnegationem Pontificiæ potestatis, quæ non est res mere temporalis, sed res sacra, et cœlitus data, quam nullus mortalium tollere, vel minuere potest. Sed neque hoc loco necessarium est disputare, quo modo sit accipienda hæc potestas, aut quibus de causis exerceri possit, de qua re theologi, et jureconsulti disputant, siquidem inter omnes convenit, posse Pontificem maximum hæreticos principes jure deponere, et subditos eorum ab obedientia liberare, cum hac enim conditione reges terræ ad Ecclesiam admittuntur, ut sceptra sua Christo subjiciant, et fidem ac religionem non evertere, sed protegere; defendere, non oppugnare debeant. Quod si nolint, jus est illi, qui toti Ecclesiæ vice Christi præst, eos a communione fidelium segregare, subditisque interdicere, ne illis pareant.

Idem probatur (d) ex verbis sequentibus : « Juro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione, vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta, vel concessa, aut faciendis, vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcumque auctoritatem derivatam, vel derivari prætensam ab illo, seu a sua Sede contra dictum regem, hæredes, aut successores suos, vel quacumque absolutione dictorum subditorum ab obedientia; fidelitatem tamen, et veram obedientiam suæ majestati, hæredibus, et successoribus suis præstabo, etc. » Hic aperte, negatur summo Pontifici potestas excommunicandi reges etiam hæreticos. Quo modo enim licite et juste Catholicus jurabit, se non pariturum summo Pontifici regem hæreticum excommunicanti, nisi credat non posse a Pontifice regem hæreticum excommunicari? Atqui potestas excommunicandi intrinseca est primatui Apostolico, atque ab eo inseparabilis, cum B. Petro ut primo spirituali primati dictum sit a Domino : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Matth. XVI. Et cum (e) eidem Petro, atque in eo successoribus omnibus auctoritas data sit totum gregem Dominicum pascendi, et regendi, Joan. ult., certe vel rex Anglorum ad gregem Dominicum nullo modo pertinet, vel B. Petro ejusque successoribus subditus est, atque ab eo ligari, et solvi potest. Neque ulla justior causa excommunicandi fingi potest, quam hæresis, quæ fidei Catholicæ, et omnis justitiæ fundamentum tollit. Quare is, qui affirmat, non esse in summo Pontifice potestatem excommunicandi reges hæreticos, neque illi esse parendum, si id faciat; is,

(a) In juramento Anglicano primatus Apostolici abnegationem quæri probatur. — (b) Ex titulo edicti. — (c) Ex ipsis juramenti verbis. — (d) Item ex aliis formulæ verbis. — (e) Omnes Christiani etiam Reges subditi sunt B. Petri successoribus.

omnino affirmat, non esse summum Pontificem Caput Ecclesiæ universæ, ac per hoc primatum Apostolicum negare convincitur. Non igitur hoc juramento sola civilis obedientia quæritur, sed quæritur abnegatio fidei Catholicæ, et ut obediatur homini contra obedientiam Dei.

Sed alia verba ejusdem juramenti consideremus : « Et alterius, inquit, credo, et in conscientia mea resolvor, (a) nec Papa, nec alius quicumque potestatem habet me ab hoc juramento, aut aliqua ejus parte absolvendi; quod juramentum agnosco recta, ac plena auctoritate, esse mihi legitime ministratum. » Hoc autem loco qui paulo ante jurando negaverat potestatem ligandi in summo Pontifice, idem nunc potestatem solvendi negat. Nam ex verbis illis Dominicis : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, Catholici omnes colligunt, ad Pontificis maximi auctoritatem pertinere, non solum potestatem absolvendi a peccatis, sed etiam a pœnis, censuris, legibus, votis, atque juramentis, quando id expediat ad gloriam Dei, atque animarum salutem. Sed præterea dum affirmat hoc juramentum sibi recta, ac plena auctoritate legitime ministratum, simul affirmat regem suum, a quo juramentum propositum est, potestatem supremam habere in spiritualibus; cum agnoscat in illo plenam auctoritatem jubendi, ut Pontificia excommunicatio, sive declaratio contemnator.

Tertio probamus hoc idem, ex alio simili juramento apertiore, quod hic idem auctor Apologiæ ad verbum recitat pag. 49. Hujus juramenti hæc sunt verba (b) : « Ego A. B. palam testor, et ex conscientia mea declaro, quod majestas regia unicus est supremus gubernator hujus regni, omniumque aliorum suæ majestatis dominiorum, ac territoriorum, tam in omnibus spiritualibus, sive Ecclesiasticis rebus, aut causis, quam in temporalibus : et quod nullus extraneus princeps, persona prælatus, status, aut potentatus habet, aut habere debet ullam jurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam vel auctoritatem Ecclesiasticam, sive spiritualem infra hoc regnum, etc. » Hæc juramenti formula hoc solum distat ab illa, quæ inclusa est in Brevi Pontificio, quod ista verbis expressis, et propriis continet abnegationem primatus Apostolici, et ideo non facile proponitur iis, qui aperte se profitentur Catholicos; illa vero formata est verbis obscurioribus, et per ambages circumloquutionum, ad decipiendos incautos, ut vere multos, atque adeo archipresbyterum ipsum decepit. Sed ex hac formula clariore facile possunt viri prudentes intelligere, quo tendat illa formula, quæ dum jubet abnegari potestatem excommunicandi regem, simul jubet abnegari primatum Apostolicum in Ecclesiam universam, et aperit aditum ad constituendum primatum regis in spiritualibus. Addo postremo confirmationem ex verbis hujus auctoris, quamvis enim millies repetierit, in hoc juramento non contineri, nisi civilem obedientiam; tamen pag. 88. excidit illi, (c) hoc juramentum institutum esse, quo populus arceretur, ne ita alte amarum illud populum ebiberet antichristianarum scortationum. » Quid enim vocare solent adversarii antichristianas fornicationes, nisi venerationem Pontificiæ Potestatis? Non ergo sola civilis obedientia, sed etiam detestatio spiritualis obedientiæ hoc juramento continetur. Inspiciamus nunc brevia pontificia ad Catholicos Anglos perscripta.

(a) Juram. Angliæ negat potestatem solvendi in summo Pontifice. — (b) Ex formula juram. des Primatu Regis Ecclesiastico, negari Pontificis Primatum convincitur. — (c) Idem probatur ex ipsi verbis auctoris Apologiæ.

PRIMUM BREVE PONTIFICIUM.

Dilecti filii, salutem, et Apostolicam benedictionem. Magno animi mœrore nos semper affecerunt tribulationes et calamitates, quas pro retinenda Catholica fide jugiter sustinuistis; sed cum intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est. Accepimus namque compelli vos, gravissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tare, concionibus illorum interesse : profecto credimus procul dubio eos, qui tanta constantia atque fortitudine atrocissimas persecutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpessi sunt, ut immaculate ambularent in lege Domini, numquam commissuros esse, ut coinquinentur communione desertorum divinæ legis. Nihilominus zelo Pastoralis officii nostri impulsi, et pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assidue laboramus : cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere, sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis. Quemadmodum etiam non potestis, absque evidentissima gravissimaque divini honoris injuria, obligare vos juramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audivimus propositum vobis fuisse præstandum, infrascripti tenoris, videlicet :

(a) Ego A. B. vere, et sincere agnosco, profiteor, testificor, et declaro in conscientia mea, coram Deo et mundo, quod supremus Dominus noster rex Jacobus est legitimus et verus rex hujus regni, et omnium aliorum Majestatis suæ dominiorum, et terrarum ; et quod Papa, nec per se ipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, vel per ulla media cum quibuscumque aliis, aliquam potestatem, nec auctoritatem habeat regem deponendi, vel aliquorum majestatis suæ dominiorum vel regnorum disponendi, vel alicui principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas invadere auctoritatem concedendi, vel ullos subditorum suorum ab eorum suæ majestatis obedientia, et subjectione exonerandi, aut ullis eorum licentiam dare, arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum majestatis suæ personæ, statui, vel regimini, vel aliquibus suis subditis, infra sua dominia offerendi. Item juro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta, vel concessa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcumque auctoritatem derivatam, aut derivari prætensam ab illo, seu a sua Sede contra dictum regem, heredes aut successores suos, vel quacumque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia ; fidelitatem tamen, et veram obedientiam suæ majestati, hæredibus, et et successoribus suis præstabo, ipsumque et ipsos totis meis viribus, contra omnes conspirationes, et attentata quæcumque, quæ contra personam illius vel illorum, eorumque coronam, et dignitatem, ratione vel colore alicujus sententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam : omnemque operam impendam revelare, et majestati suæ, hæredibus, et successoribus suis, manifestam facere omnes proditiones, et proditorias conspirationes, quæ contra illum, aut aliquos illorum, ad notitiam, vel auditum meum pervenerint.

Præterea juro, quod ex corde abhorreo, detestor, et abjuro, tamquam impiam et hæreticam hanc doctrinam et propositionem : Quod principes per Papam excommunicati vel deprivati, possint per suos subditos, vel alios quoscumque deponi et occidi.

Et ulterius, credo, et in conscientia mea resolvor, quod nec Papa, nec alius quicumque, potestatem habet me ab hoc juramento, aut aliqua ejus parte absolvendi. Quod juramentum agnosco recta, ac plena auctoritate, esse mihi legitime ministratum, omnibusque indulgentiis, ac dispensationibus in contrarium renuntio. Hæcque omnia plane, ac sincere agnosco, et juro juxta expressa verba per me hic prolata, et juxta planum, ac communem sensum, et intellectum eorumdem verborum, absque ulla æquivocatione aut mentali evasione, vel secreta reservatione quacumque. Hancque recognitionem, et agnitionem, facio cordialiter, voluntarie et vere, in vera fide Christiani viri, sic me Deus adjuvet.

(a) *Formula Juramenti fidelitatis.*

(b) Quæ cum ita sint, vobis, ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quod hujusmodi juramentum, salva fide Catholica, et salute animarum vestrarum præstari non potest, cum multa contineat, quæ fidei, et saluti aperte adversantur. Propterea admonemus vos, ut ab hoc, atque similibus juramentis præstandis omnino caveatis, quod quidem eo acrius exigimus a vobis, quia experti vestræ fidei constantiam, quæ tamquam aurum in fornace, perpetuæ tribulationis igne probata est, pro comperto habemus, vos alacri animo subituros esse quæcumque atrociora tormenta, ac mortem denique ipsam constanter oppetituros, potius quam Dei majestatem ulla in re lædatis. Et fiducia nostra confirmatur ex his, quæ quotidie nobis afferuntur de egregia virtute atque fortitudine, quæ non secus ac in Ecclesiæ primordiis resplendet novissimis hisce temporibus in martyribus vestris.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, sumentes scutum fidei : confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, nec quicquam vos detineat. Ipse autem, qui coronaturus vos, certamina vestra in cœlo intuetur, bonum opus, quod in vobis cœpit, perficiet. Nostis quia discipulis suis pollicitus est, se numquam relicturum esse eos orphanos : fidelis enim est qui repromisit. Retinete igitur disciplinam ejus, hoc est, radicati et fundati in charitate ; quicquid agitis, quicquid conamini, in simplicitate cordis et unitate spiritus, sine murmuratione, aut hæsitatione unanimes facite : siquidem in hoc cognoscunt omnes, quia discipuli Christi sumus, si dilectionem ad invicem habuerimus. Quæ quidem charitas, cum sit omnibus Christi fidelibus maxime appetenda ; vobis certe, dilectissimi filii, prorsus necessaria est. Hac enim vestra charitate diaboli potentia infringitur, qui nunc adversus vos tantopere insurgit, cum ipsa contentionibus, atque dissidiis nostrorum filiorum præcipue nitatur.

Hortamur itaque vos per viscera Domini Jesu Christi, cujus charitate e faucibus æternæ mortis erepti sumus, ut ante omnia, mutuam inter vos charitatem habeatis. Præscripsit sane vobis præcepta maxime utilia, de fraterna charitate vicissim exercenda, felicis recordationis Clemen. Papa VIII. suis litteris in forma Brevis ad dilectum filium Magistrum Georgium Archipresbyterum regni Angliæ, datis die quinta mensis Octobris 1603. ea igitur diligenter exequimini, et ne ulla difficultate, aut ambiguitate remoremini, præcipimus vobis, ut illarum litterarum verba adamussim servetis, et simpliciter prout sonant et jacent, accipiatis, et intelligatis, sublata omni facultate aliter illa interpretandi. Interim nos numquam cessabimus Deum Patrem misericordiarum precari, ut afflictiones, et labores vestros clementer respiciat, ac vos continua protectione custodiat atque defendat, quos Apostolica benedictione nostra clementer impertimur. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo piscatoris decimo Kalend. Octob. MDCVI. Pontificatus nostri anno secundo.

(a) *Juramenti damnatio.*

Venio nunc ad singulas Apologiæ partes summa brevitate discutiendas. Orditur auctor a deploratione horrendæ conspirationis in regem : ad quales conspirationes deinceps avertendas, juramentum propositum esse dicit. Hoc loco monendus est auctor, vel potius ipse rex serenissimus, ad conspirationes ejusmodi præcavendas, parum præsidii in juramentis, (*a*) multum autem in benevolentia populorum positum esse : qui enim non timent tam atrox parricidium perpetrare, neque timebunt jurisjurandi religionem contemnere. Exemplo nobis sunt plurimi reges, nec pauciores Cæsares, ab iis militibus cæsi, qui eis fidelitatem sanctissime juraverant. Contra autem scimus, Augustum, Vespasianum, Trajanum, Antoninum, Constantium, et filium Constantinum, et alios permultos, benevolentia subditorum tutissimos semper fuisse. Refert Tacitus lib. XV. Annalium, cum Subrius Falvius, unus ex conjuratis, a Nerone interrogaretur, quibus ex causis ad oblivionem juramenti processisset ; respondisse eum : Oderam te, nec quisquam tibi fidelior fuit, dum amari meruisti, ubi satis declaravit, eum, qui amari dignus est, etiam sine juramento securum esse de fide subditorum : qui vero odio habetur, nullo juramento satis tegi posse.

Quare si rex secure reguare, et vitæ suæ, ac suorum consulere cupit, sinat Catholicos frui antiqua possessione Religionis suæ : quam religionem a parentibus, avis, et proavis, per multa sæcula in Angliam cultam negare non potest. Non cogat professores veteris fidei, quam a Magno Gregorio se accepisse merito gloriantur, ad novas suscipiendas sectariorum opiniones : et continuo pericula omnia, timoresque cessabunt. Non excuso factum, odi parricidia, execror conspirationes ; sed occasionem desperandi datam nemo inficiari potest. (*b*) Speraverant enim Catholici, ut hic ipse auctor Apologiæ fatetur, sub novo principe, qui clementiæ laude semper floruerat, et quem ipsi quoque Catholici magna alacritate susceperant, se aliquantulum a persecutione tam diuturna respiraturos, et eam fidem, et Religionem libere retenturos, quam mater ipsa regis, et omnes ejus majores pie coluerant ; sed ubi viderunt confirmari crudelia edicta Elisabethæ reginæ, et recusantibus adire templa hæreticorum gravissimas pecuniarias multas imponi, seque paulatim accusationis prætexta opibus omnibus spoliari : nonnulli eorum minus patientes injuriarum, in desperationem acti, moliti sunt, quod nos vobiscum pariter deploramus.

Deinde pag. 3. 4. et 5. iterum atque iterum repetit, atque inculcat, juramentum propositum a rege fuisse, ut internosceret inter fideles subditas, et perfidos proditores, et ideo juramentum fidelitatis merito appellandum esse, quo nihil aliud quæratur, nisi, ut debita obedientia regi præstetur ; sed per sinistram interpretationem summi Pontificis, qua per Breve suum prohibuit juramentum suscipi, quasi fidei Catholicæ contrarium, factum esse, ut miseri Catholici, aut cum discrimine vitæ, et jactura fortunarum fidelitati erga principem renuncient, aut cum Catholicæ fidei detrimento, animarum suarum salutem in periculum adducant. At nos paulo ante docuimus, (*c*) juramentum propositum sub colore fidelitatis ad regem, abnegationem Primatus Apostolici continere ; neque ad hoc demonstrandum multis argumentis egemus, cum ipsum regis edictum, in quo juramenti hujus forma præscribitur, fraudes omnes apertissime detegat. Nam, ut supra notavimus, titulus edicti est : Ad detegendos, et reprimendos Papistas. » Et in eodem edicto prope finem, nisi forte nos translatio fallat, duorum juramentorum fit mentio, quorum alterum est de primatu regis in spiritualibus : alterum contra potestatem Pontificis in principes Christianos, juramentum solius fidelitatis ne nominatur quidem. Parum autem interest, utrum auctor apologiæ velit, juramentum, de quo nunc agimus, esse juramentum de primatu regis in spiritualibus, an juramentum contra potestatem Pontificis in principes Christianos : utrumque enim apud veros Catholicos fidei Christianæ repugnat, prius enim juramentum tribuit spiritualem primatum ei, cui secundum Scripturas sanctas minime debetur, posterius vero detrahit eumdem primatum ab eo, cui secundum easdem Scripturas omni jure debetur. Christus enim, ut supra diximus, Pastorem universi gregis sui, non regem aliquem, sed Apostolum Petrum esse jussit : proinde, qui B. Petro succedunt, non qui regibus succe-

(*a*) *Benevolentia populorum magna est securitas Principum.* — (*b*) *Occasio conjurationis in Anglia quibusdam quomodo data.* — (*c*) *Juram. Anglicanum non petit merum civilem obedientiam.*

dunt, primatum super Christianos obtinent : et si reges Christiani sunt, dubium esse non potest, quin Apostoli Petri successores super illos etiam pastoralem habeant potestatem. Non ergo breve Apostolicum sinistre interpretando juramentum, causa est mortis temporalis fidelibus Anglis ; sed juramentum apte ad decipiendum compositum, causa est iisdem Anglis mortis sempiternæ.

Pag. 6. pergit auctor Apologiæ, ac dicit, summum Pontificem contra bonos mores, et consuetudinem principum Christianorum vehementer peccasse, quod regem in dicta causa condemnaverit, partim annumerando cum persecutoribus, partim severe imperando, ut Catholici ab hoc Sacramento abstineant, quod dum detrectant, fidelitatem suam profiteri recusant. Quod autem Pontifex in his duabus rebus peccaverit, probare se existimavit auctor insolubili argumento, dum ait : « Si Pontifex existimavit se regis esse Judicem competentem, cur non auditum damnavit ? sin autem Pontifici nihil cum rege negotii est, cur falcem suam immisit in messem alienam ? » Sed quamquam Christi Vicarius, si Pater, et rector est, ut verissime est Ecclesiæ universæ ; judex etiam competens est omnium Christianorum, ac per hoc etiam regum, ut Christiani sunt : tamen si proprie loqui velimus, (*a*) summus Pontifex Paulus V. non de persona regis, sed de juramento judicavit, quando autem quæstio est, utrum aliquod juramentum licitum sit, an illicitum, nemo judex magis competens fingi potest ipso summo Pontifice, quoniam agitur de re sacra, de re spirituali, de re, quæ ad salutem vel perniciem animæ pertinet. Itaque summus Pontifex, cum a juramento, quod noxium animis fidelium judicavit, subditos suos absterruit ; id fecit quod pastor facit, cum oviculas suas arcet a pabulo venenato. Et quemadmodum pastor non judicat neque punit terram, quæ pabulum mortiferum protulit ; sed ovibus suis consulit, dum eas ab ejusmodi pabulo removet : sic summus Pontifex non regem proprie judicavit, vel damnavit, sed Catholicos suos admonuit, juramentum propositum non posse tuta conscientia suscipi. Frustra igitur auctor Apologiæ clamat regem in dicta causa condemnatum : ineptum quoque dilemma sibi fingit, cum non de damnatione regis, sed de juramenti reprehensione agatur.

At, inquit, si juramentum reprehenditur, consequenter reprehenditur is, qui juramentum suscipi jussit. Respondeo : negari non potest, quin reprehensio juramenti aliquo modo ad eum pertineat, qui juramentum præscripsit : (*b*) sed aliud est reprehendere opus alicujus hominis, aliud hominem ipsum in judicium propter opus illud vocare. Nam fieri potest, ut opus non placeat, et tamen ab auctore juridice discutiendo, et damnando abstineatur. Sic igitur summus Pontifex juramentum reprehendit, sed regis personam non attigit, neque opus fuit ut causam diceret, qui in jus vocatus non fuerat.

At, inquit, in eo peccavit Pontifex, quod regem persecutoribus annumeravit, dum ad martyrium pro recusatione juramenti suscipiendum, Catholicos suos hortatus est. Respondeo : (*c*) non annumeravit Pontifex regem inter persecutores absolute, sed in ejus arbitrio reliquit, velletne acquiescere veritati, et a juramento illicito *obtrudendo* cessare, et rex pacificus haberi ; an potius vellet contra innocentes sævire, et persecutor sanctorum Martyrum nominari.

At saltem in eo Pontifex peccavit, quod juramentum fidelitatis prohibendo, effecit, ut subditi debitam obedientiam regi suo non exhiberent. Respondeo : (*d*) si juramentum solius fidelitatis esset, neque aliud requireret, nisi ut subditi omnes, etiam Catholici, regi subjecti essent, in iis rebus omnibus, quæ contra fidem Catholicam, et obedientiam Deo, et summo Pontifici debitam non essent ; nemo juramentum reprehenderet, neque opus fuisset brevibus Apostolicis populum Catholicum admoneri. Nam et Clemens VIII. sanctæ memoriæ Pontifex, et hic ipse Paulus V. ejus in Apostolica Sede successor, non semel per litteras Catholicos Anglos admonuerunt, ut regi obedientiam, quæ regibus secundum Scripturas sanctas debetur, diligentissime exhiberent, et a tumultibus, et seditionibus omnino caverent. Sed ubi vidit juramentum a Catholicis peti, in quo

(*a*) *Paulus V. proprie non de persona regis Angliæ judicavit ; sed de juramento. utrum liceat.* — (*b*) *Opus reprehendere, non est hominem propter opus in judicium vocare.* — (*c*) *Rejis in arbitrio a juram. cessare, vel illud urgendo Martyrum persecutor nominari.* — (*d*) *Papa civilem obedientiam nusquam prohibuit.*

per speciem civilis obedientiæ, fidei Catholicæ abnegatio petebatur, admonuit suos, ut caverent insidias, et memores essent Apostolici dicti : « *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*, Actor. v.

Pag. 7. confert auctor Apologiæ bullam Pii V. adversus Elisabetham. cum brevi Pauli V, ac dicit, nihil fere interesse inter bullam Pii V. qui Elisabetham nominatim excommunicavit, et breve Pauli V. qui juramentum fidelitatis a Catholicis suscipi prohibuit : ille enim populos ab obedientia reginæ absolvit ; iste obedientiam regi præstari vetuit :

Omitto convicia, vel blasphemias potius in Pium V. pontificem sanctum, ac de Dei Ecclesia optime meritum, neque enim ad convicia, quæ solis conviciantibus nocent, sed ad rationes, et argumenta, quæ minus peritis, aut parum attentis nocere possunt, respondendum esse putavimus. (*a*) Hoc igitur interest inter severitatem, qua utendum esse Pius non sine justa causa censuit, et jenitatem, quam justa etiam de causa adhibere placuit Paulo ; quod ille reginam jamdudum propter hæresim excommunicatam a jure, et generatim, iterum nominatim excommunicavit, et excommunicatam declaravit : et quoniam cum excommunicatis nominatim et publice declaratis non licet conversari, ac secundum Ecclesiæ Catholicæ leges, ejusmodi vitandi sunt, ideo Pius V. populum Catholicum ab obedientia reginæ ad eum modum excommunicatæ, et declaratæ, justissime absolvit, et liberavit : tali enim severitate utendum esse tempora illa suaserunt. Paulus vero V. experiri volens, an medicamenta mitiora fortasse magis prodessent, præsertim cum agendum esset cum rege majoris prudentiæ, atque doctrinæ, et cujus parentes Catholici semper fuerant : non judicavit hoc tempore expedire, ut rex nominatim excommunicaretur, vel excommunicatus publice declararetur : ac per hoc non solum non absolvit populos ab obedientia, quod fecerat Pius, sed neque vetuit, ut regi obedientia in rebus temporalibus præstaretur, ut falso auctor Apologiæ affirmat. At prohibuit suscipi juramentum fidelitatis. (*b*) Nego prohibuisse suscipi cujuscumque fidelitatis, sed ejus solius, quæ cum infidelitate conjuncta esset. Cum enim Christiani fidelitatem debeant non solum regi terreno, sed etiam principi spirituali, qualis est Christi in terris Vicarius : nullo modo licet Christiano viro, ita jurare principi terreno fidelitatem, ut simul juret se principi spirituali minime pariturum, etiam in iis rebus, quæ proprio ad ipsius pertinent potestatem. Quoniam igitur juramentum Catholicis propositum suscipi non poterat, sine abjuratione Pontificiæ potestatis, idcirco recte summus Pontifex juramentum illud suscipiendum non esse censuit ; tantumque interest inter bullam Pii V. et Breve Pauli V. quantum inter cauterium ignis, aut venæ incisionem, et unctionem olei, aut dulcis pharmaci potionem.

Pag. 8. rursum auctor Apologiæ Pontificem carpit. Quod si regem respicias imprudenter, si Catholicus injuriose se gesserit. « Imprudentia, inquit, est respectu regis, quod partitim et minutatim juramentum non refutaverit vel quod verbulum, quæ sententiola, vel quidquid id est criminis, cujus juramentum insimulat, nullo detexit indicio. » Nolo in nugis tempus consumere, ea de causa non discutio impropietates vocabulorum, et lutulentam orationem hujus interpretis. Illud unem respondeo, (*c*) Pontificis Maximi propositum non fuisse librum refutationis conscribere, ideo necesse non fuisse, ut juramentum universum, vel partes ejus, argumentis, variis ex locis petitis confutaret. Epistolam scripsit, quæ vicem edicti repræsentaret : tunc autem vere imprudens princeps haberi deberet, si iniquam actionem prohibere se non posse crederet, nisi librum integrum philosophorum more conscriberet, « At, inquit, si Pontifex notasset quid in juramento displiceret, fortasse rex partem illam juramenti vel deleri passus fuisset, vel eam benigna interpretatione mollivisset. » Respondeo, non particulam aliquam juramenti summo Pontifici displicuisse, sed ipsam juramenti substantiam, ut sic loquar, finem ipsum, et quasi scopum, quo verba omnia dirigantur, quando autem sperandum erat, ut partem aliquam principalem hujus juramenti deleri rex ille pateretur, qui juramentum alterum sub pœna capitis suscipi jussit de Primatu suo in spiritualibus? (*d*) Nam ab eo juramento non soli Catholici, sed

(*a*) *Discrimen inter bullam Pii et breve Pauli V.* — (*b*) *Paulus V. prohibuit suscipi juram. infidel.* — (*c*) *Edicta non solent rationibus comprobari.* — (*d*) *Etiam Calvinistæ Puritani respuunt jurament. de Primatu regis in spiritualibus.*

etiam Calvinistæ Puritani abhorrent, et tamen rex partem ullam ejus juramenti deleri, vel mitigari numquam pati voluit. Quod autem auctor Apologiæ adjungit de injustitia Pontificis in Catholicos, facile refutari potest : « Injustitia, inquit, est, Catholicorum respectu : Nam si ita visum fuisset majestati suæ, in juramento quippiam vel mutari, vel interpretari, eo labore penitus sublevati fuissent Catholici, et exonerati illico : si secus, omnia rex, ut erant, tenere velle, et nihil immutare, firmiter secum statuisset : tamen hoc inde lucri percipere potuissent Catholici, ut eorum renitentia, hac umbra, hoc veluti involucro posset obtegi, quod non tanquam claudicantes in fide sua erga principem a juramento abstinerent, sed tantum ab anxietate, et scrupulis quibusdam perplexi, quibus tenera ipsorum conscientia torqueretur : quam anxietatem, ac teneritudinem Pontificia damnatio verborum quorumdam in formula juramenti, peperisset : « Hæc ille. Sed jam diximus nullam omnino spem haberi potuisse, ut partes illæ juramenti tollerentur, quæ continent abnegationem fidei Catholicæ, de primatu ecclesiastico Romani Pontificis, quod si anxietas conscientiæ juvare posset Catholicos apud regem, omnis jamdudum persecutio cessasset. (*a*) Scit enim rex Catholicos Anglos, civilem obedientiam in ipsa ejus coronatione exhibuisse ; neque juramentum fidelitatis abhorrere, nisi ubi fides Catholica periclitatur.

Pag. 16. posteaquam breve Pontificum cum juramenti formula, a pagina 9. usque ad 15. integre descripserat, aggreditur auctor Apologiæ refutationem brevis ; (*b*) ac primo adscribit summo Pontifici crimen falsi, quia initio brevis dicit, magno se mœrore affici, ab tribulationes, et calamitates, quas pro retinenda fide Catholica, Catholici in Anglia patiuntur. Ut autem falsitatis Pontificem omnino convincat, orditur ab ingenti clementia Elisabethæ reginæ, quam a clementia regis Jacobi longe superatam affirmat. « Hic, inquit, Pontifex dolorem, et magnum animi sui mœrorem exprimit, propter tribulationes et calamitates, quas pro retinenda fide Catholica jugiter sustinent filii sui. Ubi præter crimen falsi, quod in serenissimi Domini nostri regis contumeliam tantopere redundat ; dissimulare non possum, sed ut res postulat, palam profiteor, et quod certo scio præ me fero, reginam Elizabetham neminem ex Pontificiis, religionis causa, in judicium vocasse, neminem ad supplicium condemnasse, antequam eorum scelera et flagitia, veluti invita regina, pœnas quas pertulerant, ei extorquerent : quod cuivis æquo rerum æstimatori, et actiones ipsas cum eorum circumstantiis prudenter pensiculanti manifestum fiet. » Hæc ille, qui posteaquam eadem felicitate scribendi, multa similia repetens, et inculcans, defunctæ reginæ manibus, ut ipse loquitur, parentasset ; vel, ut Anglicana editio significare videtur, sacrificium obtulisset : transit ad regem, atque ait : « Non possum sane non confiteri, pro amore, quo in veritatem feror, quod qualiscumque fuerit reginæ laus, a clementia in Pontificios, quæ fuit amplissima ; tamen ea mansuetudinis, ac pietatis in eosdem exempla, quæ conspeximus in serenissimo rege, longo præteritam reginæ mansuetudinem superarint intervallo etc. » Dabit hoc loco nobis veniam auctor Apologiæ, ut sicut ipse sibi licere existimavit, criminis falsi Christum Domini, idest Pontificem maximum, sine ullo veritatis colore accusare ; ita nobis vicissim liceat, mendacia sua in ipsum vere regem. Principio, non scripsit Pontifex, se mœrore affici ob calamitates, quas tempore reginæ Elisabethæ, aut initio regni Jacobi regis in Anglia, pro retinenda orthodoxa fide Catholici patiebantur : sed ob calamitates, quas hoc tempore patiuntur. Ergo, ut criminis falsi ne leve quidem vestigium in ipso Pontificio brevi adhæreat ; satis est si probemus, ingentes ærumnas propter Religionem fere coactos esse Catholicos anno Domini 1606. quo tempore breve Apostolicum scribebatur. (*c*) Hoc autem ipso anno scimus duo Edicta in Anglia promulgata ejusmodi, ut vel sola sufficiant, ad omnia hujus Apologiæ conarguenda mendacia. Edicti prioris summa hæc est : titulus ut supra admonui est.

« At detegendos, et reprimendos recusantes Papistas. » In primo articulo confirmantur leges Elisabethæ, adversus Catholicos jam olim stabilitæ. In 2. jubetur, ut Præfecti locorum inquirant in Catholicos omnis

(*a*) *Catholici Angli civilem obedientiam professi sunt in conoratione regis.* — (*b*) *Num falsum sit Catholicos in Anglia religionis causa persecutionem non sustinere.* — (*c*) *Leges a rege Jacobo in Catholicos latæ.*

ordinis et ætatis, qui templa hæreticorum adire recusant : imposita mulcta viginti florenorum, si negligentes in Catholicis perquirendis extiterint. In 3. statuitur, ut acriter puniantur Catholici, qui communionem, seu cœnam hæreticorum more, sumere recusaverint. In 4. sancitur, ut qui recusaverit sacris hæreticorum interesse, si convictus in judicio fuerit, solvat in menses singulos florenos ducentos. In 5. statuitur, mulctam ducentorum florenorum in singulos menses (quæ ab Elisabetha constituta fuerat, in recusantes adire templa hæreticorum) leve onus esse copiosis hominibus, ideo additur, ut rex invadat duas tertias partes bonorum omnium, tertia parte sola relicta ejusmodi recusantibus. In 6. statuitur, ut qui recusaverit cœnam Calvinisticam sumere, solvat primo anno florenos ducentos, secundo quadringentos, tertio sexcentos. In 7. additur, ut qui templa hæreticorum frequentare coperat, et postea relabitur in crimen non frequentandi, solvat statim florenos sexcentos. In 8. decernitur, ut qui recusant juramentum illud suscipere, de quo nunc agimus, conjiciantur, in carcerem sicariorum atque latronum. In 9. additur, ut eidem in carceribus detento, proponatur iterum juramentum : quod si recusaverit, amittat omnia bona, et carceri perpetuo mancipetur. In 10. additur, ut si tertia vice propositum sibi juramentum recusaverit, capitis vitæque dispendium patiatur. In 11. declaratur, ut tabulæ illæ, in quibus aliquis accusatus reperitur, quod a templis hæreticorum abfuerit, vim suam obtineant, non obstante quocumque errore, qui in accusatione formanda, aliterve contigerit. In 12. statuitur, ut qui principibus externis militare voluerit, is prius juramentum præfatum præstet, alioqui perduellis habebitur. In 13. statuitur, ut nobilis qui in externis regionibus servire voluerit, cum duobus fidejussoribus regi se obliget sub pœna ducentorum florenorum, quod nullo unquam tempore Romano Pontifici reconciliabitur : quam cautionem nisi proficiscens dederit, reus mortis erit. In 14. statuitur, ut qui post decimum diem Junii hujus anni 1606. subditum aliquem regis Anglorum ad fidem Romanæ Ecclesiæ pertrahet, aut pertrahere conabitur ; is perduellionis, et læsæ majestatis reus habeatur, et re ipsa pœnam illam subeat, nisi in Angliam revertatur, et intra sex dies a redita crimen confessus, duo juramenta suscipiat ; unum de Primatu regis in spiritualibus, alterum contra potestatem Papæ in principes Christianos.

Hæc videlicet est incredibilis illa clementia regis in Catholicos, ob quam summus Pontifex crimen falsi incurrit, quod scripserit, se non levi dolore affici, ob calamitates, quas Catholici pro fide orthodoxa retinenda tolerare coguntur. Quæ major calamitas excogitari potest, quam propter vitanda sacra sacrilega, opibus spoliari ; pro recusando juramento perfidiæ, carceri perpetuo mancipari ; pro exhortatione ad Catholicam fidem, quasi Majestatis reum morte mulctari ? et si nihil, nisi civilem obedientiam rex requirit, neque aliquid molitur conscientiæ causa ; cur archipresbyter, et alii, qui civilem obedientiam suscepto juramento professi sunt, adhuc carceribus detinentur ?

Sed volo ipsum etiam Apologiæ auctorem, velit nolit, adigere, ut pro hac veritate testimonium dicat. Ipse igitur in hoc libro suo pag. 20. extollens Principis mansuetudinem, sic ait (*a*) : « Gratioso edicto permissum est sacerdotibus omnibus, non comprehensis, et tum extra custodiam degentibus, intra certum, et constitutum diem e regno migrare. » Admiranda profecto gratia, exilium permittere sacerdotibus, qui comprehendi, quamvis diu quæsiti, nequiverant. Si tibi exilium gratia videtur, quo nomine vera supplicia appellabis ? An non est magna calamitas, si cogaris pœnas graviores exilio prævenire ?

At, inquies, edicta ista edita sunt post conjurationem detectam. Verum est, sed non pertinent ad puniendos proditores (*b*), sed ad Catholicos omnes, religionis causa, divexandos. Sed præterea ante conjurationem illam conceptam in ipso primo anno regi, et primo parlamento confirmavit omnia edicta reginæ, eaque non parum auxit. At ipsa etiam reginæ edicta illa edidit exacerbata ob excommunicationis sententiam in se a Pio V. latam. Imo etiam antea, nam anno domini 1558. in primo regni sui anno, diu ante Pii V. Pontificatum, juramentum subditis suis suscipiendum proposuit de primatu suo ecclesiatico, id est, de nova hæresi ab Henrico parente suo excogitata, pœna au-

(a) Sacerdotibus in Anglia diu ad carceres, et mortem quæsitis, nec inventis, gratia fit ut exulent. — (b) Ante conjurationem conceptam primo anno sui regni Jacobus vexavit Catholicos.

tem recusantis juramentum, prima vice fuit amissio bonorum, carcerque perpetuus, altera vice, pœna capitis, quam perduelles sustinere coguntur. Refert Nicolaus Sanderus lib. III. de schismate Anglicano hoc totum : et quæ vidit, et quibus interfuit scripsit. Anno sequenti, id est 1559, Missam facientibus, vel audientibus, aliudve quodcumque officium Ecclesiasticum, ritu veteri procurantibus, sacramentumque aliquod Romano more administrantibus, gravis indicitur mulcta ; nimirum prima vice ducentorum aureorum aut carceris ad sex menses : secunda vice quadringentorum aureorum, aut carceris ad annum : (*a*) tertia vice omium bonorum et perpetuorum carcerum, secundum quam legem mox in carceres conjecti sunt Episcopi plurimi, quorum nomina idem Sanderus describit in eodem lib. III. de Schismate Anglicano, quibus addit lib. VII. De visibili Monarchia ad annum Domini 1560. permultos etiam nobiles laicos eadem de causa carceribus mancipatos, qui omnes vel in carcere, vel in exilio extincti sunt. Et tamen auctor Apologiæ dicere audet, se certo scire, Elisabetham reginam neminem religionis causa in judicium vocasse, neminemque damnasse. Item ante sententiam Pii V. palam esse, nullam a regina Elisabetha graviorem mulctam Catholicis impositam, neque severiores leges, aut ullam capitalem pœnam in Catholicos constitutam. Quomodo enim nullum Catholicum regina, religionis causa, vocavit in judicium, nullumque damnavit ; si tot Episcopos, totque laicos illustres, ea solum de causa carceribus inclusit, quod ipsum caput Ecclesiæ agnoscere recusarent ? Non est fortasse causa Religionis, utrum regimen Ecclesiasticum, idque supremum, a summo Pontifice ad regem terrenum, immo etiam ad feminam transferri possit ? aut non est gravis mulcta judicari et damnari exilio, aut carceri perpetuo mancipari ? Quomodo etiam ante sententiam Pii V. nullam graviorem mulctam Catholicis regina imposuit, neque ullas severiores leges tulit neque ullam capitis pœnam constituit ; si anno 1558. id est, annis novem ante Pii V. Pontificatum, legem tulit de juramento Primatus sui in spiritualibus, ab Episcopis in primis suscipiendo, et prima vice recusantibus amissionis bonorum, et carceris perpetui : secunda autem perduellium pœnam constituit, et anno frequenti leges illas et mulctas instituit in Catholicos, Religionis Catholicæ exercitia usurpantes, quas supra descripsimus ? sed nimirum Auctor Apologiæ, vel nihil omnino legisse nos de rebus Anglicis, vel oblitos esse credit eorum, quæ de persequutione Anglicana multi illustres scriptores litteris mandaverunt ad memoriam posteritatis sempiternam. Omitto de industria plurima edicta, quæ variis temporibus Elisabetha adversus Catholicos, solius Religionis causa, promulgavit, quæ omnia Jacobus rex confirmavit : et quibus non pauca addidit, quæ typis mandata palam cerni possunt.

Pergit deinde auctor Apologiæ pag. 22. ac dicit : Pontificem injuste in suo brevi prohibuisse subditis regiæ majestatis, quo minus de obedientia sua erga ipsum profiteantur, sed ubi hæc prohibitio in brevi Pontificio habeatur, non dicit, neque dicere potest : cum nulla talis prohibitio usquam in ipso brevi legatur : proinde hoc inter falsa, quibus Apologia plenissima est, referatur : subjicit continuo, et ad verbum refert verba illa Brevis : Perspicuum esse debet omnibus Catholicis, quod hujusmodi juramentum, salva fide Catholica, et salute animarum suarum præstari non possit, cum multa contineat, quæ saluti et fidei aperte adversantur. His paucis recitatis, ait : « Hoc vetus dictum quadrat, quod de Philosopho circumfertur (*b*), Multa dicit, sed pauca probat : immo vero nihil omnino probat. » At jam supra respondi, in brevi Pontificio, non theologicam disputationem, sed paternam ac brevem admonitionem contineri, ubi nihil necesse sit probationes adjungi, sed bene habet quod hæreticus de Vicario Christi dicit, quod de ipso Christo paganum dixisse constat. Certe (*c*) Galenus in lib. III. de differentiis pulsuum cap. 4. scripsit, Christum multa dixisse, sed nihil demonstrasse, quod idem de eodem Domino et Salvatore nostro Averroem dicere solitum ferunt : ac ne ipse eodem vitio laborare videatur, ut multa dicat, et nihil probet, supra scripta verba brevis Apostolici, hac insolubili argumentatione confutat. « Nam, inquit, quo-

(a) Quid sub Elisabetha sunt passi Catholici, et quæ sub Jacobo. — (b) Dictumimpium Galeni et Averrois de Christo. — (c) Apologiæ auctor loquitur de Pont. Max. sicut olim Ethnici de Christo.

modo professio fidelitatis erga Principem in subditis, possit e regione religioni, et saluti animarum adversari, tam longe excedit meam theologiam, quantulacumque illa sit, ut prorsus novam, et exoticam plane assertionem esse, non possim quin existimem : nec ex ejus ore proferendam, qui se universalem Episcopum, et Christianarum animarum œcumenicum Pastorem satis insulse venditat. » Hæc ille. Cujus convicia, et sermonis barbariem sciens prætereo. Illud affirmo, auctorem Apologiæ sibi fingere propositiones, quas oppugnet ; et ex iis, quasi in ipso brevi aperte continerentur, argumenta conficere : proinde argumentationem ejus, non theologiæ, sed dialecticæ terminos omnes ac leges excedere (*a*). Assumit enim brevi pontificio prohiberi professionem fidelitatis erga principes, quasi ea cum Religione et animarum salute pugnaret. At nihil ejusmodi habetur in Apostolico brevi ; quid autem sit in regio juramento, quod cum Religione, et salute animarum pugnet, et propter quod ab ejusmodi juramento abstinendum esse summus Pontifex censeat, et moneat, a nobis est paulo ante demonstratum. Ostendimus enim, eo juramento negari potestatem Apostolicam, tum alligandi, tum absolvendi ; ac per hoc, negari fidem Catholicam, sine qua salus æterna obtineri non potest, et per hujusmodi juramentum, non tam jurari fidelitatem ad regem, quam abjurari fidelitatem ad Christi Vicarium.

Quocirca testimonia Scripturæ divinæ quæ Apologiæ auctor statim adjungit, non probant falsum esse quod Pontifex scripsit, sed quod ipse sibi Apologiæ auctor finxit. Scriptum, inquit, est Josue I., quemadmodum Moysi obedivimus in omnibus, ita et tibi obediemus. Sic Propheta Hieremias cap. XXVII. hortatus est populum, ut inculcarent regi Babel, dicens : Submittite colla vestra subter jugum regis Babylonis, eique et populo ejus servite. Similiter Israelitæ se gesserunt apud Pharaonem, cui etiam supplicarunt Exod. V. Ut veniam daret libere discedendi. Similiter apud Cyrum Esdr. I. a quo impetrarunt veniam reditus, ædificandi templi gratia. Denique Apostolus ad Rom. XIII. Omnes mortales hortatus est, ut subjecti essent propter conscientiam.

Ad hæc omnia testimonia brevissime respondemus (*b*). His testimoniis probari obedientiam ad principes etiam paganos, quando ea non est contraria obedientiæ ad Deum ; quod nos libentissime confitemur, sed non probari obediendum esse regibus etiam Christianis, quando jubent fieri quod non licet Christianis, quam responsionem rejicere non potest auctor Apologiæ qui pag. 24. allegat sanctum Augustinum tract. in Psal. CXXV. ita dicentem : « Milites Christiani serviebant Imperatori infideli ; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cœlis erat : quando valebat ut idola colerent, ut thuribularent ; præponebant illi Deum. » Sic igitur et nos Catholicos Anglos admonemus, ut regi terreno serviant, atque obediant, dum non jubet quæ displiceant Regi cœlesti. Displicet autem regi cœlesti, ut potestas Vicarii sui, quem reliquit in terris, et quem constituit super familiam suam, vel penitus abnegetur, vel in alium transferatur.

Pergit deinde pag. 24 et 25 (*c*). et profert testimonium Augustini, Tertulliani, Justini, Ambrosii, Optati, et Gregorii, quibus probatur, quod nos minime negamus deberi principibus etiam infidelibus obedientiam a subditis fidelibus, sed verba S. Gregorii ex libro Epistolarum, epist. 61. præcipue notanda et observanda, et cum brevi Pauli V. Pontificis comparanda censuit ; quod videlicet Gregorius Mauritio Imperatori subjectum se fatebatur, eique obediebat : Paulus autem subditos regis, ne civilem quidem, et licitam obedientiam, principi suo exhibere permittit. Sed quod attinet ad S. Gregorium, ipse idem in Commentario Psal. CI. testatur (*d*) Mauritium tyrannum potius, quam imperatorem fuisse, quales antea fuerant Diocletianus, et Nero, quibus, vellent nollent, ipsi etiam summi Pontifices subjecti esse cogebantur. Quod autem Paulus V. a civili obedientia subditos regis averterit, in brevi ejus ad verbum, in hoc ipso libro exposito, nusquam legitur, summa enim totius brevis est, ut Christiani Catholici potestatem Christi Vicarii, fidemque Catholicam non adjurent ; quæ certe adjuratio, neque civilis, neque licita est.

Transit Auctor Apologiæ pag. 26. et 27.

(*a*) *Adversarius fingit quod oppugnet.* — (*b*) *Scripturæ testimonia non spiritualem sed civilem obedientiam erga regem docent.* — (*c*) *Idem sancti Patres affirmant.* — (*d*) *Quomodo Pontifices paruerint quibusdam tyrannis.*

a Patribus (*a*) ad concilia : neque contentus est demonstrare civilem obedientiam regibus a subditis deberi : sed addit, tota etiam Episcoporum concilia regibus fuisse subjecta. Ac primo loco adducit Concilium Arelatense, Caroli Magni temporibus celebratum, cujus hæc sunt verba in ultimo canone : « Hæc igitur Domino imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur, si quid secus quam ratio habeat, ejus judicio emendetur, si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio, divina opitulante clementia, perficiatur. » Respondeo (*b*) Episcopos, concilii Arelatensis, Carolo ipso petente, non solum de negotiis Ecclesiasticis, sed etiam de politicis in eo conventu egisse : permulta in communi quoque de clericis, et laicis statuisse, quæ sine imperatoris providentia executioni mandari non poterant. Exstant in eo concilio canones quartus et quintus, quibus abusus laicorum reformantur, qui acceptis muneribus, presbyteros in parochiis constitutos amovere, et eorum loco alios introducere tentabant. Exstant Canones, duodecimus, et decimus tertius, de pace inter episcopos, et comites, et ut comites et judices obedientes sint Episcopo, et invicem consentiant ad justitias faciendas, et munera pro judicio non accipiant. Exstat canon quintus decimus, ut pondera, et mensuræ ubique æqualia sint. Item canon vigesimus tertius, ne comites, vel vicarii, seu judices, vel centenarii, sub mala occasione, vel ingenio, res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet argumento surripiant : sed si cui aliquid possessionum emendum, aut vendendum sit, id in publico coram comite, et judicibus, et nobilibus civitatis facere debebit. De his igitur et similibus Patres loquuntur, cum imperatorem rogant, ut si quid minus est in his decretis, ejus prudentia suppleatur ; si quid secus quam ratio habeat, ejus judicio emendetur ; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio perficiatur.

Addit deinde auctor Apologiæ, concilia quoque Francofordiense, Arelatense, Turonense, Cabilonense, Moguntinum, ac Rhemense, penitus sese Carolo tradidisse : Generalia vero Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, et Chalcedonense imperatoris pietati et providentiæ sese in omnibus submisisse. Piguit vero illum non solum, conciliorum verba referre, sed etiam loca notare. Neque ex tot conciliis aliud in specie allegavit, nisi ex Epistola concilii Ephesini ad Augustos pauca quædam verba, quibus Episcopi se ab imperatore convocatos testantur, et ab eo petunt, ut quæ gesta sunt contra Nestorium, robur suum habeant.

Ad quæ nos brevissime respondemus. (*c*) Concilio Episcoporum, jussu quidem interdum imperatorum congregata fuisse, sed in executionem mandati summi Pontificis, ad quem proprie generalium conciliorum convocatio pertinet, ut perspicuum est in epistola concilii Constantinopolitani ad Pontificem Damasum, in qua dicunt se Constantinopoli convenisse, ex mandato litterarum ipsius, anno superiore ad imperatorem Theodosium datarum, sed de hac re inferius dicemus. Illud etiam fatemur (*d*) Concilia sæpe ab imperatoribus petiisse, ut decreta sua protegerent, et executioni mandari auctoritate sua curarent. Falsum autem esse, quod Auctor Apologiæ hoc loco scribit, concilia se penitus, et in omnibus submisisse imperatorum pietati, atque prudentiæ ; (*e*) quasi præcipuæ partes et summa potestas in rebus Ecclesiasticis penes principem terrenum esset : evidenter ostendemus ex apertissimis testimoniis Episcoporum sanctorum, et regum, sive principum sæculi.

Sanctus Athanasius Patriarcha Alexandrinus, in Epistola ad solitariam vitam agentes : « Quando, ait, a condito ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ suam auctoritatem ab imperatore accepit ? aut quando hoc pro judicio agnitum est ? » Hosius Corduhæ Episcopus, referente Athanasio in eadem Epistola : « Ne præcipe, inquit, nobis imperator in hoc genere, sed ea potius a nobis disce : tibi enim Deus imperium commisit, nobis autem ea, quæ sunt Ecclesiæ concredidit. » S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus in epist. 33. ad sororem, scribit se Valentiniano imperatori dixisse : « Noli te gravare, imperator, ut putes te in iis quæ Domini sunt, aliquod imperiale jus habere : pu-

(*a*) *An concilia subsint imperatoribus, et regibus.* — (*b*) *Qua in re Patres concilii Arelat. Imperatoris auctoritate indiguerint.* — (*c*) *Concilia generalia jussu Impp. aliquando coacta sunt : id mandante summo Pontifice.* — (*d*) *Concilia aliquando protectionem et executionem decretorum petierunt ab Impp.* — (*e*) *Judicium de rebus Religionis ad sæculares Principes non pertinere ostenditur ex SS. Episcopis.*

blicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. » Idem etiam in oratione de tradendis Basilicis, multis docet, imperatorem in Ecclesia esse, et non super Ecclesiam : et judicia Ecclesiastica non ad imperatores, sed ad Episcopos pertinere. Sanctus Martinus Turonensis Episcopus maximo imperatori in faciem dixit, novum esse, et inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ Judex sæculi judicaret, testis est Sulpitius lib. II. sacræ historiæ. Sanctus Augustinus Episcopus Hipponensis, in epist. 46, 50 et 165. docet quidem piorum regum esse Ecclesiam defendere, severique legibus, ac pœnis hæreticos ab Ecclesia damnatos coercere. Sed ibidem Donatistas graviter reprehendit, quod causam Ecclesiasticam ad regem terrenum judicandam, non ad Episcopos detulissent. Sanctus Gelasius Romanus Pontifex, in epistola ad Anastasium imperatorem : « Nosti, inquit, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum ; tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis » : et paulo post : « Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. » Sanctus Gregorius Papa lib. v. epist. 21. « Scimus, inquit, piissimos dominos disciplinam diligere, ordinem servare, Canones venerari, et se sacerdotalibus negotiis non miscere. »

Venio nunc ad principes sæculi. (a) Constantinus Magnus, cum Donatistæ non contenti Episcopali judicio, ad ipsum causam Ecclesiæ detulissent, ita exclamasse fertur : « O rabida furoris audicia ; sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. » Refert hæc verba Constantini Optatus Milevitanus lib. I. contra Parmenianum. De eodem ita scribit S. Augustinus in epist. 165. Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare. Valentinianus senior imperator, referente Sozomeno lib. VI. hist. cap. VII : « Mihi, inquit, qui sum in sorte plebis, fas non est talia negotia, » videlicet Ecclesiastica, « perscrutari. Sacerdotes, quorum ista curæ sunt, inter se ipsos, quocumque voluerint loco conveniant. » Theodosius Junior imperator in epist. ad Synodum Ephesinam : « Illicitum, inquit, est, illum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus. » Basilius imperator oratione habita in octava Synodo : « Hæc, inquit, investigare, et quærere, Patriarcharum, Episcoporum et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi, qui ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claves ; non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egèmus. » Carolus Magnus leges quidem aliquas juri communi addidit ; sed in eis reverentiam, et subjectionem ad Sedem Apostolicam Romanam plane admirabilem, his verbis testatus est : « Licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, et pia devotione toleremus. » Refert hanc sententiam, ex concilio Caroli Magnis, Gratianus distinct. 19. can. 3. et eamdem sententiam a Carolo acceptam, suam quoque fecerunt Episcopi concilii Tiburiensis cap. 30. Addimus ultimo testimonium regis Theodorici, qui, quamvis hæreticus Arianus esset, non tamen sibi primatum in conciliis assumebat : sic enim legimus in synodo quarta, sub Symmacho Pontifice Romano : « Ad hæc serenissimus rex taliter, Deo aspirante, respondit, in Synodi esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, neque aliquid ad se, præter reverentiam, de Ecclesiasticis negotiis pertinere. » Habemus igitur ex testimonio principum, tum Ecclesiæ tum sæculi, longissime a vero aberrare, qui regi terreno primatum in rebus spiritualibus, et Ecclesiasticis tribuunt.

Pergit deinde auctor Apologiæ pag. 27. atque ait : « Quin etiam Christum dixisse lego, regnum suum non esse de hoc mundo, jusisseque ut quæ sunt Cæsaris Cæsari tribuamus, et quæ Dei, Deo. » Quæ verba ut vera, et divina sunt, ita applicationem ineptam, et ad rem nihil facientem, quivis facile judicare poterit. (b) Regnum quidem Christi non fuit ex hoc mundo ; sed tamen in hoc mundo fuit, et est : ac per hoc Vicario Christi regis in terris obedientia debetur ab omnibus, qui partem in regno Christi habere volunt, et quemadmodum nos reddenda Cæsari, quæ Cæsaris sunt, non negamus, id est, tributa, honorem, et obedientiam in rebus, et negotiis sæculi ; sic etiam optamus, ut quæ Dei sunt, Deo reddantur : inter quæ primo loco ponenda est fidei Catholicæ integra inviolataque professio, et ad Christi Vicarium fidelis, et pura obedientia. Quod autem auctor

(a) *Idem ostenditur testimonio Principum sæcularium.* — (b) *Regnum Christi non fuit ex hoc mundo, tamen in hoc mundo fuit, et est.*

Apologiæ subjungit, secundum theologiam non repugnare fidei, et animarum saluti, si civilis obedientia, civili Magistratui deferatur, verum est : sed falsum omnino est quod sequitur, in brevi Apostolico contrarium contineri. Debuisset omnino iste auctor, qui toties hoc repetit, vel uno in loco annotare verba illa Brevis, ubi dicatur, civilem obedientiam civili Magistratui exhibere, rem esse fidei Catholicæ, salutique contrariam, sed neque annotavit, neque annotare potuit, nisi verba brevis corrumpere, et sua verba pro verbis brevis substituere voluisset.

Denique pag. 28 post nugas, et convicia, quæ libenter omittimus, ut quæ gravi theologo, qualem se auctor Apologiæ jactat, indignissima sunt, concludit hoc dilemmate : (a) « Aut licet principi obtemperare in temporalibus, aut non : si licet, quod nemini dubium esse potest, cur tam iniquus est, et crudelis in Catholicos suos, ut imperet iis, ne legitimo regis sui mandato obtemperent ? si non licet, cur rationem non reddit, causam non exprimit, unde id prohibet ? » Sed facilis est responsio. Admitto enim licere subditis principi suo obtemperare in temporalibus, modo quæ princeps jubet, non sint contraria Deo, qui est rex magnus super omnes principes : sed nego Pontificem summum, tam fuisse iniquum, et crudelem in Catholicos, ut eis imperaret, ne legitimo regis sui mandato obtemperarent : (b) neque enim Juramentum propositum suscipere, legitimum mandatum, dici ullo colore potest, cum eo juramento cogantur Catholici fidem Catholicam abnegare, ut supra demonstratum est. Ex quo etiam manifeste refellitur, quod auctor subjungit de exhortatione ad Martyrium subeundum. Contendit enim auctor pag. 29. exhortationem illam solido fundamento carere, cum possit Catholicus, et Religionem Romanam ardenter profiteri, quod Papa jubet, et simul civilem obedientiam principi suo præstare, quod rex jubet. Jam enim non semel demonstravimus regem civili obedientia non esse contentum ; sed id præcipue in votis habere, ut a Catholica fide Catholicos avertat, et ex Catholicis hæreticos faciat : Nam juramentum, quod fidelitatis appellat, præparatio et dispositio est ad juramentum de primatu regis in spiritualibus. Et ea forte causa est, cur archipresbyterum e carcere non dimittat, quamvis primum juramentum præstiterit, quia sperat eumdem ad alterum juramentum tædio carceris, et ærumnarum, se posse perducere : quod juramentum non tecte et obscure, sed aperte et manifeste novam hæresim de primatu regio, in rebus etiam sacris, et spiritualibus continet.

Postremo, Apologiæ auctor pag. 30 et 31. fingit Pontificem Maximum ex falsis rumoribus de nimia regis severitate in Catholicos, permotum fuisse ad hoc breve tam temere conscribendum, quod idem dicit accidisse Pio V, quando sententiam excommunicationis in reginam Elisabetham tulit : et Clementi VIII quando paulo ante obitum Elizabethæ duo brevia in Angliam misit, quibus tum regem præsentem, tum aliam quemcumque a regno exclusit, qui Religionem Catholicam non profiteretur, quæ duo Brevia contraria esse dicit fidei sæpius datæ, et variis protestationibus, quibus operam suam obtulit, omniaque officia pollicitus est, quæ conducere possint ad hunc ipsum regem in solio collocandum. (c) Itaque auctor hujus Apologiæ paucis verbis tres summos Pontifices Paulum V et Pium V levitatis et temeritatis, Clementem VIII non solum temeritatis, sed etiam perfidiæ reprehendit. At ipsa rei veritas simpliciter exposita, nullo nostro labore addito, et sine ulla arte rhetorica, auctorem Apologiæ falsitatis vanitatisque convincet. Paulus enim V non ex incertis rumoribus adductus est ad breve scribendum, sed ex notissima, et gravissima persecutione, quam edicta publicata testantur, et ex ipsa juramenti formula ad nos transmissa. Itaque non erat opus, ut auctor luderet in nomine Babylonis, et septicollis Urbis, ad quam undique rumores, et nuncii deferuntur ; neque, ut probaret ex Patrum testimoniis, de Roma intelligi, quæ sanctus Petrus de Babylone scripsit in priore epist. cap. v. (d) Fatemur enim Romam non solum in epistola sancti Petri, sed etiam in Apocalypsi sancti Joannis per Babylonem significari ; sed Romam Ethnicam, non Romam Christianam, et illam, quæ ebria erat de sanguine Martyrum Jesu : non illam, quæ Jesum Filium Dei, et Martyres ejus honorat. Denique illam, quæ habebat in fronte inscriptam blasphemiam ; non illam, quæ,

(a) *Insulsum dilemma Apologiæ.* — (b) *Jurament. Angliæ abnegationem continet fidei Catholicæ.* — (c) *Refelluntur variæ calumniæ.* — (d) *Roma Ethnica, non Christiana, dicta est Babylon in sacris litteris.*

ut scribit sanctus Hieronymus lib. II. in Jovinianum, scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione delevit. Pius etiam V non vanis quorumdam delationibus temere abreptus est ad excommunicandam Reginam, sed ex notis et publicis ejus criminibus : ac præsertim quod instar Apostatæ Juliani, ex ficta Catholica, manifesta hæretica, et jurata Catholicorum hostis evaserit. Denique (*a*) Clemens VIII duo brevia anno 1600 tribus annis ante obitum reginæ ad Catholicos misit, unum ad Clerum, alterum ad populum : quibus brevibus non, ut iste mentitur, Jacobum tunc Scotiæ regem a solio exclusit, sed consilium dedit, quale dare decebat summum Pontificem, videlicet, ut Catholici operam darent, quantum in ipsis est, ut rex ad Religionem Catholicam bene affectus eligeretur. Habemus enim exemplaria brevium illorum in manibus, et iis diligenter inspectis, nusquam invenimus nomen Jacobi regis, aut alterius particularis personæ ; sed solum generatim, ut diximus, cohortationem ad regem orthodoxum, et pium constituendum. (*b*) Quibus verbis non solum Jacobus Scotiæ rex non excludebatur, sed includebatur potius : quoniam ministri ejus maximam spem fecerant, eum non abhorrere a fide Catholica suscipienda ; præsertim cum rex ipse ad Pontificem ipsum, necnon ad Cardinales Aldobrandinum, et Bellarminum litteras scripsisset plenas humanitatis, quibus prætre cætera petebat, ut aliquis e gente Scotorum Cardinalis S. R. E. crearetur, ut haberet Romæ, per quem facilius et tutius cum Pontifice negotia sua tractaret. Quare Pontifex non perfidiæ accusari, sed spe sua frustratus dici merito potuit. Ad extremum addit auctor Apologiæ, non defuisse in Anglia, qui breve hoc, fictitium et in odium Papæ compositum, et disseminatum fuisse suspicarentur ; « Quod viderent illud tam longe ab omni theologiæ ratione prudentia, politica, sensu denique communi abhorrere perspicerent, sed Pontificem maluisse altero brevi fidem priovis confirmare, ut culpam suam sciens prudensque geminaret. Nos vero non ignoramus fuisse in Anglia, qui primum illud breve conflctum existimaverint. Sed id non accidit ex eo, quod a theologia, vel prudentia abhorrere videretur , sed ex eo, quod nonnulli cuperent hac fraude Catholicis imponere, atque efficere, ut jramentum propositum suscipere, non dubitarent. (*b*) Qua fraude comperta, summus Pontifex alio brevi, fidem priori facere voluit, ne pharmacum spirituale per hanc Dæmonis artem, inutile redderetur, quo factô, non culpam geminavit, sed fraudem detexit, tenebras dissipavit, et veritati, ac sinceritati aditum patefecit.

SECUNDUM BREVE.

Dilecti filii salutem, et Apostolicam benedictionem. Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui, cum satis declaraverimus per literas nostras anno superiore 10. Kalend. Octobr. in forma Brevis datas, vos tuta conscientia præstare non posse juramentum, quod a vobis tunc exigebatur ; et præterea stricte præceperimus, ne ullo modo illud præstaretis : nunc dicere audent hujusmodi litteras de prohibitione juramenti, non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse, sed potius aliorum intuitu, atque industria, eaque de causa iidem persuadere nituntar, mandata nostra dictis litteris non esse attendenda. Perturbavit sane nos hic nuncius, eoque magis, quia experti obedientiam vestram, filii nostri unice dilecti, qui, ut huic sanctæ Sedi obediretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipsam, pie ac generose nihili fecistis ; numquam suspicati essemus, potuisse vocari apud vos in dubium, fidem litterarum nostrarum Apostolicarum, ut hoc prætextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verum agnoscimus versutiem atque fraudem adversarii humanæ salutis, eique potius, quam vestræ voluntati tribuimus hanc renitentiam. Eapropter iterum ad vos scribere decrevimus, ac denuo vobis significare, litteras nostras Apostolicas, anno præterito 10. Kalend. Octobr. datas de prohibitione juramenti, non solum motu proprio, et ex certa nostra scientia, verum etiam post longam, et gravem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur adhibitam, fuisse scriptas, et ob id teneri vos, illas omnino observare, omni interpretatione secus duadente rejecta. Hæc autem est mera, pura, integraque voluntas nostra, qui de vestra salute solliciti, semper cogitamus ea, quæ magis vobis expediunt, et ut cogitationes, et consilia nostra illuminet is, a quo Christiano gregi custodiendo nostra fuit præposita humilitas, indesinenter oramus, quem etiam jugiter precamur, ut in vobis filiis nostris summopere dilectis, fidem, constantiam, mutuamque inter vos charitatem, et pacem augeat. Quibus omnibus cum omni charitatis affectu, peramanter benedicimus. Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo piscatoris 10. Kalend. Octobr. M. DC. VII. Pontificatu nostri anno tertio.

(*a*) *Jacobus rex significavit se non abhorrere a fide Catholica.* — (*b*) *Cur Paul. V. secundum breve ad Anglos scripserit.*]

Hactenus respondimus ad ea, quæ adversus primum Breve auctor Apologiæ scribenda esse putavit. Nunc, ut ipse a secundo Brevi una fere pagella se expedivit ; sic et nos ejus cavillationes pari brevitate rejiciemus. Quoniam igitur summus Pontifex versutiæ diaboli tribuit falsos illos rumores de confecto Brevi : sic ipse auctor Apologiæ versutiæ ejusdem diaboli tribuit hoc secundum Breve. Scribit enim, diabolum non potuisse tantum nocere Catholicis, aliqua alia fraude, etiam si mille annos in hoc opus incubuisset, quam fecit hoc uno Brevi ; et rationem reddit, quoniam oportebit eos qui juramentum susceperunt, nunc illud abjurare ; quod majus est malum, quam si antea non jurassent, antea siquidem si jurare noluissent, excusari poterant ob scrupulos aliquos mentis, ex particulis juramenti obortos : at nunc nullam habent excusationem, si abjurent fidelitatem quam regi suo bis jurarunt : semel, cum primum nati sunt, tacito quodam, et congenito juramento ; deinde cum verbis conceptis primum illud juramentum confirmarunt.

Ad hæc respondemus, non esse malum abjurare, quod male juratum est. Sic enim habet regula ab omnibus approbata : (*b*) In male promissis rescinde fidem : sed dicet adversarius, non potest esse malum juramentum, quod est naturale, et congenitum ab ipso ortu, vel hujus naturalis, et congeniti confirmatio et expressio. Respondeo, juramentum quod dicitur congenitum, si quod est, non esse aliud, nisi simplicem obligationem ad obediendum superiori, sub quo quis nascitur, in rebus licitis atque honestis. Neque intelligi vel etiam fingi potest, quomodo in ipso ortu homo naturaliter obligetur ad negandam summi Pontificis potestatem : proinde juramentum secundum, quod hanc abnegationem continet, non potest recte dici confirmatio, vel expressio juramenti prioris. Præterea, quemadmodum in ortu naturali videtur posse intelligi juramentum tacitum, et congenitum ad obediendum principi politico : sic etiam in ortu supernaturali, quem habemus ex baptismo, intelligi debet juramentum tacitum, et congenitum ad obediendum principi spirituali, qui est Christi Vicarius : ac per hoc non licet ullo modo postea juramentum suscipere, quo abjurari videatur juramentum præstitum in baptismo. Ac de his hactenus.

(*a*) *Iniqua Juramenta non obligare.*

ut scribit sanctus Hieronymus lib. II. in Jovinianum, scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione delevit. Pius etiam V non vanis quorumdam delationibus temere abreptus est ad excommunicandam Reginam, sed ex notis et publicis ejus criminibus : ac præsertim quod instar Apostatæ Juliani, ex ficta Catholica, manifesta hæretica, et jurata Catholicorum hostis evaserit. Denique (*a*) Clemens VIII duo brevia anno 1600 tribus annis ante obitum reginæ ad Catholicos misit, unum ad Clerum, alterum ad populum : quibus brevibus non, ut iste mentitur, Jacobum tunc Scotiæ regem a solio exclusit, sed consilium dedit, quale dare decebat summum Pontificem, videlicet, ut Catholici operam darent, quantum in ipsis est, ut rex ad Religionem Catholicam bene affectus eligeretur. Habemus enim exemplaria brevium illorum in manibus, et iis diligenter inspectis, nusquam invenimus nomen Jacobi regis, aut alterius particularis personæ ; sed solum generatim, ut diximus, cohortationem ad regem orthodoxum, et pium constituendum. (*b*) Quibus verbis non solum Jacobus Scotiæ rex non excludebatur, sed includebatur potius : quoniam ministri ejus maximam spem fecerant, eum non abhorrere a fide Catholica suscipienda ; præsertim cum rex ipse ad Pontificem ipsum, necnon ad Cardinales Aldobrandinum, et Bellarminum litteras scripsisset plenas humanitatis, quibus prætre cætera petebat, ut aliquis e gente Scotorum Cardinalis S. R. E. crearetur, ut haberet Romæ, per quem facilius et tutius cum Pontifice negotia sua tractaret. Quare Pontifex non perfidiæ accusari, sed spe sua frustratus dici merito potuit. Ad extremum addit auctor Apologiæ, non defuisse in Anglia, qui breve hoc, fictitium et in odium Papæ compositum, et disseminatum fuisse suspicarentur ; « Quod viderent illud tam longe ab omni theologiæ ratione prudentia, politica, sensu denique communi abhorrere perspicerent, sed Pontificem maluisse altero brevi fidem priovis confirmare, ut culpam suam sciens prudensque geminaret. Nos vero non ignoramus fuisse in Anglia, qui primum illud breve conflctum existimaverint. Sed id non accidit ex eo, quod a theologia, vel prudentia abhorrere videretur , sed ex eo, quod nonnulli cuperent hac fraude Catholicis imponere, atque efficere, ut jramentum propositum suscipere, non dubitarent. (*b*) Qua fraude comperta, summus Pontifex alio brevi, fidem priori facere voluit, ne pharmacum spirituale per hanc Dæmonis artem, inutile redderetur, quo factô, non culpam geminavit, sed fraudem detexit, tenebras dissipavit, et veritati, ac sinceritati aditum patefecit.

SECUNDUM BREVE.

Dilecti filii salutem, et Apostolicam benedictionem. Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui, cum satis declaraverimus per literas nostras anno superiore 10. Kalend. Octobr. in forma Brevis datas, vos tuta conscientia præstare non posse juramentum, quod a vobis tunc exigebatur ; et præterea stricte præceperimus, ne ullo modo illud præstaretis : nunc dicere audent hujusmodi litteras de prohibitione juramenti, non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse, sed potius aliorum intuitu, atque industria, eaque de causa iidem persuadere nituntar, mandata nostra dictis litteris non esse attendenda. Perturbavit sane nos hic nuncius, eoque magis, quia experti obedientiam vestram, filii nostri unice dilecti, qui, ut huic sanctæ Sedi obediretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipsam, pie ac generose nihili fecistis ; numquam suspicati essemus, potuisse vocari apud vos in dubium, fidem litterarum nostrarum Apostolicarum, ut hoc prætextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verum agnoscimus versutiem atque fraudem adversarii humanæ salutis, eique potius, quam vestræ voluntati tribuimus hanc renitentiam. Eapropter iterum ad vos scribere decrevimus, ac denuo vobis significare, litteras nostras Apostolicas, anno præterito 10. Kalend. Octobr. datas de prohibitione juramenti, non solum motu proprio, et ex certa nostra scientia, verum etiam post longam, et gravem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur adhibitam, fuisse scriptas, et ob id teneri vos, illas omnino observare, omni interpretatione secus duadente rejecta. Hæc autem est mera, pura, integraque voluntas nostra, qui de vestra salute solliciti, semper cogitamus ea, quæ magis vobis expediunt, et ut cogitationes, et consilia nostra illuminet is, a quo Christiano gregi custodiendo nostra fuit præposita humilitas, indesinenter oramus, quem etiam jugiter precamur, ut in vobis filiis nostris summopere dilectis, fidem, constantiam, mutuamque inter vos charitatem, et pacem augeat. Quibus omnibus cum omni charitatis affectu, peramanter benedicimus. Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo piscatoris 10. Kalend. Octobr. M. DC. VII. Pontificatu nostri anno tertio.

(*a*) *Jacobus rex significavit se non abhorrere a fide Catholica.* — (*b*) *Cur Paul. V. secundum breve ad Anglos scripserit.*]

Hactenus respondimus ad ea, quæ adversus primum Breve auctor Apologiæ scribenda esse putavit. Nunc, ut ipse a secundo Brevi una fere pagella se expedivit ; sic et nos ejus cavillationes pari brevitate rejiciemus. Quoniam igitur summus Pontifex versutiæ diaboli tribuit falsos illos rumores de confecto Brevi : sic ipse auctor Apologiæ versutiæ ejusdem diaboli tribuit hoc secundum Breve. Scribit enim, diabolum non potuisse tantum nocere Catholicis, aliqua alia fraude, etiam si mille annos in hoc opus incubuisset, quam fecit hoc uno Brevi ; et rationem reddit, quoniam oportebit eos qui juramentum susceperunt, nunc illud abjurare ; quod majus est malum, quam si antea non jurassent, antea siquidem si jurare noluissent, excusari poterant ob scrupulos aliquos mentis, ex particulis juramenti obortos : at nunc nullam habent excusationem, si abjurent fidelitatem quam regi suo bis jurarunt : semel, cum primum nati sunt, tacito quodam, et congenito juramento ; deinde cum verbis conceptis primum illud juramentum confirmarunt.

Ad hæc respondemus, non esse malum abjurare, quod male juratum est. Sic enim habet regula ab omnibus approbata : (*b*) In male promissis rescinde fidem : sed dicet adversarius, non potest esse malum juramentum, quod est naturale, et congenitum ab ipso ortu, vel hujus naturalis, et congeniti confirmatio et expressio. Respondeo, juramentum quod dicitur congenitum, si quod est, non esse aliud, nisi simplicem obligationem ad obediendum superiori, sub quo quis nascitur, in rebus licitis atque honestis. Neque intelligi vel etiam fingi potest, quomodo in ipso ortu homo naturaliter obligetur ad negandam summi Pontificis potestatem : proinde juramentum secundum, quod hanc abnegationem continet, non potest recte dici confirmatio, vel expressio juramenti prioris. Præterea, quemadmodum in ortu naturali videtur posse intelligi juramentum tacitum, et congenitum ad obediendum principi politico : sic etiam in ortu supernaturali, quem habemus ex baptismo, intelligi debet juramentum tacitum, et congenitum ad obediendum principi spirituali, qui est Christi Vicarius : ac per hoc non licet ullo modo postea juramentum suscipere, quo abjurari videatur juramentum præstitum in baptismo. Ac de his hactenus.

(*a*) *Iniqua Juramenta non obligare.*

EPISTOLA CARDINALIS BELLARMINI AD ARCHIPRESBYTERUM ANGLIÆ.

(a) Venerabilis in Christo domine Frater. Anni sunt fere quadraginta, quod invicem non viderimus. Sed ego tamen veteris nostræ consuetudinis numquam oblitus sum; teque in vinea Domini strenue laborantem, quando aliter non potui, orationibus Deo commendare non destiti : me quoque in tua memoria toto hoc tempore vixisse, et in tuis orationibus ad altare Domini locum aliquem habuisse non dubito. Ita igitur ad hoc usque tempus, non verbis aut litteris, sed opere et veritate, ut sanctus Joannes loquitur, alter in alterius dilectione permansimus, sed hoc silentium rumpere coegit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis et carcere ad nos venit; qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat, ob jacturam pastoralis tuæ sollicitudinis, quam Ecclesia ista fecit, tamen lætus quoque videbatur, quoniam ad Martyrii gloriam, quo dono Dei nullum est felicius, propinquabas : ut qui tot annis gregem tuum verbis et doctrina pavisses, nunc exemplo patientiæ gloriosius pasceres. Verum hanc lætitiam non mediocriter interturbavit, ac fere corrupit tristis alius nuncius, qui de constantia tua in recusando illicito juramento, ab adversariis tentata, forte etiam labefactata, et prostrata successit. Neque enim, frater charissime, juramentum illud ideo licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum, et modificatum offerebatur. Scis enim hujusmodi modificationes nihil esse aliud, quam Satanæ dolos atque versutias, ut fides Catholica de primatu Sedis Apostolicæ, vel aperte vel obscure petatur : pro qua fide tot inclyti Martyres in ista ipsa Anglia ad sanguinem usque pugnarunt. Certe enim quibuscumque verbis juramentum ab adversariis fidei concipiatur in regno isto, eo tendit, ut auctoritas capitis Ecclesiæ a successore sancti Petri, ad successorem Henrici VIII. in Anglia transferatur. Quod enim obtenditur de periculo vitæ regis, si summus Pontifex eam in Anglia potestatem habeat, quam in omnibus aliis Christianis regnis habet, inane prorsus esse, omnes qui sunt aliqua prudentia præditi, facile vident. Neque enim auditum est unquam ab initio nascentis Ecclesiæ, usque ad hæc nostra tempora, quod ullus Pontifex maximus principem ullum, quamvis hæreticum, quamvis ethnicum, quamvis persecutorem, cædi mandaverit, aut cædem forte ab aliquo patratam probaverit. Et cur quæso unus rex Angliæ timet, quod ex tot Christianis Principibus nullus timet, nullus timuit? sed ut dixi, vani isti prætextus decipulæ sunt, et stratagemata Satanæ, qualia non pauca in historiis veterum temporum inveniuntur; quæ facile referre possem, si, non epistolam, sed librum integrum scribendum suscepissem. Unum tantum, exempli gratia, ad memoriam tibi revocabo. Scribit sanctus Gregorius Nazianzenus in prima oratione in Julianum imperatorem, illum, ut simplicibus Christianis imponeret, in imaginibus imperatoriis, quas Romani civili quodam

(a) *Continet exhortationem ut Archipresbyter, qui Juramentum acceperat, recipiscat.*

genere honoris, pro more adorabant, imagines Deorum falsorum admiscuisse, ut nemo posse Imperatoris imaginem adorare, quin simul Deorum simulacris cultum adhiberet : hinc nimirum fiebat, ut plurimi deciperentur : et si qui forte fraudem subodorati imperatoris imaginem venerari recusarent, ii gravissime punirentur, ut qui Cæsarem in sua imagine contempsissent. Tale aliquid in juramento vobis oblato, mihi videre videor, quod ea fraude compositum est, ut nemo possit proditionem in regem detestari, civilemque subjectionem profiteri, quin primatum Sedis Apostolicæ perfide obnegare cogatur; sed Christi servi, ac præsertim primarii Domini Sacerdotes, ubi periculum fidei subesse possit, tantum abesse debent a susceptione illiciti juramenti, ut ab omni etiam suspicione simulationis præstiti juramenti cavere debeant, ne fidelibus populis ullum prævaricationis exemplum reliquisse videantur. Quod egregie præstitit insignis ille Eleazarus, qui neque porcinas carnes comedere, neque simulare comedisse voluit, quamvis gravissima tormenta sibi cerneret imminere; ne, ut ipse ait in II. lib. Machabæorum, multi juvenum per eam simulationem, ad legis prævaricationem animarentur. Neque minus fortiter Magnus Basilius, et exemplo ad res nostras magis accommodato, cum Valente Imperatore se gessit : nam ut in historia scribit Theodoretus, cum præfectus imperatoris hæretici hortaretur S. Basilium, ut non vellet propter parvam dogmatum subtilitatem imperatori resistere : respondit vir ille sanctissimus, et prudentissimus, Non esse ferendum, ut de divinis dogmatibus, vel una syllaba corrumpatur, sed potius pro eorum defensione, omne genus supplicii amplectendum. Equidem arbitror non deesse apud vos, qui dogmatum subtilitatem esse dicant, quæ in juramento Catholicis hominibus proposito continentur, et non esse propter rem tam parvam regis imperio reluctandum. Sed non deerunt etiam viri Sancti, ac magno Basilio similes, qui palam affirmabunt, non esse de divinis dogmatibus vel minimam aliquam syllabam corrumpendam, etiamsi tormenta, et mors ipsa toleranda proponantur. Inter hos unum, vel potius horum principem, atque antesignanum te esse par est. Et quamvis, vel inopinata comprehensio, vel acerbitas persequutionis, vel senectutis imbecillitas, vel quid aliud in causa fuerit, ut constantia titubaverit; confidimus tamen de Domini pietate, et de diuturna tua virtute, fore, ut qui S. Petri, et S. Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris, eorumdem fortitudinem in reparandis viribus, et veritate asserenda feliciter imiteris. Nam si rem totam diligenter apud te cogitate volueris, videbis profecto non esse rem parvam quæ ob juramentum istud in discrimen adducitur, sed unum ex præcipuis fidei nostræ capitibus, ac Religionis Catholicæ fundamentis. Audi enim quid Apostolus vester Magnus Gregorius in epist. 2. libri XI. scribat : « Apostolicæ Sedis reverentia nullus præsumptione turbetur : tunc enim status membrorum integer perseverat, si caput fidei nulla pulsetur injuria. » Itaque S. Gregorio teste, cum de primatu Sedis Apostolicæ vel turbando, vel minuendo, vel tollendo satagitur, de ipso capite fidei amputando, ac de totius corporis, omniumque membrorum

statu dissipando satagitur. Quod idem S. Leo confirmat serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum, cum ait : « Specialis cura Petri a Domino suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. » Ex quo idem ipse in Epistola ad Episcopos Viennensis provinciæ affirmare non dubitat : « Necesse esse exortem illum mysterii esse divini, qui ausus fuerit a Petri solididate recedere : » qui rursum ait : « Quisquis huic Sedi Principatum existimat esse denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit. » Atque hæc quidem, et alia ejusdem generis multa tibi notissima esse certo scio, qui præter cæteros libros, visibilem monarchiam Sanderi tui, scriptoris diligentissimi, et de Ecclesia Anglicana optime meriti sæpe legisti : quique ignorare non potes sanctissimos viros, eosdemque doctissimos Joannem Roffensem, et Thomam Morum, pro hoc uno gravissimo dogmate duces ad Martyrium plurimis aliis, cum ingenti Anglicæ nationis gloria, nostra memoria fuisse : sed in memoriam tibi revocare volui, ut colligas te, et magnitudinem rei considerans, non tuo judicio nimium fidas, neque plus sapias, quam oportet sapere, et si forte lapsus tuus non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, ex metu carceris, et suppliciorum profectus est; non anteponas libertatem temporalem libertati gloriæ filiorum Dei : neque ob momentaneam, et levem tribulationem fugiendam, amittere velis æternam gloriæ pondus, quod ipsa tribulatio operatur in te. Bonum certamen diu certasti, cursum ferme consummasti, fidem tot annis servasti, noli igitur tantorum laborum præmia tam facile perdere : noli corona justitiæ, quæ tibi jamdudum paratur, te ipse privare : noli tot fratrum et filiorum tuorum vultus confundere : in te sunt hoc tempore conjecti oculi totius Ecclesiæ, quin etiam spectaculum factus es mundo, angelis, et hominibus : noli in extremo actu ita te gerere, ut et tuis luctum, et gaudium hostibus relinquas; sed contra potius, quod omnino speramus, et pro quo ad Deum nostrum assidue preces fundimus, vexillum fidei gloriose erigas, et quam contristaveras, lætam facias Ecclesiam : nec jam solum veniam merearis a Domino, sed Coronam. Vale, viriliter age, et confortetur cor tuum. Romæ die 28. Septembris 1607.

Responsio ad ea quæ objiciuntur contra Epistolam Cardinalis Bellarmini.

Nunc ad ea veniamus, quæ Auctori Apologiæ adversus Cardinalem Bellarminum scribere placuit, et quamvis auctor eumdem Bellarminum magnis laudibus efferat, et magnis conviciis oneret, ut implet illud S. Jacobi, Ex ipso ore benedictio, et maledictio procedit : ipse tamen, nec laudes in se agnoscit, neque conviciis multum movetur. Ideo iis prætermissis, illa solum persequemur, quæ veritati dogmatum Catholicorum, et sinceritati fidei præjudicare possunt. Igitur pag. 47. 48. et 49. scribit, Bellarminum aberrasse a statu causæ, et cum formulam juramenti fidelitatis refutare vellet : tamen totum esse in refutando juramento de Primatu regis in spiritualibus. Atque, ut sciamus quid intersit inter hæc duo juramenta, adscribit hoc loco formulam juramenti de Primatu. Nam formula juramenti fidelitatis in ipso Brevi Pontificis suprascripto continetur. Ad hoc respondemus, Bellarminum non aberrasse a statu causæ, sed hæreticorum fraudes detexisse. Vidit enim juramentum secundum proponi, quasi simplicis fidelitatis, civilisque obedientiæ juramentum esset, quo nomine in hac ipsa Apologia frequentissime appellatur, nam in hoc ipso loco, in quo nunc versamur, videlicet pag. 49. sic ait : « Novissimum hoc juramentum civilem tantummodo obedientiam attingit subditorum erga Principem, in causis mere temporalibus ». At id falsum esse, solumque ad tegendas insidias dici, juramenti formula per se clamat. Coguntur enim Catholici jurare, non solum quid subditi debeant præstare erga regem ; sed etiam quid possit, vel non possit summus Ecclesiæ Pontifex. Hæc igitur causa est, cur Bellarminus in Epistola sua dixerit, hoc juramento, quantumvis temperato, et modificato, fidem Catholicam de primatu Sedis Apostolicæ peti. Sed de hac re initio responsionis satis multa dicta sunt.

Pergit deinde auctor pag. 51. et 52. et (*a*) exponit quatuordecim propositiones, quas dicit necesse esse, ut illi concedant, qui juramentum propositum præstare recusant. Sed ex his ipsis propositionibus apertissime demonstratur, eo juramento, non civilem tantum obedientiam in rebus mere temporalibus attingi, ut paulo ante auctor Apologiæ dixit : sed attingi potestatem, et auctoritatem sacrosanctam Vicarii Christi. Nam ex quatuordecim propositionibus plurimæ sunt de potestate Papæ. Falsum autem est, eos, qui juramentum recusant, non posse non concedere has quatuordecim propositiones, quæ contrariæ sunt omnibus partibus juramenti. Nam ex communi sententia, Bonum ex integra causa constituitur, malum autem ex singulis defectibus. Quare, ut juramentum prohibeatur, vel recusetur, non est necessarium, ut omnes et singulæ partes ejus sint malæ : satis autem est si vel una sit mala. Contra autem, ut juramentum suscipiatur, oportet, ut nullo vitio maculetur, et in omnibus et singulis partibus justum, et licitum reperiatur. Potuit igitur summus Pontifex juramentum hoc damnare, et possunt, ac debent Catholici hoc idem juramentum merito recusare ; etiam si aliqua ejus sententia vera sit aut justa, neque tenentur omnes quatuordecim propositiones, ut veras, aut justas admittere.

Sed mirum est, qua fronte auctor Apologiæ subjungat : « Hæ veræ sunt partes, hæc naturalia membra hujus juramenti corporis, quibus omnibus negativis affirmativæ partes oppositæ, neque Pontificis primatum in causis spiritualibus ullatenus attingunt, neque unquam conclusæ, aut definitæ sunt in ullo concilio generali penitus exacto, ad Pontificis auctoritatem pertinere ; et ipsi denique eorum Doctores Scholastici, inexplicabili quodam litigio, de iis invicem dissident in hunc diem ». Nam, ut paulo ante monui, et ipsæ propositiones clamant ; ex quatuordecim, undecim sunt, quæ primatum Pontificis in causis spiritualibus attingunt : causa enim utique spiritualis est ; An princeps hæreticus a Pontifice excommunicari, et ; An populi Catholici propter periculum hæresis ab obedientia principis hæretici solvi possint. Neque de hac re ullæ sunt inter doctores Scholasticos controversiæ : (*b*) alioqui proferat adversarius vel unum Catholicum auctorem, qui scribat, non licere summo Pontifici regem vel Principem hæreticum excommunicare, et populum Catholicum ab ejus obedientia liberare. Porro in conciliis generalibus, non uno, sed multis conclusum, ac definitum est, summum Pontificem esse Vicarium Christi, caput Ecclesiæ, rectorem et pastorem omnium Christianorum, ex quibus manifeste sequitur, ut omnes Christianos, etiam si reges, vel *principes sint, errantes*, dirigere et corrigere possit. Vide Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 5. Lugdunense sub Gregorio X. unde exstat caput, Unde periculum de elect. in 6. Lugdunense sub Innocentio IV. unde exstat c. 1. De homicidio in 6. Viennense sub Clemente V. unde exstat Clementina prima de summa Trinit. et fid. Cathol. Constantiense sess. 8. et 15. et Lateranense sub Leone X. sess. 11. In concilio autem Lateranensi sub Innocentio III. quod fuit omnium maximum, et celeberrimum, præter locum citatum, habetur capite tertio, dominos temporales monendos esse, ut ditiones suas purgent, puniendo hæreticos ab Ecclesia damnatos, quod si facere neglexerint, excommunicentur ; et si excommunicati adhuc parere recusent, significetur id summo Pontifici, qui subditos eorum ab obedientia liberabit, et terras eorum aliis invadendas concedet. Sed adversarius notat ad marginem, Videndum esse Platinam in

(*a*) *Juramentum ab Apologiæ auctore in 14. propositiones male divisum.* — (*b*) *Papa reges hæreticos excommunicare potest, et eximere populos ab eorum obedientia.*

vita Innocentii III. quod attinet ad hoc Lateranense concilium. Siquidem Platina indicare videtur, nihil certi in hoc concilio post longas disputationes concludi potuisse. Cæterum Platina loquitur solum de recuperanda Terra promissionis, quam Saraceni occupaverant. De hoc enim articulo, cum multa inter Patres, et oratores regum disputata fuissent, nihil certi definiri potuit. Sed quoniam adversarius ad Platinam nos remisit, non erit ab re annotare, Platinam esse, qui loco ab adversario allegato refert, Joannem regem Anglorum ipsam Angliam, et Hyberniam summo Pontifici subjecisse, ac tributariam esse voluisse. Et a Pontifice Innocentio viro sancto, Othonem imperatorem excommunicatum, atque imperio justissime privatum fuisse. Pergat igitur adversarius, et similes auctores ad nos convincendos frequenter adducat.

Pergit auctor. pag. 54. 55. 56. et 57. ac docet (*a*), Juramentum a rege Jacobo propositum, nihil novi continere, sed ante mille annos fuisse in Conciliis usu receptum, et approbatum. Recitat enim hæc verba Concilii Toletani quarti, can. 74. Audi sententiam nostram : « Quicumque ex vobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet conjuratione, vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro conservatione patriæ, vel regiæ salutis pollicitus est, temeraverit, aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit; anathema sit in conspectu Dei Patris, et sanctorum Angelorum, atque ab Ecclesia Catholica, quam perjurio prophanaverit, efficiatur extraneus, et ab omni cœtu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ sociis, quia oportet, ut una pœna teneat obnoxios, quos similis error invenerit implicatos. » In eamdem sententiam allegat concilium Toletanum, quintum, sextum, et decimum ; ac denique addit concilium Aquisgranense can. 12. cujus hæc sunt verba : « Si quisquam Episcoporum, aut quilibet sequentis ordini Ecclesiasticis, qualibet suasione, a Domino, et Orthodoxo Ludovico imperatore defecerit, aut etiam Sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, ut ejus contrariis malevola intentione se copulaverit ; gradum proprium Canonica atque Synodali sententia amittat. »

Ad hæc loca nos respondemus, in his conciliis approbari juramentum fidelitatis erga principes Catholicos et orthodoxos, quod justissimum esse nemo negare potest. Nos autem reprehendimus juramentum quod a Catholicis, et orthodoxis extorquere conatur rex ab Ecclesia alienus, et qui a vera, et antiqua religione, ad novas hæreses subditos pertrahere satagit. Deinde (*a*), in duobus conciliis allegatis, non agitur de novo, et illicito juramento suscipiendo, sed de juramento justo et legitimo non violando : nos autem juramentum novum et illicitum detestamur. Præterea in juramentis, quæ in conciliis veteribus approbantur, non præscribitur, ut summo Pontifici regem propter hæresim excommunicanti, non obediatur : neque aliquid aliud additur, quod potestatem Christi Vicarii ullo modo attingat. Proinde nulla causa est, cur juramenta illa cum sanctis illis Patribus non veneremur, at juramentum de quo agimus, maxima ex parte consumitur in abnegandæ Pontificiæ potestate, eaque de causa illicitum et injustum, et nullo modo a Catholicis viris suscipi posse decernimus. Denique, si princeps aliquis Catholicus proditionem, aut rebellionem forte timeat, et ab Episcoporum concilio, vel ab ipso summo Pontifice petat, ut sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, præcipiat, ut nemo juramentum principi præstitum violare, aut adversus eumdem principem conjurare, aut hostes vel rebelles ipsius juvare præsumat ; petitionem justissimam, et omnino admittendam esse dicemus. Addo etiam, si rex ipse Jacobus intra hos limites juramentum a se propositum concludisset, ut nullam excommunicationis Pontificiæ mentionem faceret, neque potestatem ejusdem Pontificis ullo modo attingeret ; sed solum contra proditores et sicarios, aut regni sui invasores juramenti verba dirigeret : ejusmodi juramentum Sedes Apostolica non improbasset, neque prohibuisset. Quare perspicuum est, a summo Pontifice non interdici, aut reprehendi juramenta fidelitatem requirant, ut perfidiæ notam adjunctam habeant.

Pag. 58. occasione accepta ex necessitudine, quam cum Archipresbytero sibi intercessisse initio Epistolæ Bellarminus narrat ; digreditur Auctor Apologiæ ad calumnias,

(*a*) *Objectio ex conciliis pro juramento regis Angliæ.* — (*b*) *Concilia non loquuntur de juramento quale est Anglicanum.*

atque inter alias, illam profert in medium (*a*), quod Bellarminus conscius vel auctor fuit proditionum adversus reginam Elizabetham : id autem probat, quia Campianus, et Hartus in colloquio in Turri Londinensi habito, Robertum Bellarminum pro uno ex præcipuis suis vel auctoribus, vel oraculis celebrare non dubitaverint. Respondeo, quod res est : si Campianus et Hartus, Bellarminum pro uno ex suis vel auctoribus, vel oraculis præcipuis celebrare non dubitabant, id accipiendum esse de lectionibus ejus theologicis, et iis præsertim quæ ad controversias hæreticorum pertinent, in quas forte duo illi boni viri inciderant : nam, quo tempore Campianus, et Hartus in carcerem conjunctifuerunt, Bellarminus annos sex Lovanii, et alios item sex Romæ publice docuerat, ejusque lectiones a scholasticis descriptæ circumferebantur. Neque vero Bellarminum puderet, aut pœniteret, si Campiani illi familiaritas contigisset. Scit enim Campianum contra hæreticam impietatem solum conspirasse, divinæ gloriæ amplificandæ, et civium suorum salutis procurandæ causa in Angliam esse profectum ; et mortem ejus pro religione pie susceptam, pretiosam in conspectu Domini esse non dubitat. Sed bene habet, quod collatio inter Hartum, et Joannem Reginaldum habita typis postea excusa fuit, et in ea nihil habetur, nisi quod Hartus inter disputandum de controversiis fidei, Bellarmini Lectiones Lovanii, Romæque habitas allegabat.

Pag. 61. post varias nugas atque calumnias, quas Auctori Apologiæ effutire placuit, splendidum mendacium adjungit, dicens : « Regi nostro numquam in mentem venit, aliquid in Blakuellum statuere, ut nec in alium quemquam conscientiæ causa hactenus fecit. » Hæc ille. (*b*) Quorsum igitur tot multæ pecuniariæ in recusantes adire templa hæreticorum ; quorsum tot carceres recusantium pleni? quorsum tot Sacerdotes in exilium acti? quorsum ipse Blakuellus tam longo carcere carceratur, cum et juramentum susceperit, et conjurationis reus numquam sit habitus ; neque aliud ei objici possit, nisi quod Sacerdotis Catholici functiones in Anglia exercuerit? cur jam non pauci suspendio suffocati, et in partes dissecti sunt, nisi quia conscientiæ causa juramentum suscipere noluerunt? cur denique, ut multa præteream, Henricus Garnettus, vir doctrina omnis generis, et vitæ sanctitate incomparabilis, ultimo supplicio affectus est, nisi quia revelare noluit, quod salva conscientia revelare non poterat? sed plura de hoc sanctissimo viro paulo infra dicemus : Admirabilis profecto impudentia est, ea mendacia litteris mandare, quæ ab ipso vulgo palam cum irrisione refutantur.

Pag. 62. carpit auctor Apologiæ quod in Epistola Bellarmini dicitur. Neque juramentum illud ideo licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum, et modificatum offerebatur : et fingit temperationem, et modificationem in eo positam esse, quod juramentum æquis, et moderatis verbis optime rei consentientibus, descriptum sit : atque ex hac expositione digreditur ad calumnias : sed Bellarminus juramentum hoc secundum, temperatum, et moderatum esse dixit, facta comparatione ad primum. Siquidem juramentum primum, quod in hac Apologia refertur pag. 49. satis rigide primatum regium in spiritualibus asserit, et non minus rigide primatum Apostolicum abnegat ; sed hoc secundum, temperatum et modificatum aptissime ad decipiendum dici potest, quia non aperte primatum regium in spiritualibus introducit, aut primatum Apostolicum rejicit ; sed sub prætextu et colore fidelitatis, ad finem eumdem tendit, ut primatus Apostolicus negetur, et primatus regius in spiritualibus constituatur. Atque hoc est, quod Satanæ fraudibus et stratagemati Bellarminus attribuit : quod ideo apertissime explicare volui, quia auctor Apologiæ pag. 63. se divinare non posse dicit, cur Satanæ versutias in eo juramento esse censuerit Bellarminus. Quod autem addit pag. 64. Non cœlum a terra longius distare, quam professio obedientiæ civilis erga civilem regem, distat ab omnibus, quæ fidei Catholicæ, aut Primatui S. Petri, quoquo modo sunt finitima ; jam supra sæpius refutatum est, neque libet eadem tam sæpe repetere.

Jam vero pag. 65. valde moleste tulit Apologiæ Auctor verba illa Bellarmini : « Certe enim quibuscumque verbis, juramentum ab adversariis fidei concipiatur in regno isto, eo tendit, ut auctoritas capitis Ecclesiæ, a successore S. Petri ad successorem Henrici octavi in Anglia transferatur. » Ac primo ad

(*a*) *Calumniæ in Card. Bellarm. de proditionis participatione.* — (*b*) *Catholici conscientiæ causæ in Anglia plectuntur.*

invidiam Pontifici Romano conflandam, dicit regem suum non præsumpsisse unquam novum articulum fidei condere, aut de aliquo articulo fidei se judicem constituere ; sed omnibus articulis fidei se submississe, non minori humilitate, et modestia, quam quemvis ex plebe totius regni ; deinde addit, Multo facilius posse regem suum probare, se majoribus suis, tam quoad personam, quam quoad virtutes successisse ; quam probare possit Papa se sancto Petro succedere, sive quoad personam, sive quoad doctrinam. Quod ad primum attinet, nos quoque (*a*) negamus a summis Pontificibus novos articulos fidei condi posse, si per articulos fidei intelligantur immediatæ revelationes Dei. Sic enim Ecclesia fundata dicitur supra fundamenta Apostolorum, et Prophetarum Ephes. II. quoniam illis immediate revelata sunt mysteria nostræ fidei, illi verbum Dei litteris mandaverunt, et voce etiam viva prædicaverunt, ut ab ipso Domino immediate acceperunt. Si tamen per articulos fidei significentur quæcumque dogmata, quæ fide Catholica credi debent, sive sint conclusiones ex verbo Dei, atque ex primis articulis fidei deductæ, sive explicationes primariorum articulorum : tum vero non dubitamus a summis Pontificibus, coadjuvantibus conciliis Episcoporum, multos articulos fidei conditos fuisse, quales articuli sunt definitiones generalium conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, et aliorum. Sic etiam nos quoque negamus Pontificem Romanum, judicem se articulorum fidei unquam constituisse, in eum sensum, quem *hæretici* nobis objiciunt, quasi Pontifex Romanus judicare præsumat, an articulus fidei accipiendus sit an non. Et scimus omnes Romanos Pontifices non minori humilitate, et modestia, judicium suum subjicere solitos omnibus articulis fidei, atque unumquemque ex plebe. Sed si judicare de articulis fidei, sit, quando dubium est, an aliqua sententia ad fidem pertineat, vel non pertineat, discernere a qua parte sit veritas ; tum omnino credimus summum Pontificem de articulis fidei judicare : tollatur æquivocatio, et omnis calumnia, invidiaque cessabit. Quod autem attinet ad successionem, Romanum Pontificem S. Petro in Apostolica dignitate, et potestate succedere, fide Catholica credimus, ubi nullus omnino hæsitandi relinquitur locus : Jacobum autem primum Henrico octavo succedere in Anglicani regni possessione, non arbitror ullum esse tam impudentem, qui dicat fide Catholica esse tenendum, ut qui id negaverit, hæreticus haberi debeat. Quod si ita est (*b*), multo certius probatur S. Petro Papam Romanum succedere, quam Henrico octavo Jacobum primum : « At, inquit adversarius, si de successione Romani Pontificis in Cathedra Beati Petri nullus hæsitare potest ; cur Bellarminus ipse lib. II. de Rom. Pontifice cap. 12. et lib. IV. cap. 6. dicit id pie credi, et certitudine morali tantum concludi ? » Respondeo : hanc meram esse calumniam, et falsitatem : nam lib. II. cap. 12. probat Bellarminus, fide Catholica esse tenendum, Romanum Pontificem S. Petro in supremo totius Ecclesiæ primatu succedere ; neque in toto *illo* capite legitur illud pie credi, vel morali certitudine concludi, in lib. autem 4. cap. 6. non agitur de successione, sed de firmitate in fide ; et asseritur pie credi, Pontificem etiam, ut personam particularem, hæreticum esse non posse, eum in superioribus ejus libri capitibus demonstratum esset, judicium summi Pontificis ex Cathedra dicentis Ecclesiam, nullo modo falsitati aut errori obnoxium esse posse. Itaque Auctor Apologiæ mala fide nobiscum agit, ut lectoribus per fas, et nefas imponat.

Transit auctor Apologiæ pag. 66. ad eam partem Epistolæ refellendam, in qua Bellarminus scripsit, non esse auditum ab initio nascentis Ecclesiæ, usque ad hæc nostra tempora, quod ullus Pontifex principem ullum, quamvis hæreticum, quamvis ethnicum, quamvis persequutorem cædi mandaverit, aut cædem ab aliquo forte patratam approbaverit. Id vero falsum esse demonstrare contendit, ex eo, quod satis constat a summo Pontifice multa bella imperatoribus mota fuisse, in quibus si imperatores victi fuissent, occidi etiam potuissent. Respondeo, Bellarminum non esse loquutum de cæde quæ in prælio accidere potuisset, sed de parricidio, quod per proditores, et sicarios patraretur. Quamquam bella imperatorum adversus Pontifices multa legantur ; (*c*) Pontificum adversus imperatores, nisi defensionis causa, vix in historiis ulla reperientur.

(*a*) *An Papa novos fidei articulos condat, et quos.* — (*b*) *Successio Pontificum in sede S. Petri certior successione Principum.* — (*c*) *An summi Pontifices cædes Principum mandaverint.*

Addit adversarius, Henricum quintum imperatorem a Pontifice reprehensum fuisse, quod Henricum quartum Patrem sepelivisset. Respondeo, nihil hoc ad rem facere, reprehendit enim Pontifex honorificam sepulturam imperatoris in hæresi, et schimate, et excommunicatione defuncti, quem non gladio aut veneno, sed naturali morbo extinctum esse constabat. Addit secundo, exstare orationem in Consistorio a Sixto V. Pontifice Maximo habitam, in qua laudatur cædes Henrici tertii Francorum Regis, et ipse monachus cædis patrator. Respondeo Sixti V. orationem nullam exstare, nisi apud hostes Ecclesiæ, qui Antisixtum ediderunt, quamvis autem hosti fides haberi non debeat ; neque etiam si hostis non esset, fides ei haberi posset, cum Sixtus orationem illam in consistorio secreto, nullo excipiente, habuerit : neque eam orationem vel ipse ediderit, vel ab aliquo alio edi jusserit : esto tamen, ut vis, sit oratio Sixti V. Pontificis ea, quæ in Antisixto legitur ; quid in ea reperies, nisi laudes, et admirationem sapientiæ, et providentiæ Dei ? Hoc unum admiratur, et laudibus in cœlum Sixtus extollit, quod ad regem Maximum in medio exercitus sui sedentem, multisque custodiis circumvallatum, simplex monachus, non mutato habitu, neque gladio clypeove armatus, libere penetraverit, eumque unico cultelli ictu necaverit. Qua oratione admonitos voluit reges Sixtus Pontifex, eum qui dixit : *Nolite tangere Christos meos*, sæpe per inopinatos eventus ponas de illis sumere, qui inaccessibiles, et inviolabiles videntur. Imperaverat rex ille, virum sacratum Episcopali, et Cardinalitia dignitate fulgentem, et Jacobo regi Anglorum arctissimo sanguinis vinculo conjunctum mactari, ultus est Deus Christum suum, dum per alium sacratum virum, alioqui militiæ imperitum, et inermem, regem eumdem non sine manifesto divinæ providentiæ miraculo interfecit. Ergo Sixtus Pontifex, neque regem cædi imperavit, neque cædem, ut a privato illo homine factam approbavit ; sed judicium Dei, providentiamque laudibus celebravit. Utrum enim monachus ille recte, an secus egerit, et pœnam, an præmium apud Deum meruerit, Pontifex in oratione sua non definivit : quia opus Dei, non opus hominis prædicandum susceperat. Deus autem, et bonis et malis hominum voluntatibus, et operibus, justissime, et sapientissime ad opera sua perficienda uti potest, et solet : certe in Actis Apostolorum c. IV. scriptum est : *Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum, Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, cum gentibus, et populis Israel, facere quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.* Fuit igitur Christi passio opus divinæ manus, divinique consilii : et tamen per manus, et voluntates impias scelestorum hominum perpetratum. Contra autem per manum Judithæ, sanctæ videlicet, et religiosissimæ feminæ, idem Deus Holofernis principis caput amputavit ; et per manus Phinees, magna cum ipsius laude, nec sine ingenti præmio, Deus idem filiam principis Madian, una cum fornicante Judæo, de medio sustulit. Atque hæc, quæ dicta sunt de sola Dei justitia, providentiaque a Sixto Pontifice commendata, testimonium habent ab iis, qui Sixtum concionantem audierunt, et qui acta Consistorii breviter annotarunt. Quod autem auctor Apologiæ subjungit, Sixtum Pontificem facile fuisse monachum illum in album Sanctorum relaturum, nisi Cardinales quidam prudentiores impedivissent ; quia sine auctore dicitur, et omni verisimilitudine caret, in album mendaciorum referendum erit.

Pag. 71. et duabus sequentibus, describit auctor Apologiæ contradictiones, quas in libris Cardinalis Bellarmini, de controversiis fidei se reperiisse gloriatur ; atque ad eum finem se facere dicit, ut nemo miretur, si in hac causa de Pontificibus, cædes principum non jubentibus neque approbantibus, secum ipse pugnat. Referam igitur bona fide omnia verba adversarii, ad deinde responsionem subjiciam, et lectori liberum relinquam, ut judicet, an Bellarminus sibi contradicat, an auctor Apologiæ impudens calumniator dici mereatur.

(*a*) Prima contradictio. Bellarminus lib. V. de justificatione cap. 7. affirmat, quod propter incertitudinem propriæ justitiæ, et periculum inanis gloriæ, totissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia et benignitate reponere. Quæ ejus assertio e regione contraria est toti tractationi, et ut sic dicam torrenti illorum quinque de Justi-

(1) Act. IV, 27.

(*a*) *Respondetur ad contradictiones Card. Bellarm. falso objectas.*

ficatione librorum, in quibus tamen libris, ea quæ jam citavi verba continentur.

Responsio : Hæc prima contradictio merito contemni potuisset, cum auctor non indicet cui sententiæ contraria sit ea sententia, quæ paulo ante recitata est. Sed placet breviter admonere in illo ipso c. 7. haberi conciliationem contradictionis, quam ipse Bellarminus prævidit occurrere potuisse lectori parum attento. (a) Ibi enim docuit, non sic esse fiduciam in sola misericordia Dei constituendam, quasi nulla sint vera merita hominis justificati, vel quasi nulla possit fiducia in bonis operibus collocari : sed solum quia ad superbiam evitandam utile sit, non respicere propria merita, sed Dei misericordiam : quoniam de propriis meritis an illa habeamus, incerti sumus, de misericordia vero Dei, quod infinita sit, dubitare non possumus. Videat lector totum illud caput, et sententias Patrum, quæ in eo citantur, ac præsertim illam S. Bernardi serm. 68. in Cantica : « Perniciosa paupertas, inopia meritorum : præsumptio autem Spiritus, fallaces divitiæ, et ideo divitias, et paupertatem ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Felix Ecclesia cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque meritis deest : habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum. » Secunda : Deus non inclinat hominem ad malum, neque physice neque moraliter, lib. II. de statu peccati, et amissione gratiæ cap. 13 ; mox contrarium affirmat ibidem paulo post, quod Deus inclinat quidem ad malum, non physice, sed tamen moraliter.

Responsio : Bellarminus declarat in illo ipso capite, quid intelligat per inclinationem ad malum physicam, vel moralem, dicens : physice inclinare, esse immediate movere voluntatem ad actum ; moraliter inclinare, esse imperare vel consulere ut actus fiat, ex qua declaratione tollitur omnis contradictio. Nam cum dicit, (b) Deum non inclinare physice, movendo voluntatem, sed occasionaliter, et moraliter immittendo cogitationem aliquam bonam, ex qua malus ob suum vitium occasionem sumat judicandi melius esse huic nocere, quam illi, sive huic potius iniquitati servire, quam illi : non significat, Deum inclinare voluntatem moraliter, imperando vel consulendo malum, quod esset contrarium superiori sententiæ ; sed Deum inclinare per se ad bonum, immittendo bonam cogitationem, ex qua sequatur occasionaliter inclinatio moralis ad malum, quatenus ille vitio suo malus, ex illa cogitatione movetur ad malum. Exemplum ponitur ibidem ex verbis illis Psalm. CIV. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus* (1) ; quæ verba sic exponunt S. Augustinus, et Theodoretus, ut dicant, Deum id fecisse, non pervertendo corda Ægyptorum, sed benefaciendo populo suo ; quod videntes, et cogitantes Ægyptii, majoris odii occasionem acceperunt.

Tertia : Episcopos Apostolis succedere, presbyteros septuaginta discipulis, docent constanter omnes Patres, ait Bellarminus lib. I. de Clericis cap. 14. Sed contrarium affirmat ; quod Episcopi non proprie succedunt Apostolis lib. IV. de Pontifice cap. 25.

Responsio : (c) Episcopos succedere Apostolis, quatenus illi fuerunt primi Episcopi particularium Ecclesiarum, ut Jacobus Hierosolimitanæ Ecclesiæ, Joannes, Ephæsinæ, affirmat Bellarminus in lib. de Clericis. Episcopos autem non proprie succedere Apostolis, quatenus Apostoli erant, id est, missi in omnem terram cum plenissima potestate, docet idem Bellarminus in lib. IV. de Pontifice. Præterea in priore loco dicitur episcopos Apostolis, et presbyteros septuaginta discipulis succedere : in posteriore loco id explicatur, et *ostenditur*, quomodo succedant, et quomodo proprie non succedant : quæ duo non sunt contraria, vel contradictoria, nisi apud eos, qui logicam ignorant, vel sensu communi carent.

Quarta : Judas non credidit, inquit Bellarminus lib. I. de Pontifice cap. 12. At contradicit lib. III. de Justificat. cap. 14. ubi ait, Judas justus fuit, et certe bonus.

Responsio : Distingue tempora, et concordabis Scripturas. (d) Judas credidit, et justus ac bonus fuit initio electionis suæ ; sed postea tentatori succubuit, et non solum non credidit, sed etiam fur esse cœpit, et Dominum prodidit, et tandem laqueo se suspendit.

(1) Psalm. CIV, 25.

(a) Qualiter fiduciam constituamus in Dei misericordia, et in bonis operibus. — (b) Quomodo Deus inclinet ad malum moraliter. — (c) Modus quo Episcopi succedunt Apostolis, et Presbyteri cæteris Discipulis. — (d) Judas aliquando bonus.

Quinta : Observatio legis secundum substantiam operis requirit, ut sic præceptum observetur, ut peccatum non committatur, et non fiat homo reus ob præceptum non impletum, lib. V. de gratia, et libero arbitrio cap. 5. Contra, sciendum est, non esse omnino idem, facere bonum morale, et observare præceptum secundum substantiam operis : potest enim servari præceptum secundum substantiam operis, etiam cum peccato. Ibid. cap. 9.

Responsio : Qui servat præceptum secundum substantiam operis, non committit peccatum prævaricationis illius præcepti, neque reus est ob illud præceptum non impletum ; sed tamen potest simul peccare contra aliud præceptum, et esse reus alterius præcepti non observati : qui autem facit opus bonum morale, nullum peccatum illa actione committit ; exempli gratia : (a) Qui facit eleemosynam, quando tenetur ex præcepto, sed facit eam, ut videatur, et laudetur ab hominibus, is implet præceptum secundum substantiam operis ; tamen non facit opus bonum morale, quia quamvis non sit reus præcepti de eleemosyna facienda, ut Bellarminus docet in priori sententia : tamen peccatum inanis gloriæ committit, et ideo non facit opus bonum morale, sed malum, ut docet in posteriore sententia. Sed auctor Apologiæ non multum curat de sensu, dummodo verba contrarium sonare videantur, quomodo in omnibus libris, et in ipsis etiam Scripturis divinis multas contradictiones inveniet. In Evangelio legimus : *Nemo bonus, nisi solus Deus*, Lucæ XVIII. et rursum legimus : *Euge, serve bone, etc.* Lucæ XIX, et, *Decurio vir bonus et justus*, Lucæ XXIII. Dicat igitur Auctor Apologiæ sanctum etiam Lucam contradictiones in Evangelio suo scripsisse. Sic etiam S. Paulus I Corinth. VIII. dicit, *Nullus est Deus, nisi unus* : et ibidem ait : *Siquidem sunt dii multi, et Domini multi* (1). Proinde clamare potest adversarius noster, Apostolum in eadem Epistola, et eodem capite sibi contradicere ; sed prudentes Christiani non Lucam, aut Paulum contradictionis, sed auctorem Apologiæ imperitiæ, et levitatis arguerent.

Sexta : Petrus non amisit eam fidem, qua corde creditur ad justitiam, lib. IV. de Pontif. cap. 3. Contra, peccatum Petri fuit lethale, lib. III. de Justificat. cap. 14.

Responsio : Apud Lutheranos, qui sola fide justificari homines docent, contradictio esset, si quis diceret Petrum caruisse justitia, et non amisisse fidem ; sed apud Catholicos, qui sciunt fidem sine operibus mortuam esse, et fidem non quamcumque, sed illam, quæ per dilectionem operatur, justificare, nulla contradictio est. Sic igitur et Bellarminus docuit, (b) S. Petrum, quando is Christum ter negavit, non amisisse fidem cordis, sed confessionem oris ; et ideo peccasse quidem lethaliter, sed non fuisse hæreticum, vel infidelem. At, inquit adversarius, Bellarminus scripsit, Petrum non amisisse fidem, qua creditur ad justitiam ; ergo existimavit, Petrum non amisisse fidem justificantem, cum quo non bene cohæret quod peccaverit lethaliter. Verum est, ita scripsit Bellarminus ; sed fides, qua creditur ad justitiam, est quidem fides justificans per modum dispositionis, sed non est fides absolute perfecteque justificans, qualis est illa, quæ per dilectionem operatur. Nam si Apostolus existimaret fidem, qua creditur ad justitiam, sufficere ad perfectam justificationem sine charitate, non adderet, ore autem confessio fit ad salutem. Itaque S. Petrus habuit in corde fidem, quæ disposuit ad justitiam ; sed ex defectu charitatis caruit confessione oris ad salutem : proinde salvus esse non poterat, nisi accenderetur ignis charitatis, qui veræ pœnitentiæ lacrymas excitaret.

Septima : Antichristus magnus futurus est, et more aliorum magorum occulte Diabolum ipsum adoraturus, de Pontif. lib. III. cap. 14. At contra, abhorrebit ab idololatria, execrabitur atque oppugnabit idolola, denique templum denuo ædificabit. Ibidem cap. 12.

Responsio : Qui contradictionem notavit, conciliationem etiam indicavit. (c) Nam Antichristus, ut in priore sententia dicitur, Diabolum adorabit, sed occulte ut magi faciunt, publice autem in conspectu hominum idola execrabitur, et contra omnes Deos pugnabit. Quod ipsum Bellarminus aperte monuit, lib. III. citato capr 14.

Octava : Verbis consecrationis, vera et so-

(1) Lucæ XVIII, 19 ; Id. XIX, 19 ; Id. XXIII, 50 ; I Cor. VIII, 4.

(a) Quo sensu potest servari substantia præcepti cum peccato. — (b) Petrus non amisit fidem per peccatum. — (c) Antichristus Diabolum occulte colet, publice execrabitur Idola.

lemnis oblatio celebratur lib. I. de Missa, cap. 27. Contra, sacrificii oblatio magis in re quam in verbis consistit ; et illa actio qua corpus Domini super altare ponitur, vera et realis oblatio est lib. II. de Missa cap. 12.

Responsio : Non erat opus quærere diversa loca, ut contradictionem apparentem Apologiæ auctor inveniret. Nam in eodem capite 27. lib. I. de Missa, utrumque dicitur, (*a*) et verbis consecrationis celebrari solemnem oblationem, et oblationem veram atque realem in re potius, quam in verbis consistere; nimirum in ea actione, qua Christi corpus ponitur in altari, ut victima Deo sacra. Sed in eodem etiam loco declaratur quid sit per verba consecrationis celebrari solemnem oblationem, nimirum per verba consecrationis fieri, ut vera, et realis victima in altari esse inciperet. Itaque verba consecrationis non formaliter, sed efficienter ad oblationem concurrunt : et ideo non dixit Bellarminus, verba consecrationis esse oblationem, quasi oblatio esset verbalis ; sed per ea verba celebrari oblationem, quia victima, quæ realiter offertur, per verba consecrationis efficitur, et in ara Domini collocatur.

Nona : Mundi finis non potest sciri, De anima Christi lib. IV. cap. 3. Contra, post Antichristi mortem non futuri sunt nisi quadraginta quinque dies usque ad mundi finem. lib. III. de Pontif. cap. 17.

Responsio : Si hæc contradictio est, in ipsa scriptura divina est : utrumque enim in Scriptura divina habetur sed ideo non est contradictio, quia nemo scit, quando Antichristus veniet. Nam et Dominus dixit in Evangelio Matth. XXIV. Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio : et tamen quia nemo scit quando in toto orbe prædicatio Evangelica complenda sit, nemo etiam scit, quando veniet consummatio.

Decima : Roma sedes erit Antichristi, et decem reges comburent purpuream meretricem, id est, Romam, lib. III. de Pontifice cap. 14. Contra, Antichristus Romam odio habebit, et pugnabit contra eam, et comburet. Ibidem.

Responsio : Hæc vero mirabilis est ars venandi contradictiones. Nam in cap. 14. nihil omnino de sede Antichristi dicitur. Sed errore typographi erratum est in numeris, et posita est nota arithmetica 14. pro 13. ita opinor : sed cap. 13. dicitur, et probatur multis argumentis Sedem Antichristi futuram esse Hierusalem, non Romam : (*b*) qua igitur licentia transmutavit adversarius Hierusalem in Romam? sed et ipsa verba, quæ adducit, poterant illum admonere, si sapere, et non calumniari voluisset. Nam si decem reges comburent purpuream meretricem, id est, Romam, et si Antichristus illam odio habebit, et per illos decem reges comburet ; quomodo Sedes illius erit? sed fortasse quia in libro Anglico non habebatur, Roma Sedes erit Antichristi, et eo dempto, nulla apparebat contradictio, interpres latinus ad exprimendam contradictionem, addidit illa pauca verba. At cur tam impudenter falsi crimen admisit ? quia in illo cap. 13. refertur a Bellarmino, Sedem Antichristi ex sententia Lutheranorum futuram esse Romam, adversarius Bellarmino tribuere voluit, quod in ejus libro legit, parum laborans, an ex sententia Bellarmini, an aliorum id diceretur, qua ratione dicere posset ab Evangelista Christum vocatum esse seductorem, quoniam in Evangelio legatur : *Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam.* Matth. XXVII.

Undecima : Duobus modis intelligi potest nomen universalis Episcopi : uno modo, ut ille, qui dicitur universalis, intelligatur esse solus Episcopus omnium urbium Christianarum, ita ut cæteri non sint Episcopi, sed Vicarii tantum illius, qui dicitur Episcopus universalis : quo sensu Papa non est universalis Episcopus, lib. II. de Pontifice cap. 31. Contra, omnis ordinaria jurisdictio Episcoporum descendit immediate a Papa, et est in eo, et ab eo in alios derivatur. Ibid. lib IV. cap. 24.

Responsio : non intelligo quæ sit in his locis contradictio. (*c*) Nam in priore sententia dicitur, Papam non esse episcopum universalem in eo sensu, quod solus ipse sit episcopus, et alii non sint episcopi, sed ejus vicarii. In posteriore autem non dicitur solum Papam esse Episcopum, vel nullum alium esse episcopum, vel cæteros omnes, qui dicuntur episcopi, non esse nisi vicarios Papæ, sed solum dicitur jurisdictionem episcoporum descendere a Papa, in quo omnis jurisdictio Ecclesiastica plenissime reperitur ; quamvis enim episcopi cæteri jurisdictionem accipiant a summo Pontifice : tamen veri episcopi sunt, et jurisdictionem Episcopalem, non vicarialem accipiunt. Sed adversarius, ut ipse habet spiritum contradictionis, et nihil nisi contradictiones cogitat ; ita contradictiones se videre imaginatur, et somniat, ubi nulla est contradictio.

(*a*) *Victima quæ realiter offertur per verba consecrationis.* — (*b*) *Apologiæ Auctoris commentum.* — (*c*) *Papa non est Episcopus universalis adeo quod solus : sed quod omnis jurisdictio ab eo.*

Pag. 74. Expedita longa digressione revertitur ad Epistolam Bellarmini, et verba sequentia exagitanda sibi proponit : « Nunc, inquit, ut eo redeamus, unde digressi sumus : Cum, inquit, Pontifices nihil unquam attentarint contra reges, cur quæso unus rex Angliæ timet, quod ex tot Christianis principibus nullus timet, nullus timuit ? Quid audio? Nullne unquam imperatores, aut reges Christiani sibimet a Pontifice timuerunt ? quo modo igitur miseri imperatores isti, quos jam dicam, jactati sunt per Pontifices, atque inquietati, tandem etiam per eosdem penitus subversi perierunt? » Hæc ille, qui ut *semper sui similis perseveret*, cum non habet, quod jure reprehendat, ipse fingit, et addit verba, eaque Bellarmino affingit, ut occasionem habeat digladiandi, et eruditionem suam inutiliter ostentandi. Illa enim verba, Cum Pontifices nihil unquam attentarint contra reges, non habentur in Epistola Bellarmini : et tamen non solum recitantur ut verba Bellarmini, sed etiam longissima disputatione historica refelluntur. Quod Bellarminus affirmavit, id tantum est, (*a*) nullam principum cædem, per sicarios videlicet, a Pontifice imperatam, vel approbatam, et de hoc uno timore, cædis videlicet, dixit : Cur unus rex Angliæ timet, quod ex tot Christianis principibus nullus timet ? Sed quoniam de hac re supra aliquid dixerat, et videbat quam levia illa essent, quæ tunc attulerat, neque aliud occurrebat, quod speciem argumenti firmioris præ se ferret ; fluxit verba magis generalia, eaque tamquam a Bellarmino prolata, per multas paginas refutavit.

Primum igitur, profert in medium historiam (*b*) Henrici IV. « Numquid, inquit, non timuit imperator ille, qui triduum expectavit ad januam Pontificis summo gelu et nivibus ; antequam ei aditus pateret? » Respondeo, timuisse illum quidem, non eædem corporalem, de qua Bellarminus locutus est, sed vinculum excommunicationis, a quo ut absolvi mereretur, ad illam humilitatem se ipse sponte dejecit.

Secundo, profert (*c*) Fridericum I : « Numquid, inquit, ille imperator non timuit, qui pronus in ventrem procubuit, dum alius quidam Pontifex cervices ei conculcaret? » Hæc vero historia dubiæ fidei est, neque enim eam attingit Genebrardus in Chronico, ut hic noster falso in margine adnotavit ; neque Platina, neque Sigonius, neque Sabellicus. Cardinalis autem Baronius ex instituto refellit tom. XII. pag. 720. Sed sit vera. Quid aliud Fridericus timuit, nisi excommunicationem? hæc enim sunt verba Genebrardi, quem adversarius pro se citavit : « Ad ejus (Alexandri III.) pedes procubuit Fridericus, petens absolutionem excommunicationis. » Hæc Genebrardus, qui de calcata cervice, ne verbo quidem meminit.

Tertio, producit, (*d*) Henricus VI. « Quid, inquit, ille etiam imperator parum ne timuit, cui tertius quidam Pontifex regni diadema de capite pedibus deturbavit? Hæc autem Historia parum verisimilis est. Siquidem ille tertius Pontifex, cujus adversarius meminit, fuit Cœlestinus III. qui decrepitus annorum octoginta quinque cum esset, et summa comitate atque humanitate omnium consensu præditus, neque cum Henrico simultatem gereret ; certe nulla ratio patitur, ut credamus eum potuisse, aut voluisse regium diadema de Henrici capite pedibus deturbare. At, inquit adversarius, scribit hoc Ranulphus in Polychronico lib. VII. sed Ranulphus iste quantum fidei mereatur, æquus lector æstimet, cum viderit eam historiam incognitam fuisse Sigonio, et Sabellico, et Platinæ, et Genebrardo, et omnibus Germanicis historicis, illis etiam, qui Pontifici Romano parum favere solent. Adde, quod si forte vera sit Historia, ut Baronius Cardinalis admittit, non inde timuit imperator, neque Pontifici iratus fuit : quoniam intellexit in ipsa coronatione diadema sibi impositum, ac deinde dejectum ex capite, ac rursum in caput repositum, ut eo facto admoneretur coronam tantæ dignitatis posse malis meritis amitti, et ideo Patrem, Fridericum I. videlicet, non imitaretur, qui Ecclesiam diu vexavit, et divino judicio, quando minus id

(*a*) *An Reges sibi a summo Pontifice timere debeant.* — (*b*) *Henric. IV.* — (*c*) *Frederic. I.* — (*d*) *Henric. VI.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

expectabat, imperium cum vita amisit.

Quarto, profert (a) Philippum : « An non, inquit, et Philippus timuit, de quo, cum imperator invito Innocentio tertio creatus esset, Pontifex in hanc vocem erupit : Aut Pontifex Philippo diadema, aut Philippus Pontifici insigne Apostolicum adimet. Quo dicto, Pontifex Othonem in Philippum incitavit, qui eum postea interemit. Otho autem cæde facta Romam venit, et imperator a Patre inauguratus est, quamvis postea imperio ab eodem privatus est. » Hæc ille, qui videretur hoc loco aliquid dixisse, quod ad rem faceret, nisi manifestam falsitatem historiæ miscuisset. Falsum enim est Philippum ab Othone illo interfectum fuisse, qui postea imperavit. Scribunt enim gravissimi auctores, Albertus, Crantzius in sua Saxonia lib. VII. cap. 28. Joannes Nauclerus in Historia sua pag. 82. et Carolus Sigonius lib. XV. Appendicis, Philippum occisum fuisse ab Othone quodam private homine, et imperatoris intimo familiari, inscio Othone imperatore. Palmerius quidem interfectum dicit Philippum a comite Palatino : ab Othone autem duce Saxoniæ, qui de imperio cum Philippo contendit, et post ejus mortem coronatus est, neminem legi, qui Philippum necatum scripserit ; præter auctorem hujus Apologiæ, qui nullum pro sua opinione testem adduxit ; et vel nominis æquivocatione deceptus est, vel falsa narratione lectores decipere voluit. Quod autem Innocentius dixerit, aut Philippo se diadema ablaturum, aut sibi a Philippo insigne Apostolicum detrahendum, scribit quidem Abbas Uspergensis, sed addit, id se ab aliis accepisse, et difficile esse relatu, et vix credendum.

Quinto, profert (b) Fridericum II. « Fridericus, inquit, an non timuit, cum eum Innocentius excommunicaret, regno privaret, Principes a juramento fidelitatis ei dato absolveret, denique in Apulia quemdam subornaret, qui eum veneno extingueret? Quo tamen exhausto, cum convaluisset, conduxit Manfredum quemdam, qui venenum ei daret : quo sumpto mortuus est. » Hæc ille, qui dum se in historiis valde versatum ostendere cupit, corruptorem Historiarum se, impostoremque demonstrat. Conveniunt enim omnes historici a Manfredo filio notho ejusdem Friderici, Fridericum graviter ægrotantem, pulvino in os injecto suffocatum, venenum autem a Manfredo propinatum Friderico, nullus Historicus dicit. Quod autem Pontifex in hac re se miscuerit, solus Cuspinianus, qui recens est auctor, ex epistolis Petri de Vineis, sub dubio refert : Sive, inquit, ab hostibus, sive a Pontifice corruptus id fecerit. Sed omnes alii, qui mortem Friderici narrant, omnino de Pontifice silent, ut etiam veneni vix ullus meminit : sunt autem hi auctores, quos lector consulere poterit, Joannes Nauclerus in Chronographia vol 2. generatione 42. Platina in vita Innocentii IV. Joannes Baptista Egnatius in vita Friderici II. Sabellicus Enneadis nonæ lib. VI. Blondus Decadis secundæ lib. VII. Albertus Crantzius lib. VIII. Saxoniæ cap. 18. Matthæus Palmerius in Chronico anni 1250, Jacobus Wimphelingius in epitome rerum Germanicarum, Paulus Langius in historia Ecclesiæ Citicensis anno 1250. et alii. Sed Auctor Apologiæ quasi rem exploratam prædicat : Conduxit, inquit, Manfredum quemdam, qui venenum ei daret, quo sumpto, mortuus est. Atque, ut apparet ex modo loquendi, nullas historias legit. Si enim legisset, scivisset profecto Manfredum non fuisse sicarium aliquem, qui facile conduci posset : sed filium Friderici, magnumque principem ; et non dixisset, conduxit Manfredum quemdam, quasi obscurum homuncionem, neque veneni a Manfredo propinati mentionem fecisset, cum hoc nullus omnino referat. Denique non tam asseveranter locutus fuisset, cum solus Cuspinianus male affectus erga Pontifices, ex sola conjectura simultatis et inimicitiarum, et dubitanter rem hanc attigerit.

Sexta, producit litteras (c) Alexandri ad Sultanum : « Quid autem, inquit, Alexander scripsit Sultano ? ut si absque molestia vellet degere, aliqua ratione tollendum de medio imperatorem curaret. » Et auctorem allegat Paulum Jovium lib. II. Historiarum. Sed in libro Anglice edito designatur Alexander III. Jovius autem scribit historias temporis sui, ac per hoc res gestas Alexandri III. non attingit. Interpres, ut tutius lateret, Alexandrum nominavit, omisso numero. Et quidem Jovius in II. lib. Historiæ, Alexandri VI. res gestas describit ; sed nullam Epistolam scriptam esse dicit ab Alexandro ad Sultanum. Itaque Auctor Apologiæ docet nos, de quo Alexandro loquatur, et quem auctorem habeat eorum, quæ scribit, et tunc, si opus erit, responsum a nobis accipiet.

(a) *Phil. Imp.* — (b) *Frider. II.* — (c) *Papa Alexander.*

Septimo, adducit (a) Alexandrum VI. « Quid, inquit, Alexander ille sextus ? nonne ducenta millia aureorum a Bajazeto turca accepit, ut ea mercede, fratrem ejus Gemen, vel, ut quidam appellant Zizimum necaret, quippe quem Romæ tunc captivum tenuerat? Nonne conditiones oblatas amplexus est, et peracta cæde pecunias accepit ? » Hanc historiam unde auctor Apologiæ acceperit, aveo scire. Annotat ad marginem solum nomen Cuspiniani. Cuspinianus autem in vita Bajazetis junioris scribit quidem Zizimum Bajazetis Fratrem in castris regis Francorum veneno sublatum, haud ignorante Pontifice ; sed jussu Pontificis id factum, aut post cædem ducenta millia aureorum Pontifici numerata, non scribit. Sed auctor Apologiæ potestatem habet addenbi quidlibet ad historias. Adde quod, ut supra diximus, Cuspiano non magnam fidem habere possumus in iis, quæ ad Pontifices pertinent, præsertim quando aliorum Historicorum testimoniis destituitur.

Octavo, adducit (b) Henricum II regem Anglorum : « Quid, inquit, Henricus noster ejus nominis secundus, nonne timuit post occisum sanctum Thomam? qui præterquam quod nudis pedibus in peregrinatione incessit, virgis etiam pœnas dedit in sacrario tamquam scholæ discipulus, solatusque eo se est, quod nihil gravius pateretur. » Vere omnino Henricus, et jure optimo timuit, non cædem corporis, de qua nos agimus, sed judicium Dei, et censuras Ecclesiæ ; siquidem non ut scholæ discipulus, ut iste garrit, sed ut vere pœnitens, maluit in terris cum hominibus flagellari quam post mortem cum dæmonibus cruciari.

Nono, adducit patrem Henrici regis Francorum : « An non, inquit, timendi causa fuit Patri regis Galliarum, qui nunc est, cum regnum Navarræ, quod ejus jure fuerat, Pontifex abalienaret, regique Hispano donaret ? cujus regni dimidium rex Hispanus hodieque obtinet. » At falsum est patrem Henrici IV. reges Christianissimi fuisse illum, qui Navarræ regnum primus amisit ; ille enim Joannes dicebatur. Pater autem regis Antonius dictus est. De titulo vero, quo reges Hispaniæ regnum Navarræ magna ex parte possident, non est nostrum hoc loco disserere : consulat lector eos historicos, qui res Hispanas ex instituto tradunt.

Decimo, adducit (c) Henricum IV. regem Christianissimum : « An non, inquit, is qui nunc regnat filius ejus, jure timuit, cum se ab excommunicationis vinculis relaxari tam suppliciter obsecraret, ut Legatum suum Romæ virgis cæsum pœnitentium more passus sit ? » Hæc vero satis ostendunt auctorem Apologiæ non solum extra rem evagari, cum a timore gladii, et mortis temporalis, ad timorem spiritualium pœnarum transeat, sed etiam satis impudenter irridere sacras cæremonias, quæ in reconciliatione pœnitentium adhibentur ; sed si magnum ei videtur, Legatum regium, dum ab excommunicationis sententia de more Ecclesiæ rex absolveretur, virga sacerdotali leviter percussum, non ad dolorem, sed ad significationem : quid, quæso, dixisset, si Magnum Theodosium imperatorem orbis terrarum vidisset sancti Ambrosii Episcopi sui sententiam pertimescere, neque audere, illo interdicente, templum intrare, nisi publicam pœnitentiam ageret, ac deinde ingredi permissum non stetisse, sed toto corpore pronum in pavimento jacuisse, manibus capillos vulsisse, frontem graviter percussisse, et pavimentum lacrymis aspersisse, idque deposito diademate, et toto populo inspectante ? Vide Tripartit. Histor. lib. IX. cap. 30. Hunc igitur tantum imperatorem rex Christianissimus imitatus, quia sancto timore judicia Dei, et summi Pastoris sententiam timuit, adstiti illi Deus, ut pericula non pauca, nec levia feliciter evaderet, et deinceps quoque ejusmodi nefariorum hominum conatus, eodem adjuvante Domino non timebit.

Undecimo, affert exemplum (d) reginæ Elizabethæ : « Quid, inquit, quæ nuper extitit regina nostra, nonne erat, quod circumspiceret, sibique caveret, cum a P o V. excommunicata esset, subditi ejus a fide et obedientia absoluti, quam ei debebant, regnum Hyberniæ ab ea ad regem Hispaniæ translatum, atque denique nobilis ille fugitivus theologus, eodemque purpureo decoratus galero, quo nunc Bellarminus, non est veritus Stanleianæ proditionis Apologiam publicare, in qua illud defendit, quod quandoquidem excommunicata esset regina et

(a) *Alexand. VI.* — (b) *Henricus II. rex Angliæ.* — (c) *Henric. IV. rex Gallorum.* — (d) *Regina Elizabetha.*

hæretica ; non solum liceret jam ejus subditis, verum etiam necesse esset ab obligatione conscientiæ, nudare eam omni, quo possent præsidio, et sive exercitus, sive oppida, sive arces, et propugnacula ejus obtinerent, regi Hispano hosti tradere, regina deinceps nihil habente proprium, aut suum? » Magnam sine dubio causam timendi Elisabetha, si sapuisset, habuit. Nam quæ fidem datam Deo, et Ecclesiæ Catholicæ in sua consecratione statim fregit ; certe timere debuit justam iram Dei, et ne sibi etiam a subditis fides data, justo Dei judicio frangeretur. Quod autem additur de Stanleiana proditione, non fideliter, nec vere narratur : siquidem more suo auctor Apologiæ historiam multis additis mendaciis fœde corrupit. Extat enim responsio Cardinalis Alani (hunc enim fugitivum theologum vocat) ad litteras Stanlei, quam hic ipse auctor ad marginem notat. Hæc est autem summa historiæ. Abstulerant Angli a rege Hispaniæ Daventriam civitatem in Belgio sitam, eamque Stanleio custodiendam tradiderant. Is Stanleius, cum reconciliari vellet Ecclesiæ Catholicæ, eam civitatem regi restituit, tamquam proprio domino, idque nulla mercede pacta, vel recepta. Hanc restitutionem approbavit Cardinalis Alanus, ut justam. Cætera non Alani consilia, sed auctoris Apologiæ mendacia sunt.

Ultimo loco addit exemplum (*a*) Jacobi, qui nunc in Anglia regnat, ac tria quædam adducit, unde Jacobus rex cavendi sibi a Pontifice maximam habuit occasionem : « Primo, inquit, Bullarum divulgatione earum, quarum feci jamdudum mentionem, quo omni prohiberetur et regni aditu, et coronæ. » Ad hoc primum jam supra respondi, duo Brevia Pontificis Clementis VIII. anno 1600. ad Catholicos Anglos directa fuisse quibus sine ullius certæ personæ designatione admonebantur, ut quoad possent juvarent, ut vir Catholicus regno illo propediem vacaturo potiretur, quo consilio nullum aliud a Pontifice maximo, cui Catholicæ Ecclesiæ cura potissimum incumbit, magis Christianum, magis pium, et utile dari potuit. Quod si hac generali admonitione Jacobus excludebatur, ipse erat in causa, qui spem non obscure datam Pontifici fallere volebat, vel certe ejus administri reprehendi debent, qui magis adhuc aperte Jacobum tunc Scotiæ regem, adepto Anglicano regno, Catholicum futurum promittebant.

Addit secundo : « Deinde, inquit, ubi intrasset, plenamque possessionem adeptus esset, horrenda illa conjuratione pulveraria, quæ regem cum suis, et regno, et vita pœnitus spoliatura fuisset. Ut ut autem Pontifex omni ratione se purgare laborat, quo minus ejus adminiculis fulta illa conjuratio fuisse videatur : tamen negare non potest primarios ejus in hoc regno administros, et præcipua mancipua jesuitas, ipsississimos illius auctores, designatoresque fuisse, quo etiam crimine, iis qui Princeps fuit cohortis, mortuus est in confessione facinoris, alios conscientia egit in fugam, nonnulli etiam ipsam in Italiam penetrarunt. » Ad hoc secundum respondeo, tam multa hic mendacia sine ullo testimonio, vel probatione congeri, ut necesse sit auctorem Apologiæ omnem omnino pudorem, et conscientiam exuisse. Quod enim attinet ad Pontificem, non est curæ purgare laboret, cum nemo illum vel suspicione maculæ alicujus asperserit. (*b*) Quod autem attinet ad Jesuitas, ille ipse qui dux erat cohortis, ut auctori loqui placuit, Henricus Garnettus præpositus provincialis facile mendacia ista refutabit. Constat enim Henricum in publico judicio, rege ipso spectante, qui si vellet testis etiam esse posset, longissimo tempore examinatum, constanter semper dixisse ; (*c*) neque se, neque ullum Jesuitam hujus conspirationis auctorem, vel complicem, vel consultorem, consentientem ullo modo fuisse, seque, cum eum tractatum in confessione Sacramentali generatim cognovisset, dedisse omnem operam, ut a tali conspiratione desisteretur : immo etiam se, et suos ex urbe Roma a superioribus suis graviter admonitos, ut laicos Catholicos ab omni tumultu alienos suis cohortationibus continerent. Quod autem Henricus Garnettus in judicio sæpe dixerat, id ipsum instante morte, coram innumerabili populo, longa oratione protestatus est : qua oratione sicut fidem Catholicam professus, et hæreses Anglicanas liberrime detestatus est, ita eadem libertate negavit se auctorem, aut complicem, aut consultorem, aut ullo modo consentientem sceleris fuisse. Et tamen audet auctor Apologiæ contra conscientiam propriam, et contra testimonium multorum millium hominum, qui crudelissimo spectaculo interfue-

(*a*) *Jacobus V. Angliæ rex.* — (*b*) *Calumnia in Jesuitas.* — (*c*) *Henrici Garnetti protestatio.*

runt, dicere : « Is, qui princeps fuit cohortis, mortuus est in confessione facinoris, » cum dicere debuisset eum mortuum fuisse in abnegatione, et detestatione facinoris. Cur igitur, inquies, Henricus ultimo supplicio affectus est, si neque scelus confessus est ? quia non revelavit, quod in Confessione sacramentali eum audivisse, Judices mira quadam versutia cognoverunt. Sed cum Catholica doctrina non permittat, ad ullum malum vitandum, secretum sacramentalis Confessionis detegi, (*a*) maluit ille mortem acerbissimam pati, quam tanti sacramenti sigillum violare. Proinde judices illi, qui a Catholica fide, et doctrina alieni sunt, Henricum reum læsæ majestatis ob non revelatam conspirationem fecerunt. Deus autem eumdem Henricum ob sacramentum divinum non violatum ; et fidei Catholicæ confessionem, atque hæresum Protestantium detestationem corona gloriæ, ut pie credimus, redimivit. Porro alii ex Jesuitis, qui fugam sibi consuluisse dicuntur, consilium Christi secuti sunt, qui suos admonuit, ut cum persecutionem uno loco paterentur, fugerent in alium. Quæ major enim persecutio cogitari potest, quam quæri ad carceres, et supplicia sine conscientia facinoris, et sine testium indiciis ? Addit postremo auctor Apologiæ : « Neque tamen, inquit, aut illi, qui regnum hoc fuga deseruerunt, nec Balduinus, is, qui quamquam substitit in Belgio, laboravit tamen nihilominus conscientia sceleris, unquam sunt in jus a Pontifice vocati, ne dum pœna ab eo affecti, quod in tam turpe, et nefarium negotium consensissent. » Ad hoc tertium caput facilis est et expedita responsio. Non est consuetudo summi Pontificis homines in jus vocare, et multo minus pœnis afficere, quos nullus accusat, vel de quorum criminibus nulla exstant indicia, nulli testes. (*b*) Si Balduinus, quem unum nominas (nam cæteros, qui sint, tamen aliqui sunt, divinare non possumus) infamia hujus criminis laborasset, is certe a Serenissimo Archiduce Alberto optimo et justissimo principe non fuisset permissus publice in Belgio, et in ipsis primariis civitatibus degere, sed quoniam neque ii, qui tamquam auctoritates sceleris ultimo supplicio affecti, diu sæpeque examinati Balduinum nominarunt inter complices, aut conscios, neque aliquid adversus eum in Anglia probatum erat ; ideo neque summus Pontifex, neque ulli alii Catholici principes illum in jus vocandum esse censuerunt. Quare auctor Apologiæ excusari non potest a magna temeritate, et levitate, quod sine ulla rationabili causa summum Pontificem Christi vicarium, supremum, et sapientissimum principem reprehendere voluerit eorum criminum, quorum suspicio ne privatis quidem hominibus adhæret, nisi probabiles causæ proferantur.

His expeditis, transit adversarius ad aliud paradoxum. Nam cum hactenus probare conatus sit plurimos imperatores, aut reges sibi a Pontifice timuisse, et Jacobum regem multas timoris causas habuisse : nunc tamen quia degeneres animos timor arguit, ut poeta dicit, contendit falsum esse quod rex suus unquam timuerit : « Neque tamen, inquit, quantumcumque stupens admiretur, pœnicum hunc terrorem esse, quo rex laborat, unquam evicerit. Ecquidem enim Papam pro securitate sua rex obsecravit ? Ecquidnam alios principes Christianos amicos suos, et necessarios cohortatus est, ut apud Papam pro ipso interpellarent ? Ecquid aut præsidium ab ipsis ullum emendicavit, quo incolumitati suæ satis consultum videri posset ? nihil minus. » Hæc ille, qui videat ne regem suum, dum constantem videri vult, temerarium faciat. (*c*) Nam si tot magni reges, et imperatores Papam timuerunt, ut paulo ante tam longa digressione demonstrare conatus est ; an non erit rex suus temerarius, si timere nolit, quod tanti reges timuerunt ? sed juramentum propositum, quo exigitur a singulis ut jurent, non posse Papam ulli concedere, ut aliquam violentiam aut damnum personæ majestatis suæ inferant. Item ut jurent se, non obstante qualibet sententia excommunicationis, vel declarationis, personam regis defensuros, et revelaturos omnes conspirationes, et proditiones contra ipsum, et alia similia, quæ in eo juramento continentur, satis aperte ostendunt, post pulverariam conjurationem regem magno timore fuisse correptum, ac de his satis.

Pag. 81. Transit auctor ad aliam partem Epistolæ Cardinalis Bellarmini, et examinat similitudinem desumptam ex oratione S.

(*a*) *Garnettus maluit mori, quam revelare confessionis secretum.* — (*b*) *P. Guilielmus Balduinus.* — (*c*) *Auctoris Apologiæ inconstantia.*

Gregorii Nazianzeni : dicit autem nullam esse similitudinem inter Julianum, et Jacobum, nisi quod ille erat imperator, iste est rex. At Bellarminus (a) non posuit summam similitudinis in comparatione Juliani cum Jacobo, sed in comparatione rei cum re, fraudis cum fraude, negotii cum negotio. Sed tamen quia placuit auctori Apologiæ conferre etiam personas, insistamus ejus vestigiis, et consideremus dissimilitudines Juliani imperatoris, et Jacobi regis : « Principio, inquit, Julianus fuit Apostata, totique fidei Christianæ renunciavit, quam olim professus fuerat, et denuo in Ethnicum, vel potius in Atheum conversus est : rex noster Christianus est, nec unquam deseruit eam religionem, quam propemodum cum lacte imbibit, nec professionem suam aliquando erubuit. » Hæc ille; sed non est verum, Julianum in Atheum fuisse conversum, cum e contrario ab unius Dei cultu, ad multorum Deorum venerationem transierit, ut potius polytheus, quam atheos dici debuerit. (b) Jacobus autem, cum Catholicus non sit, neque Christianus est. Sic enim loquitur sanctus Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 10 : « Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus. » Quibus verbis satis aperte declarat, eum Christianum non esse, qui hæreticus est. Et clarius ac fusius sanctus Athanasius orat. 2. in Arianos, non procul ab initio, multis argumentis probat, nullum hæreticum proprie dici posse, vel esse Christianum. Et multo antea sanctus Cyprianus lib. IV. epistol. 2. ad Antonianum scripserat : « Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. » Jacobum autem regem non esse Catholicum testis est auctor Apologiæ, qui in singulis ferme paginis hujus libri nomen Catholici illis relinquit, qui Romani Pontificis Religionem sequuntur : qui autem Catholicus non est, hoc ipso hæreticus est. Catholicus enim atque hæreticus contraria sunt, ut dies et nox, ut lumen et tenebræ. Neque omnino verum est, Jacobum numquam deseruisse Religionem, quam primo susceperat. Nam ex parentibus Catholicis natus, Catholico ritu Baptismum, ac per hoc Catholicam Religionem, fidemque suscepit. Sed injuria temporum in educatores sectarios incidit, qui eum ex Christiano Calvinistam fecerunt. Et si vera sunt, quæ narrantur ab iis, qui eum intime noverunt, cum in Scotia Puritanus, et Protestantium inimicus esset; nunc in Anglia Protestans est, et Puritanorum adversarium se gerit. Pergit : « Julianus contra Christianos se convertit tantummodo quod in confessione causæ Christi perstarent : rex noster hac in re cum subditis agens, id tantum spectat, ut nota exstet aliqua, qua distingui possit inter subditos fideles, et perfidos. » At nos supra non semel ostendimus, quemadmodum Julianus Christianos vexabat Religionis Christianæ causa : sic etiam regem Jacobum multis pecuniariis, carceribus, exiliis, extremo supplicio Catholicos vexare, quod religionem Catholicam noliot desercre, et hoc ipsum Juramentum eo tendere, ut fides Catholica de potestate summi Pontificis abnegetur. Pergit : « Juliani finis fuit Christianorum eversio : regi nostro finis non alius propositus est, quam ut fidem Christianam in statu tranquillitatis atque otii tueatur. » At nos contra videmus Jacobo regi finem propositum esse, sectam Protestantium in statu tranquillitatis et otii tueri, et ad eum finem obtinendum, primum Catholicos omnes, deinde etiam Puritanos opprimere. Pergit : « Julianus eo tendebat, ut homines adduceret ad idololatriam patrandam : rex noster eo tantum, ut subditos suos adducat ad manifestam promissionem naturalis suæ fidei ac civilis obedientiæ, hac velut tessera obsignandam. » Cur igitur in toto juramento civilis obedientia, et naturalis fides ne semel quidem nominatur, perpetuo autem potestas summi Pontificis abneganda proponitur ? Pergit : « Julianus eam rationem præ cæteris inivit, ut subreperet incautis, et non cogitantes illaquearet : regis nostri tota ratio, quam sequitur hac in re, plana est et evidens, omnique procul obscuritatis integumento ; siquidem nec veniam ulli unquam negavit eorum, qui ad jurandum vocarentur, deliberandi secum per otium commentandique de eo, in quod juraturus esset. Et si quis forte interpretationem requireret, suppeditavit item omnem, quantam quisque postularet. » Sed istam planitiem, et evidentiam nos crassiores, et simpliciores minime cernimus. Fingitur enim juramentum ad civilem obedientiam in rebus mere temporalibus exigi, et tamen verba juramenti ad potestatem Pontificiam evertendam ma-

(a) *An rex Angliæ possit Juliano Apostatæ comparari.* — (b) *Quod hæreticus non sit Christianus.*

xima ex parte referuntur. Neque dicitur manifeste, Ego juro Pontificem Romanum non esse caput Ecclesiæ, vel, Ego, juro regem Angliæ caput esse Ecclesiæ Anglicanæ in spiritualibus. Si enim hoc diceretur, nemo deciperetur : sed dicitur : Juro non esse parendum excommunicationi Pontificiæ. Juro Pontificem non posse absolvere subditos ab obedientia regis. Juro Pontificem ab hoc juramento me liberare non posse, quia legitima, plenaque auctoritate mihi ministratum est, et simul, ut hæc minus offendant, permiscentur multa de proditionibus, de conspirationibus, de regia persona a violentia, et cædibus liberanda : quæ cum omnes naturaliter horreant, fit, ut totum juramentum incaute suscipiatur, ne qui illud recusaverit, in suspicionem proditionis vel conspirationis incidat. Pergit : « Sed summa dissimilitudo in eo vertitur, quod Julianus eos impulit, ut idololatriam perpetrarent statuis, imaginibusque colendis. Rex noster, omnesque ejus subditi, qui quidem de Religione cum eo sentimus, adeo longe absumus ab hac culpa, ut a vobis hæretici, vel eo nomine censeamur, quod ab idololatria patranda tam longe refugiamus. » Immo vero in hoc ipso maxima similitudo est : (a) nam Julianus voluit quidem Christianos ad idololatriam pertrahere, sed occulte, et sub colore civilis adorationis. Imago enim imperatoris sine crimine a Christianis adorabatur ; quia sciebant imagini imperatoris cultum civilem exhiberi, ut ipsi imperatori exhibebatur. Sed Julianus imaginem suam ita pingi jusserat, ut in tabula sive linteo Jovis quoque imperatorem coronantis imago cerneretur ; ut qui imaginem imperatoris adorabat, simul Jovis imaginem adoraret. Et quoniam Jovi, qui Deus a gentibus credebatur et ejus imagini non civilis cultus, sed divinus exhiberi solebat ; hac fraude Julianus Christianos, sub colore civilis honoris imperatori debiti, ad cultum divinum imagini Jovis exhibendum, id est, ad idololatriam patrandam, et vero Deo cultum denegandum adducebat. Atque hoc est omnino, quod rex Anglorum imitatus est. Proposuit enim juramentum, quo sub colore civilis obedientiæ in temporalibus regi debitæ, eidem regi obedientia sacra ut primati in spiritualibus præstaretur, et eadem obedientia vero Ecclesiæ totius primati denegaretur, ut supra satis aperte demonstratum est.

Quod autem auctor cultum imaginum Christi, et Sanctorum idololatriam vocat, non est mirandum, cum, ut ipse confitetur, unus hic articulus sit inter multos, quorum causa hæretici Protestantes a nobis Catholicis censeantur (b). Neque enim imaginum sacrarum cultus idololatria dici potest, nisi ab iis, qui imagines Christi et Sanctorum idola videri volunt. Et quoniam idolum est imago falsi Dei, propter quod Apostolus, nihil esse idolum, pronunciavit in Epist. 1 ad Cor. c. VIII. quia videlicet imago est rei nusquam existentis, non possunt adversarii idola vocare imagines Christi, et Sanctorum, nisi existiment Christum falsum esse Deum, et Sanctos ejus falsi Dei amicos, et servos esse; et denique Christum, et Sanctos nusquam esse, et nihil esse, quæ existimatio sitne hæretica necne, ipsis adversariis judicandum relinquimus. Certe synodus septima generalis ante annos circiter nongentos anathema dixit iis, qui Christi, et Sanctorum imagines idola nominare præsumpserint.

Venio nunc, omissis conviciis, et nugis quæ ad rem non pertinent, ad exemplum allatum ex lib. II Macchabæorum. Sic igitur Auctor Apologiæ loquitur pag. 85 : « Ac primo, inquit, (c) quod ad Eleazarum attinet, si Archipresbytero ratio esset recusandi juramentum a rege oblatum, tam bona, tamque constans, quam fuit Eleazaro, cur a porcinis carnibus gustandis abstineret ; adhiberi a Cardinale non sane inscite posset hoc exemplum ad suum institutum comprobandum. » Et infra : « Sed cum fundamentum malum sit ac vitiosum, ædificium super impositum non potest ullo modo esse diuturnum. Quod enim exemplum, quæso, reperitur in universa sacra Scriptura, quo recusatio juramenti a rege oblati, vel detractio obedientiæ erga regem præstandæ stabiliatur? » Ego vero audeo dicere, meliorem causam habere Catholicos juramenti recusandi, quam Eleazarus habuerit carnis porcinæ non gustandæ. Quamvis enim auctoritas imperandi utrobique sit eadem : tamen materia, de qua præceptum traditur, omnino diversa est ; ibi enim de carne porcina non gustanda, hic de potestate capitis Ecclesiæ non abneganda lex datur, et, opinor,

(a) *Aptissima similitudo Regis cum Juliano.* — (b) *Quid sit idolum proprie, et idololatria.* — (c) *De exemplo Eleazari.*

adversarius non negabit potestatem capitis Ecclesiæ rem esse longe sublimiorem carne porcina, sed in eo semper adversarius vel decipitur, vel decipere alios nititur, quod affirmat in juramento a rege proposito, nihil aliud contineri, nisi civilem obedientiam regi esse præstandam. Hæc enim causa est, cur quærat exemplum in Scriptura divina, quo detractio obedientiæ stabiliatur. Nam si advertere vellet eo juramento potestatem summi Pontificis labefactari, et everti; facile exemplum inveniret; nec solum exemplum, sed etiam præceptum divinum, quo potestas summi sacerdotis evidentissime stabilitur. Nam Deuteron. XVII. satis aperte legimus *(a)*: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, sententia Judicis morietur, et auferes malum de Israel;* et Num XVI. videmus horrendum judicium Dei in Core, Dathan, et Abiron, quos una cum familiis ipsorum terra absorbuit, et descenderunt vivi in infernum propter schisma, et defectionem a Moyse, et Aaron, qui tunc summi Sacerdotes erant, et Ecclesiam Domini legitime gubernabant. In novo autem Testamento non imperatori vel regi, sed Apostolo Petro, quem Vicarium suum super familiam suam Christus constituit, ab ipso Christo dictum scimus: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis,* Matth. XVI.(1), et cum eidem mandavit Joan. ultimo, ut oves gregis sui utique omnes pasceret, simul etiam ovibus mandasse credendum est, ut ab eo se pasci, regique humiliter, obedienterque permitterent.

Quod autem adversarius adjungit de juramento Saülis I Regum XIV. ad rem nihil facit. Primum enim non tractamus de juramento servando, sed de juramento suscipiendo. Deinde juramentum Saülis omnino temerarium fuerat; et ideo judicio totius populi mortem evasit Jonathas, qui illud non servaverat. Sed tamen placuit Deo, ut Jonathas propter juramentum non servatum in vitæ discrimen adduceretur, ut Saül ipse proprii filii jacturam faciens, de juramento temere suscepto pœnas daret.

Pag. 88. transit auctor Apologiæ ad *(b)* exemplum sancti Basilii, quod Bellarminus in epistola sua posuerat, et multa dicendo nihil dicit. Cavillatur primum a Bellarmino omissa esse tamquam sibi contraria, verba illa Theodoreti de sancto Basilio, imperatoris quidem amicitia magni se pendere cum pietate, qua remota perniciosam esse dicere. Sed Bellarminus non librum Theodoreti describere, sed quod ad rem suam faciebat, adducere voluit: tantum autem abest, ut eam sententiam sibi contrariam esse judicet, ut eam libentissime, gratissimeque suscipiat. Nam et ipse amicitiam regis Anglorum magni pendit cum pietate, sed ea remota perniciosam esse dicit, sed videamus quibus rationibus adversarius Bellarminum refellit, quod ad exemplum sancti Basilii pertinet, omissa longa narratione, quæ ad id solum adhibita est, ut liber grandior redderetur: « Jam, inquit, comparet qui vult causam sancti Basilii cum causa Archipresbyteri. Nam alioqui nec orthodoxum regem docuit cum tam Ariano atque hæretico imperatore conferre. Basilius tentatus est, ut Arianus esse vellet: Lis nulla mota est Archipresbytero de causis fidei. Basilius, nisi verbum ei divinum obstitisset, imperatori libens obtemperasset: cum archipresbytero illud agitur, ut obtemperare non nolit, quamvis id ab eo verbum Dei exigat. Basilius permagni fecit gratiam imperatoris, si salva pietate eam promereri potuisset, Archipresbyterum hortatur cardinalis, ut rejiciat, etsi consentaneum sic pietati, ut amplectatur. » At Bellarminus regem orthodoxum cum imperatore hæretico non composuit *(c)*, sed regem cum imperatore, non Catholicum cum Ariano, vexantem Catholicos cum persecutore Catholicorum recte conferri posse existimavit. Porro Basilius tentatus quidem est, ut Arianus esse vellet, sed sub colore subtilitatis dogmatum tentatus est. Non enim Basilio dictum est: Esto Arianus, vel noli esse Catholicus, sed noli propter modicam dogmatum subtilitatem imperatori resistere. Sic igitur et archipresbyter non aperte tentatus est, ut primatum Apostolicum abnegaret, sed occulte, et sub colore civilis obedientiæ regi præstandæ. Quod autem lis nulla mota sit archipresbytero de causa fidei, nescio qua fronte dicere audeat, qui scit illum Catholicæ fidei causa comprehen-

(1) Matth. XVI, 19.

(a) Exempla Scripturæ de potestate Summi Pontificis. — (b) De exemplo S. Basilii. — (c) In quibus rex Angliæ conveniat cum Juliano Apostata.

sum, et post juramentum præstitum adhuc in carceribus detineri; ut omittam quod in ipso juramento plurimæ sententiæ sunt, nihæ ad potestatem summi Pontificis labefactantem pertinent. Neque verum est cum Archipresbytero id tantum agi, ut obtemperare non nolit, quamvis id ab eo verbum Dei exigat. Num archipresbyter jam obtemperavit, etiam si verbum Dei ab eo contrarium exigeret. Verbum enim Dei est: *Oportet obedire Deo magis, quam hominibus*, Actor. IV. Denique falsum est etiam illud, quod Bellarminus hortatus sit archipresbyterum, ut gratiam regis rejiciat, etsi consentaneum sit pietati, ut eam amplectatur. Bellarminus enim de gratia regis amplectenda vel rejicienda, ne verbum quidem fecit in epistola sua, sed hortatus est archipresbyterum, ut pœnitentiam agat de juramento nimis facile suscepto, quod salva conscientia, et pietate suscipi non poterat.

Pergit auctor Apologiæ pag. 91. et Bellarminum reprehendit, quod lapsum *(a)* archipresbyteri cum lapsu S. Petri Apostoli, et sancti Marcellini Pontificis comparaverit: quorum ille Christum negavit; iste idolis sacrificavit. Addit etiam historiam de lapsu sancti Marcellini a Cardinale Baronio non sine magna causa in dubium revocari. Sed Bellarminus Archipresbyteri lapsum multo fuisse minorem illis verbis testatus est: Qui sancti Petri, et sancti Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris, etc. Neque similitudinem posuit in lapsu, sed in causa, quomodo enim ex imbecillitate animi, et timore pœnarum sancti illi viri ceciderunt; ita fieri potuit, ut archipresbyter ex aliqua simili imbecillitate caderet. Parum autem refert utrum historia de lapsu S. Marcellini certæ fidei sit, an dubiæ, satis enim est ad exhortationem, quod ea historia communi consensu recepta sit, ut etiam Baronius ipse testatur.

Transit deinde pag. 94. ad auctoritatem sancti Gregorii, quam Bellarminus in epistola sua adduxit, ut probaret quanti momenti sit primatum Apostolicum denegare. Ac primum miratur, cur sanctum Gregorium Apostolum Anglorum, nominaverit. « Cur Gregorium, inquit, apostolum nostrum vocarit, nescio. » Recte miratur, ac dicit se id nescire, quoniam Protestantes Angli non sanctum Gregorium Apostolum, sed Martinum Bucerum, et Petrum Martyrem apostatas sectæ suæ auctores habent. Sed Bellarminus Venerabilem Bedam secutus est, qui sanctum Gregorium in Historia gentis suæ Anglorum Apostolum nominavit. Addit, debere sancti Gregorii successores vestigiis prædecessoris insistere in eo, quod missi a sancto Gregorio nullam exercuerunt muneris sui partem, nisi pace, permissuque regis: quomodo etiam missi a sancto Eleutherio locum suum in hac provincia Regia auctoritate obtinuerunt: « Quod si, inquit, hodierni Pontifices his insistere vellent majorum suorum vestigiis, equidem nec fugitivos alieni principis foris exciperent, nec eosdem rursus domum remitterent (non solum absque ulla venia principis, verum etiam manifesto contra ipsius leges) cum consiliis, et doctrina meram rebellionem spirante, ad subditos absolvendos ab obedientia sua erga legitimum regem suum et principem. » *(b)* Utinam sic Angli Protestantes retinuissent doctrinam sancti Gregorii, et sancti Eleutherii, ut moderni Pontifices prædecessorum suorum vestigiis diligenter insistunt. Sed ad rem. Non negamus cum bona venia principum, et cum ipsorum gratia, et pace prædicandum esse Evangelium, quando ea patest haberi: sed si principes resistant, non ideo prædicationem omittendam esse docent nos Scripturæ divinæ, et exempla majorum. Certe quando Christus Dominus jussit Apostolis, ut euntes in mundum universum prædicarent Evangelium ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum, et ubique ordinavit Ecclesias, Episcoposque constituit; non legitur auctoritatem a Principibus quæsivisse, vel accepisse, quod idem de aliis Apostolis dici potest. Quando autem Diocletianus, et Maximianus imitati prædecessores suos, prædicari Evangelium, et Christianos fieri prohibuerunt; non ob id tamen prædicatio Evangelii, vel gentium conversio, aut Ecclesiæ ædificatio, repugnantibus licet imperatoribus cessavit. Et quando principes hæretici, Constantius, Trasimundus, Hunnericus, et alii Catholicos nullo loco esse patiebantur; Catholici tamen illis invitis, et resistentibus, vel palam, vel occulte fidem Catholicam prædicabant. Atque ut vel *(c)* unum exemplum antiquitatis referam, Eusebius Samosatenus Episcopus, ut scribitur

(a) Comparatio lapsûs Archipresbyt. cum lapsu S. Petri. — (b) Angliæ conversio a S. Gregorio. — (c) Exemplum insigne.

in Historia tripartita lib. VII. cap. 16. in Thraciam exilio deportatus ab Ariano Principe, cum videret Ecclesias pastoribus desolatas, habitu militari suscepto, Syriam peragrabat, et Phœnicem pariter, et Palæstinam, presbyteros ordinans atque diaconos aliaque Ecclesiæ obibat officia. Hunc sanctum Episcopum imitantur illi, quos vos fugitivos appellatis : qui quidem, ut Deo magis obediant quam hominibus, non dubitant cum periculo vitæ in patriam redire, quamvis princeps lege posita reditum interdixerit. Nam et ille sanctus Episcopus longe a patria in exilium deportatus fuerat, ut a fide Catholica conservanda cessaret ; sed principis impii mandata contemnens mutato habitu redibat, et ecclesiastica obibat officia, ut regis Christi præcepta compleret. Quod autem dicit adversarius de consiliis proditoriis, et doctrina rebellionem spirante, ad calumnias pertinet. Nam etsi fuerunt, qui proditionis consilia inierint ; ea tamen non ex doctrina Catholica, neque ex recta ratione, sed ex desperatione, ut supra diximus, hauserunt. Quod postremo adjungit de absolvendis subditis ab obedientia erga legitimum regem et principem, jam supra docuimus supremum Ecclesiæ universæ rectorem id juris habere, ut si princeps ab Ecclesiæ unitate per hæresim, vel schisma deficiat, possit eum excommunicare, vel excommunicatum declarare, et subditos ejus a fide et obedientia liberare. Neque esse hanc novam doctrinam, sed in concilio Lateranensi omnium maximo et celeberrimo approbatam ; atque usu Christiani populi per multa sæcula receptam.

His quasi prolegomenis expeditis, accedit Auctor Apologiæ ad explicanda verba sancti Gregorii, quæ a Bellarmino dicit esse contra mentem et sensum Gregorii allegata. Verba hæc sunt in epistola 12. lib. XI. « Ne Apostolicæ Sedis reverentia ullius præsumptione turbetur : tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur injuria, et Canonum manet incolumis, atque intemerata semper auctoritas ». Quæstio autem est, (*a*) quid per Caput fidei significetur. Nos enim ipsum Gregorium, ut summum Pontificem Caput fidei dictum esse affirmamus, id est, Caput fidelium, Caput Ecclesiæ, Caput, per quod Ecclesia fidem et discit, et docet. Adversarius contradicit his verbis pag. 97. « Quod Gregorius illo vocabulo Capitis fidei, caput ac nostræ fidei aut Religionis prædicaverit, consistere nullo modo potest cum reliqua ejus doctrina, atque scriptis. Primum enim cum alius universalis Episcopi titulum occuparet, Gregorius dicere non dubitavit : Quicumque illud nomen sibi assumeret, præcursorem esse eum Antichristi : qui titulus longe infra eum est, quo quis Caput fidei nominetur. » Respondeo, argumentum nihil omnino concludere ; quoniam vocabulum Episcopi universalis in eo sensu, quo a sancto Gregorio accipitur, hierarchiam Ecclesiasticam penitus destruit : vocabulum autem capitis fidei hierarchiam eamdem constituit. Is enim dicitur apud Gregorium Episcopus universalis, qui solus Episcopus ita esse cupit, ut nullos alios esse patiatur Episcopos : sic enim sanctus Gregorius loquitur lib. VII. epist. 69. « Si unus universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis » ; et lib. IV. epist. 36. « Si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur » ; et epistol. 34. ejusdem libri : « Triste valde est, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater solus conetur appellari Episcopus. » Et certe in hoc sensu hierarcha universa tollitur, atque confunditur, quæ ex episcopis, archiepiscopis, Patriarchis sub uno capite summo Pontifice constituitur, quæ eadem non tollitur, sed constituitur, dum unus aliis præsidet, eosque in unitate conservat. Merito igitur sanctus Gregorius universalis Episcopi vocabulum exhorruit : vocabulum autem Capitis libenter accepit. Sed auctor Apologiæ sentiens argumenti sui debilitatem, subjungit et ait : « Dabit mihi veniam Bellarminus, ut id de uno Gregorio dicam, quod ille de multis, et sæpe dicit ex omni numero Patrum : Minus caute locutus est ». Allegat autem duo loca ex libris Bellarmini, unum ex lib. II. de Christo cap. 2. alterum ex lib. II. de Pontifice cap. 10. sed adversarius non bona fide, ut alias monui, scripta Bellarmini refert. Nam lib. II. de Christo cap. 2. id solum Bellarminus dicit, non sequi doctrinam Patrum, quando in eadem sententia omnes conveniunt, non quando unus aliquid proprii docet repugnantibus cæteris, tunc enim minus credimus uni, quam multis. Neque in hoc loco invenitur illud, Minus caute locutus est. In libro vero II. de Pontifice cap. 10.

(*a*) *Quid sit caput fidei in S. Gregorio.*

non de sanctis Patribus, sed de Nicolao Lyrano dixit, Minus caute locutus est. Cum igitur sanctus Gregorius unus sit ex Patribus sanctis, et quod scripsit non repugnet doctrinæ cæterorum ; non recte de eo dici potest hoc loco, Minus caute locutus est : sed adversarius tandem sententiam suam sine ambagibus explicat, cum addit : « Igitur ut Apostolum nostrum ex ejus manibus eximamus, ad nosque revocemus, ut noster porro sit in hac causa, non illius : est hoc quidem verum, quod dicit hoc loco, sed eo tamen sensu quo dicit : Cum disturbare, aut imminuere, aut abolere molimini jus auctoritatemque Ecclesiæ, quæ penes regium caput residet intra suas ditiones, atque fines, caput ejus abscinditis, summoque Gubernatore injuriam facitis, et totius corporis compagem, ac membra turbatis. » Hæc ille, qui vere sanctum Gregorium a nobis abstulit, atque ad se revocavit, cum illum arte mirabili ex Catholicæ Ecclesiæ præsule, in Protestantem hæreticum transformaverit. Sed tanta est hæc audacia, et impudentia, ut mirum sit ejusmodi expositionem in hominem sanæ mentis cadere potuisse. Nam sanctus Gregorius de Sede Apostolica, non de rege loquebatur, cum diceret : « Illud autem admonemus, ad Sedis Apostolicæ reverentia nullius præsumptione turbetur », ac deinde id probavit, dicens : « Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur injuria ». Quis igitur non videt caput fidei Sedem Apostolicam nominari? Adde quod in ea epistola de usu pallii sermo est, et monet sanctus Gregorius Archiepiscopum Panormitanum, ut sacro pallio ab Apostolica Sede ad se transmisso, utatur iis tantum locis, et temporibus, quibus utuntur alii similes Sacerdotes : neque præsumat aliquid ultra ea, quæ a Sede Apostolica concedantur ; atque ad hoc propositum ponit verba, quæ supra recitata sunt : Quid in hoc negotio habent reges? quid regibus cum pallio, quod est insigne archiepiscoporum? Sed auctor Apologiæ hac impudentia non contentus, quasi planum fuisset, jussu summi Pontificis per immissos sicarios reges cædi consuevisse ; admonet, Papæ et Cardinalibus suggerendum esse, quod sanctus Gregorius lib. VII. epist. 1. per Sabinianum præfectum imperatoris jubet suggeri Mauritio : « Si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa ; sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido ». Sicut autem adversarius in eo deceptus est, quod Sabinianum, ad quem scribit sanctus Gregorius, existimavit præfectum imperatoris fuisse, cum esset diaconus Cardinalis Ecclesiæ Romanæ, et qui sancto Gregorio in Pontificatu successit ; ita decipere alios voluit commemoratione illius suggestionis, quam nihil omnino ad rem facere, ex iis quæ supra demonstravimus, intelligi potest. Summi enim Pontifices non occulte per sicarios, sed publice per censuras Ecclesiasticas cum Principibus inobedientibus agunt.

Transit deinde pag. 99. a S. Gregorio ad (*a*) sanctum Leonem, cujus tres sententias Bellarminus in Epistola sua posuerat, et quoniam verba S. Leonis non poterat ulla ratione pervertere, sanctum Leonem audacter reprehendit, quod dum sanctum Petrum immodice laudat, ipse sibi nimium tribuat. In quo discipulum se Calvini demonstrat, qui lib. IV. Institut. cap. 7. cum nihil haberet, quod evidentissimis testimoniis hujus sanctissimi Pontificis responderet, transiit ad convicia, ac Leonem avidum gloriæ, et dominationis plus nimio fuisse contendit. Neque contentus fuit auctor Apologiæ sanctum Leonem ambitionis notasse, quem tota semper antiquitas ut doctissimum atque optimum Pontificem, et sanctitatis gloria excellentissimum venerata est ; sed addidit etiam falsam historiam. Scripsit enim pag. 101. « Contendebat, inquit, tunc temporis cum eo de primatu Patriarcha Constantinopolitanus ; et in concilio Chalcedonensi, Episcopi sexcenti, et quod excedit, æqualem auctoritatem illius sedis Patriarchæ adscripserunt ; nec privilegium Romanæ sedis supra Constantinopolitanam ullo modo passi sunt ; sed contra eum decretis suis suffragisque pugnarunt ». Hæc ille. Sed verum quidem est Patres concilii Chalcedonensis tribuere voluisse Episcopo Constantinopolitano paria privilegia : falsum tamen est, quod de Primatu cum Episcopo Romano Constantinopolitanus Patriarcha contenderet, paria enim privilegia intelligebant respectu inferiorum ; sic tamen, ut Romanus

(*a*) *De S. Leone Pontifice.*

Pontifex primum locum haberet, ut semper habuerat. Constantinopolitanus autem ad secundum ascenderet, qui locus Alexandrini Episcopi ante fuerat. Id probamus primo ex ipsis verbis concilii Chalcedonensis, ubi legimus, Patres concilii voluisse renovare canonem concilii Constantinopolitani. Canon autem concilii Constantinopolitani hic fuit : « Constantinopolitanæ Civitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma ». Secundo probamus ex epistola concilii Chalcedonensis ad Leonem, qua petiit confirmari decreta sua : in qua epistola nullam mentionem faciunt parium privilegiorum, solum dicunt se renovasse canonem secundæ Synodi, quo secundus honor Episcopo Constantinopolitano tribuebatur. Tertio probamus ex ipso Leone, qui epistola 59. respondens ad concilii litteras, et in multis aliis epistolis ad imperatorem, et ad varios Episcopos de hac causa, nusquam meminit parium privilegiorum ; sed ubique acriter damnat Episcopi Constantinopolitani ambitiosam cupiditatem, quod se Alexandrino atque Antiocheno Episcopo anteponere voluisset. Quarto probamus ex sancto Gregorio, qui affirmat Constantinopolitanum Episcopum subjectum fuisse Episcopo Rom., etiam quando jam obtinuerat, quod in secunda et quarta synodo definitum erat. Sic enim scribit lib. VII. epistol. 63. ad Joannem Siracusanum : « De sede, inquit, Constantinopolitana quis dubitet eam Apostolicæ Sedi esse subjectam ? quod et dominus piissimus imperator, et frater meus Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assidue profitentur ». Falso igitur auctor Apologiæ scripsit concilii Chalcedonensis Patres nullo modo passos esse, ut Romana sedes supra Constantinopolitanam privilegium ullum haberet : ut etiam illud, Episcopum Constantinopolitanum cum Romano Pontifice de Primatu Ecclesiæ contendisse. Addit postremo sanctum Leonem, quamvis nimis multa sancto Petro tribuerit, nihil tamen Cæsari ademisse, sed et honoris vocabula, et auctoritatis privilegia, et potestatem convocandi concilia arbitratu suo ei tribuisse : id, quod probat ex epist. 9. ad Theodosium ; ubi sic legimus : « Si pietas Vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis Episcopale Concilium », et ex epist. 16. ad Flavianum : « Quia Clementissimus imperator, pro Ecclesiæ pace sollicitus Synodum voluit congregare, quamvis appareat, rem de qua agitur, nequaquam Synodi indigere tractatu », et ex epist. 17. ad Theodosium : « Quamvis ad diem concilii Episcopalis, quem Pietas Vestra constituit, occurrere me nulla ratio permittat ». Ad hæc loca breviter respondemus, (*a*) negari non posse quin in conciliis Generalibus indicendis, aliqua esset imperatoris auctoritas : neque enim decebat, ut in Civitatibus imperatori subjectis, tanta Episcoporum multitudo conveniret, sine consensu et voluntate imperatoris, sæpe etiam imperatores pii de communi bono Ecclesiarum, et pace solliciti, concilia fieri cupiebant, et annuente Pontifice indicebant, sed neque illud negari debet, præcipuam auctoritatem in iisdem indicendis conciliis fuisse apud summum Pontificem, ita ut sine consensu Pontificis maximi nulla concilia rata fuerint : sine consensu autem imperatoris multa fuerint rata. Ac ut aliqua testimonia adducamus, in conc. Chalcedonensi act. 1. jubetur Dioscorus non sedere inter Episcopos, eo quod synodum facere ausus fuerit sine auctoritate Apostolicæ Sedis : « Quod, inquiunt, numquam factum est ». Et in septima synodo act. 6. irritum judicatur concilium quoddam Constantinopolitanum, quod ab imperatore congregatum fuisset, sine consensu Apostolicæ Sedis. Et in concilio quarto Romano in causa Symmachi, cum Episcopi aliquot Theodorico regi, qui synodum convocaverat, libertate Sacerdotali dixissent, ab ipso Papa debuisse concilium convocari : respondit rex id ipsum per litteras Symmachum Pontificem postulasse. Et cum Episcopi litteras Pontificis videre cupivissent, rex continuo jussit ostendi. Simile est quod legimus apud Theodoretum lib. v. Hist. cap. 9. in epist. Concilii ad Damasum : « Mandato, inquiunt Patres, litterarum superiore anno a vestra Reverentia ad sanctissimum imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus ». Proinde Theodosius quidem concilium indixerat, sed ex mandato litterarum Pontificis Damasi. Quale est etiam, quod habemus in Epistola Adriani II ad Basilium imperatorem, quæ lecta est in octava Synodo act. 1. « Volumus, in-

(*a*) *Num penes Impp. sit potestas indicendi Concilia.*

quit Papa, per Tuæ Pietatis industriam, Constantinopoli numerosum convocare Concilium ». Item id quod scribit Sixtus Papa III. sancti Leonis prædecessor in epistola ad Orientales : « Augustus, inquit, Valentinianus nostra auctoritate Synodum convocavit ». Denique addamus unum ipsius etiam Leonis Pontificis testimonium. Is in epist. 93. quæ est ad Turbium : « Dedimus, inquit, litteras ad fratres et Episcopos nostros, eisque concilium synodi generalis indiximus ». Ac de his hactenus, quæ in libris Catholicorum Scriptorum fusissime disputata inveniuntur.

Pag. 102. aggreditur auctor aliam digressionem. « De uno vero verbo, inquit, quod ab ea ponitur in media quasi turba exemplorum, non sane possum, quin eum vehementer collaudem. Id autem unum, hoc est : quod omne genus supplicii, ipsamque adeo mortem Martyres tolerare oporteat, potius quam unam syllabam divinæ legis corrumpi sinant. Ad quam amussim si ipse se exigeret, et reliqui ejusdem fidei cum illo professores sese componerent, nec Eucharistia jam administraretur sub una specie contra evidentissimam Christi institutionem, contra praxim Apostolorum, institutumque totius primitivæ Ecclesiæ per non pauca sæcula : (*a*) Nec vero Missæ privatæ successissent in locum Cœnæ Dominicæ, nec verba canonis Missæ verbis opponerentur sanctorum Lucæ et Pauli ; in quo habemus adversarium nostrum confitentem reum, et omnino reconciliari ea posse negantem inter se ». Hæc ille, qui quam vere loquatur in iis, quæ sine ulla probatione dicit de communione sub una specie, et de missis privatis; (*b*) intelligi poterit ex mendacio, quod adjungit de oppositione verborum Canonis ad verba sanctorum Lucæ et Pauli. Et quoniam habere se dicit Bellarminum adversarium confitentem reum, et ea reconciliari inter se posse negantem, adscribemus ipsa Bellarmini verba ex loco quem ipse allegat. Sic igitur scribit Bellarminus lib. IV. de Sacramento Eucharistiæ cap. 14. « Secundo calumniatur Kemnitius detracta esse illa verba ex consecratione panis, Quod pro vobis traditur, vel frangitur. Respondeo, illa verba non haberi apud Matthæum, et Marcum, nec apud Justinum Apologia secunda, Cyrillum catechesi 4. Mystagogica, et Eusebium Emissenum homil. 5. de Paschate : cum tamen ii omnes referant formam consecrationis. Et sicut hos auctores reprehendere non possumus; ita nec nostram reprehendere ullus deberet, præsertim cum antiquior sit liturgia nostra, si a sancto Petro prodiit (ut S. Thomas docet 3. p. quæst. 18. art. 2. ad 4. et ante eum Leo IX. in epistola ad Michaelem cap. 3.) quam Evangelium Lucæ, et Epistola Pauli, qui addiderunt illa verba : *Quod pro vobis frangitur.* » Hæc sunt verba, in quibus auctor Apologiæ dicit contineri oppositionem verborum canonis missæ ad verba Lucæ et Pauli; et ex quibus gloriatur se habere adversarium confitentem reum, et negantem ista posse ullo modo inter se conciliari. At ubi est in his verbis ulla mentis oppositionis? ubi est contradictio irreconciliabilis ? ubi confessio rei ? Docet Bellarminus Canonem Missæ optime se habere, etiam si in eo desint pauca illa verba : *Quod pro vobis frangitur.* Probat primo, quia consecratio panis est apud Matthæum et Marcum sine illis verbis, quod est argumentum certissimum, ea verba non esse de essentia consecrationis; alioqui enim, qui habebant Evangelium solius Matthæi, vel solius Marci, non recte consecrationem peregissent. Probat secundo, quia Justinus Martyr, Cyrillus Hierosolymitanus, et Eusebius Emissenus referunt verba consecrationis sine illis verbis. Probat tertio, quia liturgia nostra latina censetur a sancto Petro tradita ; proinde verba consecrationis, quæ sunt in nostro Canone reprehendi non possunt, etiamsi careant illis verbis, quæ sunt addita a sanctis Luca et Paulo : quæ verba non sunt contraria verbis Canonis, alioqui essent etiam contraria verbis sanctorum Matthæi et Marci, sed nulla est contrarietas. Nam Matthæus et Marcus brevius ; Lucas et Paulus paulo fusius rem eamdem scribere voluerunt.

Jam vero quoniam Bellarminus in Epistola sua meminerat (*c*) Nicolai Sanderi, eumque laudaverat, ut hominem de Ecclesia Anglicana optime meritum; auctor Apologiæ respondet pag. 104. Sanderum fuisse quidem optime meritum de Ecclesia Angloromana, sed meritum pessime de regina Anglicana, et universo regno. Id ut probet, describit aliquot sententias ex libris ejus, quas ironice

(*a*) *Mendacium circa Missas privatas.* — (*b*) *An Catholici discedant a verbo Dei.* — (*c*) *De Nicolao Sandero.*

aureolas vocat : sed eæ sententiæ nobis vere aureæ esse videntur : quas tamen omittimus hic adscribere, quia nec adversarius ad eas refellendas aliquid attulit ; et nos librum nostrum ex alienis scriptis augere non voluimus.

Pag. 106. reprehendit Bellarminum, quod prope finem Epistolæ suæ scripserit : (*a*) Joannem Roffensem et Thomam Morum mortem oppetiisse pro hoc uno gravissimo dogmate de Primatu Pontificis ; ac probare nititur eos mortem oppetiisse, non pro hoc uno dogmate, sed etiam quod approbare noluerint secundum matrimonium regis Henrici : et affert ipsa verba Thomæ Mori ad judices : « Non ignoro, inquit, cur me morti adjudicaveritis, videlicet ob id, quod nunquam assentire voluerim in *negatio* matrimoniii regis, et tandem subjicit Auctor Apologiæ : Quæ meo judicio valde carnalis causa Martyrii fuit. » At Bellarminus non dixit Joannem Roffensem et Thomam Morum pro hac sola causa Primatus mortem oppetiisse ; sed pro hac una causa duces fuisse plurimis ad martyrium. Ill enim, qui regnante Elizabetha necati sunt, non pro causa matrimonii, sed pro causa primatus necati sunt : illis autem duces ad Martyrium Roffensis et Morus fuerunt. Quod autem duo isti clarissimi viri pro Primatu Pontificis asserendo, et primatu regis detestando mortui sint, auctor Apologiæ negare non potest, nisi verborum suorum oblivisci velit, quæ in hoc ipso libro pag. 48. habentur. « Sub Henrico, inquit, octavo primum introductum est juramentum primatus ; sed eoque Thomas Morus et Roffensis supplicio affecti, idque partim ob eam causam, quod juramentum illud recusarent. » Sed neque causa matrimonii a causa primatus tantum differebat, ut non posset etiam ad primatus causam revocari, quod enim in quæstionem tunc vertebatur circa matrimonium, illud erat : Utrum summus Pontifex dispensare potuisset, ut Henricus Catharinam uxorem fratris sui Arthuri jam defuncti duceret. Posita enim legitima dispensatione, Catharina legitima Henrici uxor erat, at vero legitima uxore vivente, non poterat Henricus Annam Bolenam conjugem accipere. Ex quo sequitur ut Roffensis et Morus, qui mori maluerunt, quam secundum matrimonium approbare, pro legitima potestate summa Pontificis in dispensando mortem oppetierint. Cui autem carnalis causa martyrii suscipiendi videtur esse causa illegitimi matrimonii, is poterit etiam irridere sanctissimum Præcursorem Domini nostri, quod carnalem causam martyrii habuerit, quem constat ab Herode occisum, quod ejus illegitimum matrimonium libere improbaret.

Quod vero contra B. Martyrem Roffensem auctor adducit pag. 109. Universalem atque Catholicum Ecclesiæ Anglicanæ consensum, ac dicit universalitatem apud Bellarminum esse notam veræ Ecclesiæ, omnino ridiculum est. Quasi Christianæ Ecclesiæ universitas, ad unius Insulæ angustias redigi debeat : et quasi non sciamus Catholicum illum consensum Ecclesiæ Anglicanæ, nihil fuisse aliud, nisi consensum partim hominum adulatorum, partim vi, et metu compulsorum, cui consensui opponere Roffensis potuisset consensum Orbis terræ, id est Ecclesiarum Catholicarum toto terrarum orbe diffusarum.

Simile est, quod addit pag. 110. Perpaucos fuisse e popularibus, nullos autem ex insignioribus viris, qui Roffensem et Morum pro hoc dogmate ad Martyrium secuti sunt. (*b*) Nos enim ex historiis prope innumerabiles omnium generum adducere possemus, qui ab anno 1535. (quo anno duo illa lumina occubuerunt) usque ad hunc annum 1608. tum regnante Henrico, tum regnante Elizabetha, tum regnante Jacobo, pro fide primatus Apostolici sanguinem effuderunt. Consulat, qui carnificinam horribilem spectare cupit, librum septimum Nicolai Sanderi de visibili Monarchia, librum ejusdem de Anglicano schismate, Commentarium Laurentii Surii de rebus gestis in Orbe terrarum ab anno 1500., librum de vita et Martyrio Carthusiensium Monachorum, et alios similes libros non paucos.

Ad extremum auctor Apologiæ confirmare aggreditur ex verbis Dei primatum regium in spiritualibus ac primum producit multa argumenta ex testamento veteri : quæ ut ab ipso cursim producuntur ; sic etiam a nobis cursim refutabuntur.

Primo : (*c*) « Sub veteri, inquit, testamento reges proprie erant gubernatores Ecclesiæ. 2. Chron. 19. 4. » At ne nomen quidem Ecclesiæ eo loco legitur : et in eodem capite distinguitur officium regis ab officio

(*a*) *De Joanne Roffensi et Thoma Moro.* — (*b*) *Martyres qui secuti sunt Roffensem et Morum in Anglia.* — (*c*) *Quæ scripturæ testimonia offerantur pro regis primatu.*

Pontificis, Amarias Sacerdos et Pontifex in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit : Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent. Non igitur rex primatum habebat in spiritualibus, cum ea ad officium ejus non pertinerent.

Secundo, « Reges corruptelas purgavere, abusus sustulere. II Sam. v. 6. » At nihil ejusmodi legitur in loco citato, nisi sit error in numeris, quamquam etiam non negamus, posse ac debere reges corruptelas, et abusus, sive etiam in doctrina, post Ecclesiæ declarationem, legibus et suppliciis purgare ac tollere.

Tertio : « Arcam ad constitutum quietis locum perduxere. I. Chron. 13. 12. et eidem Arcæ deportandæ ipsi præsultavere. II. Sam. vi. 14. » At non soli reges, sed etiam Sacerdotes communi consilio Arcam deduxerunt : et licuit quidem Davidi regi ludere ac saltare ante Arcam, quod humilitatis et reverentiæ erat : non tamen licuit illi Arcam contingere quod potestatis Sacerdotalis erat.

Quarto : « Templum ædificavere, I. Chron. 28. ædificatum dedicavere, et suis corporibus opus consecrationis præsentes cohonestavere, II. Chron. 6. » At sicut templa ædificare, Deoque dicare, ad magnificentiam regum, et sacris solemniis, quibus templa consecrantur, interesse ad pietatem eorumdem regum pertinere concedimus : ita negamus in ipso templo Pontificale munus attingere illis ullo modo posse permitti. Ex quo sequitur, ut primatus in spiritualibus regi nulla ratione conveniat, cujus rei testis esse potest rex Ozias, qui cum se caput Ecclesiæ esse arbitraretur, velletque incensum adolere Domino, continuo a Sacerdotibus non repulsus fuit : et cum Sacerdotibus acquiesceret, mox adfuit vindicta divina. Nam lepra divinitus percussus, non solum ex Templo expelli meruit ; sed etiam in domo separata habitare coactus est. II Paral. xxvi.

Quinto : « Librum legis de novo repertum populo recitari fecere. II Reg. xxii. 11. » At nescio ubi invenerit auctor iste librum de novo inventum, populo jussu regis legi debuisse. Nam in nostris Bibliis loco ab ipso notato, habemus librum in templo a pontifice inventum et lectum : deinde lectum etiam coram rege, et regem misisse aliquos, qui consulerent Dominum super verbis libri. Sed quid hic est pro primatu regis in rebus Ecclesiasticis, et spiritualibus ?

Sexto : « Fœdus inter Deum, populumque redintegravere. Nehem ix. 38. et II Reg. viii. 4. » At nulli erant reges apud Judæos tempore Nehemiæ : quomodo ergo reges fœdus redintegravere inter Deum et populum ? Non igitur reges, sed primores Judæorum tum Levitici generis, tum etiam aliarum tribuum fœdus iterum percusserunt cum Deo ; sed illud tamen admittimus, quamvis scriptum non sit neque Nehem. xi. 38 neque II Regum viii. 4. ad reges pertinere, redintegrare fœdus inter Deum, et populum : quoniam ipsi reges fuerunt in causa, cur populus per idololatriam a Deo recederet. Addo quod IV Regum 15. Pontifex percussit fœdus inter Deum, ac regem, ac populum.

Octavo : « Reformationes publicas instituere, convocatis eo fine, et congregatis mixtim cum sacerdote laicis. II. Chr. 17. 8. » Non invenio loco notato ejusmodi reformationem : sed solum quod miserit Josaphat multos ex Levitis, et Sacerdotibus, aliisque viris doctis, qui populos docerent. Ista vero missio studium ac zelum regis ostendit ; primatum in spiritualibus non ostendit. Ad primatum enim proprie pertinet docere, et legis divinæ dubia explicare, quod munus non regi, sed summo sacerdoti tribuitur. Deut. xvii, cui omnes sub pœna ultimi supplicii parere tenebantur.

Nono : « Pontificem summum exauctorave re, aliumque in ejus locum subrogavere. I Regum ii. 27. » At Pontifex quoque reginam non solum exauctoravit, sed etiam interfici jussit, et regem alium subrogavit. IV Regum xi. et aliud est facta regum referre, aliud auctoritatem, potestatemque probare, ut omittam, quod factum illud Salomonis ex I Reg. ii. tribui solet Salomoni, non ut regi, sed ut prophetæ, extraordinariam potestatem divinitus obtinenti.

Decimo : « In summa, inquit, cuncta moderati sunt, quæ ad Ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinuere. » At hic oportuit allegare verbum Dei, non *in particularibus* illis officiis, de quibus non controvertitur. De hoc enim quæstio est, an regi conveniat regimen Ecclesiasticum ; non autem an liceat regi templa ædificare, ante Arcam Domini saltare, idololatras interficere, et alia id genus ; sed hic, ubi minime oportuit, deseruit auctor Apologiæ Verbum divinum. « At, inquit, Scripturæ ornant reges titulis

honorariis, qui ab actionibus illis non discordant, vocantur enim filii Altissimi, imo vero dii, et uncti Domini, in Dei solio sedentes, famuli Dei, imo Angeli Dei, facti juxta cor Dei, lumina Israelis, nutricii Ecclesiæ. » Sed primus titulus, pro quo allegatur locus II. Samuelis VII. non convenit regibus generatim, sed solum Salomoni, ut figura Christi erat, de quo dictum est ab Angelo : *Et filius Altissimi vocabitur*, Lucæ I., quamquam in Deuteron, cap. XXXII. toti populo dicitur, *Nonne ipse est Pater tuus, qui fecit te, et creavit te?* et nos omnes Deo dicimus : *Pater noster qui es in Cœlis?* Secundus titulus non solis regibus, sed omnibus judicibus convenit, sive Ecclesiastici, sive politici sint. Sic enim locum ab Auctore citatum. Psalm. LXXXII. *Ego dixi dii estis*, intelligendum esse docent illa verba ejusdem Psalmi : *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat : usquequo judicatis iniquitatem*, etc. Locus quoque ex libro Exodi allegatus cap. XXII, de judicibus, non de regibus intelligitur, quia nulli tunc erant reges in populo Dei. Tertius titulus communis est regibus cum Pontificibus : utrique enim apud Hebræos ungebantur, apud nos autem multi reges non unguntur, nulli autem Pontifices sine sacro oleo consecrantur. Quartus titulus non scio unde huc irrepserit. Nam in lib. II Samuelis cap. III. 10. qui locus ad marginem allegatur, thronus David legitur, Solium Dei non legitur. Quintus titulus nimis est vulgaris ; quippe qui convenit omnibus rebus creatis, de quibus dicitur. Psalm. CXVIII. *Quoniam omnia serviunt tibi.* Sextus titulus in loco allegato lib. II Samuelis cap. XIV. soli Davidi tribuitur, non ob regiam potestatem, sed ob singularem sapientiam, qua præditus erat. De Sacerdote autem generatim scribit Malachias cap. II. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ab ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Septimus titulus proprius est Davidis, non communis omnibus regibus ; alioqui etiam Saul, et Hieroboam, et Achab, et cæteri fuissent secundum cor Dei. Octavus magis convenit Sacerdotibus, quam regibus : illi enim erant lucernæ ; vel, ut auctor loquitur, luminaria Israel : istis autem Dominus dicit : *Vos estis lux mundi* (1), Matth. V. Nonus titulus vere, proprieque regibus convenit, ut sint nutricii Ecclesiæ, sed tanto est inferior eo titulo, qui convenit Sacerdotibus, ac præcipue summis Pontifibus ; quanto nutricius est inferior parente. Summum enim Pontificem Patrem esse Christianæ plebis sanctus Augustinus dicit in epistol. 161, et totius Orbis Christiani usus confirmat. Quare, si nihil aliud habet auctor Apologiæ ex verbo Dei, unde Primatum regis in rebus Ecclesiasticis stabiliat ; vere possumus affirmare, non ex verbo Dei, sed ex verbo Henrici VIII. Primatum istum in Angliam esse invectum.

Sed auctor Apologiæ quasi jam ex Testamento veteri fundamenta solidissima jecisset, addit pag. 112. (a) ex Testamento novo reliquam ædificationem. « Quid, inquit, in novo Testamento ? Omnis anima iis subjici jubetur, idque propter conscientiam, Rom. XIII. Orandum quidem, et pro omnibus, sed præcipue pro regibus, et in auctoritate constitutis, ut sub iis plam et pacatam, honestamque vitam degamus I. Tim. II. Magistratus Dei administer est, et ad vindicandos facinorosos, innocentes autem atque probos remunerandos, Rom. XIII. Omnibus quidem obtemperandum est superioribus potestatibus ; sed potissimum principibus, et in eminentia collocatis, I. Petr. II. Reddite unicuique quod suum est, timorem cui timor, amorem cui amor jure debetur, Rom. XIII. Date Cæsari quæ Cæsaris sunt, Deo quæ Dei sunt : Matth. XXII. Regnum meum non est hujus mundi, Joan. XVIII. Quis me constituit judicem super vos ? Lucæ XII. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, Luc. XXII. »

Hæc sunt omnia testimonia verbi Dei, quæ adversarius pro primatu regis in spiritualibus ex novo Testamento allegare potuit. Ad quæ unico pene verbo responderi potest. (b) Ex his testimoniis nihil effici pro primatu regis in spiritualibus, nisi velimus reges Paganos, et Ecclesiæ persecutores factos esse a Deo supremos Ecclesiæ gubernatores in rebus spiritualibus. Nam hæc testimonia ad imperatores Paganos pertinent, quales erant cum Testamentum novum scriberetur, videlicet ad Tiberium, Caium, Claudium, et Neronem. Et quamvis aliquæ sententiæ ex ci-

(1) Luc. I, 31 ; Deut. XXXII. 6 ; Psalm. LXXXII. 6 ; Exod. XXII, 1 ; Psalm. CXVIII, 91 ; Malach. II, 7 ; Matth. V, 14.

(a) *De eadem re ex Testamento novo.* — (b) *Responsio ad loca testamenti novi allata pro regis primatu.*

tatis convenire possint etiam regibus Christianis, aliquæ etiam ad omnes principes tum Ecclesiasticos, tum sæculares jure pertineant, qualis illa est : *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, tamen nemo inficiari potest, quin regibus quoque paganis conveniant, ut quæ doctrinam contineant principibus omnibus communem, sive Pagani, sive Christiani sint. Alioqui frustra Petrus, et Paulus Christianos sui temporis admonuissent officii erga reges, sive imperatores, quos Paganos esse ignorare non poterant. Ac nemo est, qui non videat, quam sit absurdum, ut reges Pagani qui non sunt de Ecclesia, primatum habeant in Ecclesia : et qui Christi hostes sunt, vicarii Christi sint : et qui Christi abnegari, et idola coli jubent, iis a Christianis in spiritualibus, ut summis gubernatoribus sit obediendum. Deinde quales argumentationes istæ sunt, et secundum quam regulam dialecticæ concludunt, reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic : ergo rex primatum habet in Ecclesia in rebus spiritualibus ? Vel, regnum meum non est hujus mundi : ergo rex est supremus gubernator, etiam in causis ecclesiasticis ? Vel : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo :* ergo Papa nullum jus habet in Anglia, nec etiam quoad spiritualia ? Credo equidem, si adversarius libros Priorum Analyticorum Aristotelis summa diligentia annis multis evolveret : numquam medium terminum in his argumentationibus inveniret. Quæ cum ita sint, desinat adversarius in Scripturis sanctis ludere, earumque testimoniis abuti ad eum Primatum stabiliendum, quem non solum Ecclesia Catholica semper detestata est ; sed etiam Calvinus ipse cum schola Genevensi numquam approbavit : et quem in ipsa Anglia, ut a regia cupiditate exortum, ipsi etiam Puritani molestissime semper tulerunt.

Venio nunc ad ea, quæ auctor Apologiæ pagina 114. et 115. ex Bellarmini scriptis attulit in medium, ad invidiam illi conflandam ; quasi parum honorifica, vel etiam injuriosa principibus, et suprascriptis titulis contraria sint.

(a) Primo : Ponit Bellarminus, reges servos potius esse quam dominos, lib. de laicis cap. 7. in lib. Anglice scripto, ad augendam invidiam, reges non servi qualescumque, sed mancipia nominantur.

Respondeo, sententiam Bellarmini ex Augustino desumptam esse, qui sic ait lib. XIX. de Civitate Dei cap. 14. « Qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare. » Ubi qui imperant, non dicuntur servi quasi subjecti sint populis, sed quia laborant regendo, et imperando, non propter suam vel utilitatem, vel cupiditatem, quod tyrannorum est ; sed propter populi utilitatem, et propter publicum bonum : quomodo B. Paulus servum se Corinthiorum appellavit II Corinth. IV. quia in eorum commodum laborabat ; et tamen in eos potestatem habebat, eisque minabatur, dicens : *Quid vultis ? in virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis ?* I Corinth. IV. quomodo etiam Magnus Gregorius servum servorum Dei se nominabat : quem titulum, ut valde honorificum, successores omnes imitati sunt.

Secundo : Dicit idem Bellarminus, reges subjectos esse non solum Pontificibus, sed etiam Presbyteris, et Diaconis, lib. I. de Pontif. cap. 7.

Respondeo, id Bellarminus non ex capite suo, sed ex S. Joan. Chrysostomo accepisse, cujus hæc verba sunt homil. 83. in Matth. « Si Dux quispiam, si Consul, si is qui diademate ornatur indigne adeat, cohibe et coerce, majorem tu illo habes potestatem. » Hæc ille, qui ad diaconum loquebatur cum hæc diceret.

Tertio : Quod imperatorem non gravate bibere oporteat non solum post Episcopum, sed etiam post presbyterum. Ibidem.

Respondeo, neque id Bellarminum ex se affirmare, sed referre judicium S. Martini apud Maximum imperatorem discumbentis : quam historiam refert Sulpitius in vita S. Martini.

Quarto : Quod regum auctoritas, atque functio, non immediate ex Deo descendat, neque ex jure divino, sed duntaxat ex jure gentium. Ibidem, et lib. de Clericis cap. 28.

Respondeo, Bellarminum id asserere ex communi sententia omnium pene scriptorum, et ex ipso usu. Videmus enim regna in respublicas et respublicas in regna mutari, et tamen utrumque regimen æque justum haberi : quod nullo modo fieret, si regum auctoritas

(1) I Corinth. IV, 21.

(a) *Falsa Bellarmini ascripta.*

non ex humana voluntate, sed ex divino jure penderet.

Quinto : Quod a Pontificibus imperatores multi depositi fuerint ; nulli autem Pontifices ab imperatoribus, lib III. de Pontif. cap. 16.

Respondeo, Nusquam dicere Bellarminum nullum Pontificem fuisse depositum ab Imperatore : sed si illud etiam addidisset, verum dixisset : siquidem Joannes XII. et Gregorius VI. Etsi qui alii sunt, qui ab imperatoribus depositi fuisse dicantur ; non proprie ab imperatoribus, sed a Conciliis Episcoporum, imperatoribus procurantibus depositi fuerunt. Idque non legitime, sed per injuriam factum fuisse facile demonstrare possemus, et numquam legitimum Pontificem jure ab imperatore potuisse deponi.

Sexto : Quod Episcopis, qui mancipia sunt Papæ, deponere licet principes, et eorum leges rescindere.

Respondeo, merito non adscribi locum ex libris Bellarmini, quia ejusmodi locus non exstat in ejus libris. Neque Episcopi mancipia, sed venerabiles Fratres a summis Pontificibus appellantur.

Septimo : Quod Ecclesiastici homines tam longe supra principes sint, quam anima supra corpus, lib. de laicis cap. 18.

Respondeo, id non de quibuslibet Ecclesiasticis, sed de Principibus Ecclesiarum dici ; et eam sententiam apud S. Gregorium Nazianzenum in Oratione ad populum timore perculsum, et Præsidem irascentem, totidem verbis haberi.

Octavo : Quod reges deponi possunt per subditos suos ob multas causas, lib. v. de Pontif. cap. 8.

Respondeo, non bona fide adversarium agere. Bellarminus enim in loco citato, non dicit reges posse per subditos suos deponi, sed solum proferi duodecim exempla, partim ex Testamento veteri, partim ex Historiis diversis, vel decretis Ecclesiasticis, ex quibus constat reges, vel imperatores aliquando a summis Pontificibus fuisse depositos, de depositione per subditos ne verbum quidem.

Nono : Pontifices nullo modo deponi posse ; nemini enim mortalium permissum esse de iis judicare, lib. II. de Pontifice cap. 26.

Respondeo, quod Bellarminus scripsit, ante multa sæcula in generalibus Conciliis, quæ ipse eo loco citavit, disertis verbis scriptum esse : proinde adversarius, ut in superioribus, sub nomine Bellarmini, sanctos Patres Augustinum, Chrysostomum, Martinum, Nazianzenum reprehendit ; ita hoc loco non soli Bellarmino, sed etiam pluribus generalibus conciliis litem movere præsumpsit.

Decimo : Quod obedientia Papæ debeatur propter conscientiam, lib. IV. de Pontif. cap. 15.

Respondeo, adversarium satis feliciter progredi in accusatione Bellarmini : qui enim sub nomine Bellarmini sanctos Patres, et sacra concilia hactenus accusavit ; *nunc* tandem ipsum etiam Dei verbum et Spiritum sanctum accusat, quod intelliget, quicumque caput sequens, id est, caput sextum decimum libri IV. de Pontifice, legere voluerit. Nam eo loco multis, iisque perspicuis divinæ Scripturæ testimoniis ostenditur, non solum Pontificem summum, sed etiam Episcopos cæteros leges condere posse, quibus ob conscientiam parere subditi teneantur.

Undecimo : Quod obedientia regi non alio respectu debeatur, quam propter ordinem politicum, libro de Clericis cap. 28.

Respondeo, adversarium more suo calumniatorem se prodere. Neque enim eo loco Bellarminus disputat de obedientia, quæ regi a subditis debetur, de ea enim disputat in libro de laicis ; ubi cap. 3. et cap. 11. probat ex divinis litteris non solum deberi regibus, aliisque politicis magistratibus obedientiam ; verum etiam coram Deo, et propter conscientiam. In libro autem de Clericis cap. 28. demonstrat Clericos exemptos esse a jurisdictione principum sæcularium, ac per hoc non esse subditos regibus : sed debere tamen leges eorum de temporalibus rebus observare, *non vi legis, sed vi rationis* ; id est, non quia subditi sint, sed quia ratio dictat, ob commune bonum et pacem reipublicæ, eas leges ab omnibus esse servandas.

Duodecimo : Quod ipsi illi homines Ecclesiastici, qui et nati sunt et degunt in regnis Principum ; non tamen sunt eorum subditi nec ab iis judicari possint : ipsis autem fas sit principes suos judicare. Ibidem.

Respondeo, adversarium ad invidiam Bellarmino conflandam semper aliquid addere, quod in libris Bellarmini non invenitur. Affirmat quidem Bellarminus cum communi sententia Catholicorum, Ecclesiasticos exemptos esse a potestate Principum terrenorum : sed illas particulas (qui et nati sunt, et degunt in regnis Principum) Bellarminus in libro suo non posuit ; non quod veras esse

non existimet, sed quia non erat opus ad ista descendere ; sed Adversario opus fuit ista exprimere ad odium concitandum. Illud vero (ipsis autem fas sit Principes suos judicare) non solum Bellarminus non dixit, sed falsum esse credit. Hæc enim verba significant, Fas esse cuicumque Ecclesiastico, etiam maxime privato, principem suum judicare : quemadmodum unusquisque Ecclesiasticus, etiam maxime privatus, exemptus est a subjectione principis sæcularis. At unicuique Ecclesiastico, etiam privato, fas esse Principem suum judicare, Bellarminus numquam dixit, numquam credidit, numquam somniavit.

Decimo tertio : Denique quod obedientia, quam clerici tribuunt regibus, etiam in minimis mereque civilibus negotiis, non sit a necessaria aliqua subjectione, sed tantum ex discretione, et propter observantiam boni ordinis atque moris. Ibidem.

Io credo fermamente, perchè così ha rivelato Dio infallibile verità alla santa Chiesa Cattolica, e per mezzo di essa lo rivela anchè a noi, che ci è un solo Dio in tre persone divine eguali e distinte che si chiamano Padre, Figliuolo e Spirito santo; che il Figliuolo si fece uomo, prendendo per opera dello Spirito Santo carne ed anima umana nel ventre della purissima vergine Maria, morì per noi in croce, risuscitò, salì al cielo, e di là ha da venire alla fine del mondo a giudicare tutti i vivi ed i morti, per dar per sempre a' buoni il Paradiso, ed ai cattivi l'Inferno. E di più per lo stesso motivo credo tutto quello che crede ed insegna la medesima santa Chiesa.

ATTO DI SPERANZA.

Dio mio, perchè siete fedelissimo, onnipotente ed infinitamente buono e misericordioso, io spero che per i meriti della passione e morte di Gesù Cristo, nostro Salvatore, mi darete la vita eterna, la quale voi avete promessa a chi farà opere da buon cristiano, come propongo di fare col vostro santo aiuto.

ATTO DI CARITA.

Dio mio, perchè site sommo e perfettissimo bene, io vi amo con tutto il cuore, e sopra ogni altra cosa, e piuttosto che offendervi, son disposto a perdere ogni cosa, e per amor vostro voglio amare il mio prossimo come me medesimo.

ATTO DI CONTRIZIONE.

Dio mio, mi pento e mi dolgo con tutto il cuore dei miei peccati non solo per l'inferno che ho meritato e pel Paradiso che ho perduto, ma molto più mi pento, perchè peccando ho disprezzato un Dio infinitamente buono: vorrei prima esser morto, che avervi offeso, e per l'avvenire voglio prima morire che offendervi mai più, e voglio fuggir ogni occasione prossima di peccato.

FINE DELLA DOTTRINA CRISTIANA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DE

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DE

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS

TESTAMENTI VETERIS.

De Mose. Anno mundi 2483.

Moses Propheta sanctissimus et vetutissimus, et primus inter scriptores Ecclesiasticos, natus est, secundum meum computum, anno bis millesimo quadringentesimo tertio, ab initio mundi. Vixit annis centum viginti. Anno octogesimo vitæ suæ suscepit jussu Dei principatum Hebræorum, id est, anno mundi 2483. obiit anno mundi 2523. Scripsit Pentateuchum, id est, quinque volumina : quorum nomina ab Hebræis sumuntur a primis verbis librorum.

Itaque primum vocant Bereschit, id est, In principio.

Secundum, Ve elle semot, id est, Hæc sunt nomina.

Tertium Vaicra, id est, Vocavit autem.

Quartum, Vaiedabber, id est, Locutusque est.

Quintum, Elle addebarim, id est, Hæc sunt verba.

Græci et Latini denominant hos libros a materia, de qua agitur in principio libri, et quidem primum librum vocant Genesim, quia initio scribitur generatio cœli et terræ, et reliquarum rerum creatarum.

Exodum vocant librum secundum, quia initio describitur egressio filiorum Israel de Aegypto. Exodus enim egressum significat.

Tertium vocant Leviticum, quoniam in eo describitur officium Levitarum circa tabernaculum, sacrificia, et alia id genus.

Quartum vocant Numeros, quoniam initio libri numeratur multitudo filiorum Israel per tribus et familias suas.

Quintum vocant Deuteronomium, quasi secundam legem, quoniam in eo repetitur et explanatur lex Domini data in monte Sina.

Ex his libris intelligi potest, Mosem fuisse virum doctissimum, non solum in omni sapientia Ægyptiorum, ut dicitur a Sancto Stephano, Act. VII. sed etiam in arte historica, poetica, oratoria, morali, et theologica. Scribit enim historiam, genealogias, et res gestas Patriarcharum, ab orbe condito usque ad exitum filiorum Israel de Ægypto, id est, ab initio temporum usque ad annum bis millesimum quadringentesimum octogesimum tertium, imo etiam usque ad obitum suum, id est, usque ad annum bis millesimum quingentesimum vicesimum tertium. Quæ autem post mortem ipsius Mosis scribuntur in extremo capite Deuteronomii, addita sunt, vel a Josue, vel ab Esdra, vel ab alio aliquo Propheta.

Quod etiam poeta insignis fuerit Moses, testantur duo cantica ipsius, alterum, Exod. XV. alterum Deuteron. XXXII. De arte ipsius oratoria testatur Oratio, quam scribit sub nomine Judæ ad Joseph. Gen. XLIV. et alia ipsius Mosis ad Deum. Num. XIV. et exhortationes, vel reprehensiones ad populum. De scientia morali, et peritia legum condendarum, non tam proprio ingenio quam inspiratione divina, testis est magna pars Exodi, Levitici, et Deuteronomii. Denique de mysteriis theologiæ, sub figura Arcæ fœderis, et vestium sacerdotalium, et totius tabernaculi, testis Philo Hebræus, qui has allegorias subtilissime explanavit.

Scripserunt vitam Mosis Philo ex Judæis, et Gregorius Nyssenus ex Christianis. Tribuuntur Mosi Psalmi undecim a Sancto Hieronymo, et aliis : sed probabiliorem existimavi sententiam Sancti Augustini, et aliorum, qui totum psalterium Davidis esse volunt. De quare scripsi in præfatione Psalmorum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De Job.

Job, ad miraculum usque sanctus, et doctus, ante Mosem vixit. Nam ex sententia Hebræorum, et Sancti Hieronymi in quæstionibus Hebraicis, Job non descendit ab Esau, sed a Nachor fratre Abrahæ : et fuit tertius a Nachor fratre Abrahæ ac per hoc multo antiquior Mose. Quod etiam ex ætate colligitur. Job enim vixit centum quadraginta annis post plagas, ut dicitur in fine libri, et antea vixerat multos annos, cum septem filios et tres filias genuisset. Quare non male Sanctus Isidorus in lib. de vita et morte Patrum cap. 24. scribit, Job vixisse 248. annos, ad quam ætatem Mosis tempore nemo perveniebat. Mihi sententia Sancti Hieronymi semper visa est probabilior, tum propter distantiam ætatis, ut diximus : tum quia pronepos ille Esaü, non dicitur Job, sed Jabab, ut notum est ex Gen. cap. XXXVI. quo nomine nunquam vocatur Job, neque in libro Job, neque apud Ezechielem cap. XIV. neque Tobiæ primo, neque Jacobi quinto, in quibus solis locis fit mentio Sancti Job. Ac ut magis appareat differentia : sciendum, sanctum Job, ita scribi Hebraicæ אירב pronepotem autem Esau, ita scribi איוב ubi differentia est in ipsis radicalibus litteris. Quod autem aliqui respondent, litteram aleph, aliquando excidere, et nomina sæpe contrahi; non magni momenti est. Nam litteræ radicales non solent excidere : et si, Job, esset nomen contractum, aliquando legeretur integrum in libro, ubi passim nominatur : nusquam autem legitur, nisi Job.

At contra objicitur argumentum ex editione 70. Interpretum. Habetur enim in ea editione appendix ad finem libri Job, in qua dicitur, Jobum fuisse de filiis Esaü, et quintum ab Abraham. Sed ea appendix non videtur de textu 70. sed ab aliquo addita : alioqui non ita libere a Sancto Hieronymo rejiceretur. Sed quicquid de hoc sit, auctorem libri Job Sanctus Isidorus lib. VI. originum cap. 2. scribit fuisse Mosem, aut ipsum Job, aut alium ex Prophetis. Et quidem non pauci contendunt, auctorem libri fuisse Job, sed non pauciores volunt fuisse Mosem.

Mihi utraque sententia videtur vera, si ita dicamus, ab ipso Job fuisse annotatas res ejus gestas lingua Arabica : sed a Mose fuisse postea ex volumine Job compositum librum, quem nunc habemus lingua Hebraica, addito principio, et fine, id est, additis illis verbis, [Vir erat in terra Hus, nomine Job simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo;] et ad finem addita morte ipsius.

Quod autem liber, qui nunc exstat, sit Mosis potius quam Job; ideo mihi persuadeo, quia et Hebræi doctores ita sentiunt, et rationes non contemnendæ pro hac sententia possunt afferri.

Primum enim si Job esset auctor libri, qui nunc exstat, primus scriptor sacer esset Job, non Moses. Jam enim ex ætate ostendimus, et ex ipsa Scriptura, Jobum fuisse antiquiorem Mose. At communi consensu, Moses est primus scriptor Ecclesiasticus.

Deinde si Job esset auctor libri hujus, non esset hic liber in canonem Scripturarum ab Hebræis admissus. Job enim non fuit de filiis Israel, sed Idumæus, vel Arabs; Idumæi autem et Arabes pro hostibus habebuntur ab Hebræis.

Præterea liber Job Hebraice scriptus est, non Syriace, vel Arabice, quamvis aliqua vocabula Arabica in eo legantur, præsertim quando introducuntur loquentes amici Job : at Job, non Hebraice scripsit, si quid scripsit, sed lingua sua. Quod si non est Job auctor libri hujus, nulli melius tribui potest hoc opus, quam Mosi, qui fuit temporibus Jobi. Quod enim quidam dicunt, auctorem hujus libri esse Salomonem, ex auctoritate Sancti Gregorii Nazianzeni, oratione ad Julianum exactorem tributorum, non magnifaciendum est; nam Sanctus Gregorius non dicit, Salomonem esse auctorem libri Job, sed solum citat sub nomine Salomonis quædam verba, quæ habentur apud Job cap. III. Sed facile fuit ut Sanctus Gregorius ex lapsu memoriæ verba unius auctoris tribuerit alteri præsertim cum eo loco verbis, quæ sunt apud Job, adjunxerit etiam alia, quæ non sunt apud Job.

De Josue. 2523.

Josue filius Nun, successor Mosis fuit in principatu Hebræorum anno mundi 2524. qui populum post obitum Mosis rexit annis 26. et obiit anno centesimo decimo vitæ suæ, ut habetur in ultimo capite Josue. Quis auctor fuerit libri Josue, non est omnino certum. Nam Sanctus Athanasius in synopsi recte monet ex nomine libri non necessario

colligi auctorem, sed materiam. Dicitur enim liber Josue, quia continet res gestas Josue : et eadem modo dicuntur libri alii, vel Judicum, vel Ruth, vel Regum, vel Tobiæ, aut Judith, aut Esther, aut Macchabæorum. Theodoretus in lib. de quæstionibus in Josue existimat, librum Josue scriptum ab auctore anonymo, qui scripsit librum Justorum, de quo dicitur Josue x. « Nonne scriptum est hoc in libro Justorum? » Sed hoc argumentum nihil efficit. Nam non agitur eo loco, nisi de ingenti illo prodigio, quo, ad verbum Josue, sol et luna steterunt. Hoc enim prodigium cum aliis similibus videtur annotatum fuisse in aliquo libro, qui dicebatur liber Justorum.

Sanctus Isidorus lib. VI. originum cap. 2. affirmat, librum Josue scriptum fuisse ab ipso Josue. Et hoc verissimum nobis esse videtur, tum quia in extremo capite hujus libri dicitur de Josue, [scripsit omnia verba hæc in volumine legis Domini,] tum quia omnino credibile est Josue ministrum, discipulum, et successorem Mosis, imitari voluisse dominum et magistrum, et prædecessorem suum : ut sicut ille ad æternam memoriam litteris mandaverat res gestas in populo Dei usque ad sua tempora; ita et ipse faceret, cum ei nec scientia, nec assistentia Spiritus sancti in scribendis sacris historiis deesset. Porro pauca, quæ adduntur in fine libri de morte ipsius et sepultura, sine dubio scripta sunt a successoribus, quicumque illi fuerint, et verisimile est a Samuele, vel Esdra.

De Samuele Propheta. 2878.

Samuel Propheta fuit, ultimus judex et princeps populi, antequam reges creari cœpissent. Suscepit autem principatum anno mundi 2878. præfuit annis 20. Hunc fuisse auctorem libri Judicum, et Ruth, et libri primi Regum, docet Sanctus Isidorus lib. VI. Originum cap. 2. et quod attinet ad librum primum Regum, in quo continentur res gestæ Davidis, testatur liber primus Parali. cap. ult. eum scriptum fuisse a Samuele.

Dicitur etiam lib. I. Reg. cap. X. a Samuele fuisse scriptam legem regni : hæc non videtur exstare.

De Davide. 2919.

David rex et Propheta regnare cœpit anno mundi 2919. et regnavit annis 40. ut scribitur lib. III. Reg. cap. II. scripsit librum Psalmorum centum quinquaginta. Sic enim docent Chrysostomus, Theodoretus, Cassiodorus, Euthymius, et alii præfatione in Psalmos, et Sanctus Augustinus lib. XVII. de Civitate Dei cap. 14. Quamvis autem Sanctus Hilarius præfatione in Psalmos. et Sanctus Hieronymus in epist. ad Cyprianum, velint Psalmos esse compositos ab auctoribus, qui nominantur in titulis, ut a Mose, Salomone, Asaph, Chore, Idithun : tamen probabiliorem existimamus sententiam priorem. De qua re disseruimus prefatione in explanationem Psalmorum. Exstat quidem Psalmus quidam brevis extra numerum centum quinquaginta Psalmorum; sed eum apocryphum existimamus, quia Concilium Laodicenum cap. ultimo, et Tridentinum sess. 4. non ponunt in canonem Scripturarum nisi Psalmos 150.

Porro David non solum Prophetæ eximius fuit, sed etiam poeta venustissimus, et doctissimus : et scientiam habuit historiæ sacræ, legum divinarum, moralis et naturalis philosophiæ. Quæ omnia in Psalmis mirifice apparent.

De Gad. et Nathan. 2959.

Gad et Nathan Prophetæ prosecuti sunt res gestas Davidis, quæ habentur in libro primo et secundo Regum, et initio tertii, ab eo loco ubi desiit Samuel. Sic enim scribitur lib. I. Paralipom. cap. ultimo (gesta regis David priora, et novissima, scripta sunt in libro Samuel videntis, et in libro Nathan Prophetæ, et in volumine Gad videntis.) Ætas horum duorum Prophetarum necessario debet poni post obitum Davidis, qui obitus contigit anno mundi 2959.

De Salomone rege sapientissimo. 2959.

Salomon rex, Davidis regis filius, regnare cœpit anno mundi 2959. et regnavit annis 40. ut scribitur Regum lib. III. cap. 2. Scripsit sine ulla controversia libros tres, Proverbia, Ecclesiasten et Cantica canticorum. De libro Sapientiæ nonnulla quæstio est. Nam non habetur in codicibus Hebraicis, sed solum in Græcis, et Philoni adscribitur Judæo, teste Sancto Hieronymo, præfatione in Proverbia Salomonis. Sed tamen a veteribus Patribus communi consensu hic liber tribuitur Salomoni, ut notum est ex Eusebio, lib.

IV. hist. cap. 22; Tertulliano de præscriptione; Cypriano, de mortalitate; Hilario, in Psalm. CXXVII. Ambrosio, sermone 8. in Psal. CXVIII. Basilio, lib. V. in Eunomium; Epiphanio, hæresi Anomæorum, et Augustino, tract. in Psalm. LXIII. et ipse auctor libri Sapientiæ cap. IX. testatur, se fuisse regem in Israel, et sibi a Domino imperatum, ut templum ædificaret: quæ in Salomonem proprie conveniunt. Sed hæc discordia facile conciliabitur, si dicamus, sententias hujus libri esse Salomonis, sed collectas in unum volumen, et Græcis verbis expressas a Philone, non illo, qui tempore Caii imp. floruit, sed alio antiquiore. Josephus lib. VIII. antiquitatum cap. 2. refert a Salomone scriptos fuisse libros odarum et carminum quinque supra mille: et parabolarum libros ter mille. Item scriptas ab eo fuisse incantationes, quibus morbi curantur, et Dæmones pelluntur. Quæ videntur parum verisimilia; sed sive sint vera, sive falsa, certum est ea hoc tempore non exstare et fortasse ex verbis Josephi, occasionem acceperunt aliqui perditi homines tribuendi Salomoni librum perniciosissimum, qui inscribitur, Clavicula Salomonis.

De Ahia. et Addo. 3000.

Ahias et Addo scripserunt res gestas Salomonis, ut habetur in secundo libro Paralipomenon cap. IX. sive sint eæ, quæ narrantur in tertio libro Regum, sive res aliæ. Quis autem scripserit reliqua quæ habentur in libro tertio Regum, post caput undecimum, et in toto quarto, et in duobus libros Paralipomenon, non est omnino certum: sed credibile est scripta fuisse a sacerdotibus et Prophetis illorum temporum.

De Osea. 3170.

Prophetæ tam majores quam minores floruerunt post divisionem regni, quæ facta est post obitum Salomonis. Quo etiam tempore vixerunt auctores librorum Tobiæ, Judith, et Esther. Sed ut eos ordine disponamus, statuendum esse videtur ut certum, Prophetas minores eo prophetasse ordine, quo in Bibliis Hebraicis et Latinis collocantur quamvis in Græcis sit aliqua diversitas, et de Abdia et Habacuc sit non exigua difficultas. Ratio hujus fundamenti est, quia videmus, Prophetas majores sine ulla controversia suo ordine collocatos, ut Isaias præcesserit Hieremiam, et Hieremias Ezechielem, et Ezechiel Danielem. Item quia magna pars Prophetarum minorum sine ullo dubio ita collocati sunt, ut Oseas Joelem præcedat, et in fine Aggæus Zachariam, et Zacharias Malachiam, proinde colligi potest, omnes esse suo ordine dispositos: neque excogitari potest ulla ratio, cur prior tempore debuerit posteriori postponi: nisi eum classis (ut sic loquar) variatur. Majores enim Prophetæ suam classem faciunt, et minores quoque suam. Sed nos ex utrisque unam classem faciemus, ut secundum ordinem temporis omnes collocemus.

Primus omnium tam majorum quam minorum fuit Oseas, qui prophetavit, ut ipse testatur, in diebus Oziæ, Joatham, Achaz, et Ezechiæ, regum Juda, et in diebus Hieroboam filii Joas regis Israel. Annus autem quo regnare cœpit Ozias in Hierusalem, fuit vicesimus septimus, quo regnavit Hieroboam in Samaria, videlicet ter millesimus centesimus septuagesimus. Fuit autem Oseas de tribu Issachar, ut Epiphanius testatur: et jussu Domini accepit uxorem fornicariam, ut significaretur fornicatio populi, per idololatriam a Deo: et propter hoc peccatum prædixit captivitatem decem tribuum; et deinde captivitatem etiam duarum aliarum tribuum, quæ facta est per Nabuchodonosor.

De Isaia. 3190.

Post Oseam sequitur proxime Isaias primus ex majoribus. Quamvis enim tam Osee quam Isaias initio dicant, se prophetasse in diebus Oziæ, Joatham, Achaz, et Ezechiæ: tamen Eusebius in chronico, et Sanctus Hieronymus in primum caput Oseæ, scribunt Oseam fuisse primum, et Isaiam secundum in scribenda prophetia. Et videtur hoc posse confirmari tum ex illis verbis Oseæ. (Principium loquendi Domino in Osee;) quo significari videtur, inter multos, qui eodem fere tempore prophetaverunt, primum fuisse Oseam; tum ex eo quod Oseas addit, se visionem vidisse, non solum in diebus Oziæ, sed etiam in diebus Hieroboam, ut videlicet significaret, se visionem vidisse, et prophetasse ad initium regni Oziæ, quod concurrit cum fine regni Hieroboam: Isaias autem non meminit Hieroboam, quia non prophetavit in diebus ejus, ac per hoc non prophetavit ad initium regni Oziæ, sed postea. Sed quicquid sit de his rationibus, nos nitimur auctoritate Sancti Hieronymi, et Eusebii, qui Isaiam collocant post Oseam.

Isaias igitur unus est et primus ex majoribus Prophetis, scripsit librum magnum, imo etiam majorem quam ullus alius Propheta, et scripsit ante omnes alios Prophetas majores.

Dicuntur enim Prophetæ majores, qui singuli suos scripserunt libros integros; minores autem dicuntur illi, quorum prophetiæ omnes simul unico libro apud Hebræos continentur. Fuit vir nobilis ex tribu Juda, et facundissimus, ut ex ejus volumine quivis intelligere potest. Scripsit autem de adventu Christi, de nativitate ejus ex Virgine, de vita, de prædicatione, de regno, de miraculis, de passione, de sepultura, de aliis ejus mysteriis, ut Evangelista potius quam Propheta fuisse videatur. Scripsit etiam de vocatione gentium, et de gloria Ecclesiæ, plane admirabiliter. Obiit sub Manasse rege filio perditissimo Ezechiæ regis optimi; jussu ejusdem Manasse sectus in duas partes, crudelissimo supplicio, ut Epiphanius testatur in libro de vita et morte Prophetarum. Sed Deus eodem auctore Epiphanio, sepulcrum ejus gloriosum miraculis reddidit.

De Joel. 3195.

Græci post Oseam ponunt Amos: sed Hebraici et Latini codices ponunt Joel. Sed non est res magni momenti, quia fuerunt omnes isti tres Prophetæ synchroni, id est, contemporanei, ut Sanctus Hieronymus loquitur initio explicationis Oseæ. Et quia Joel non designat tempus, quo prophetaverit, intelligitur prophetasse sub eisdem regibus, ut scribunt Sanctus Hieronymus in caput primum Joelis, et Sanctus Augustinus lib. XVIII. de Civitate Dei cap. 27. et Theodoretus in prologo super duodecim Prophetas.

Porro Joel prædixit duabus tribubus, quibus Propheta datus erat a Deo, Babyloniam captivitatem, easque ad pœnitentiam hortatur, et in extremo vaticinio prædixit adventum Messiæ, et Spiritus sancti per eum mittendi, et ultimi judicii diem. Obiit in pace.

De Amos. 3195.

Amos prophetavit eodem tempore. Nam initio dicit se visionem suam vidisse in diebus Hieroboam filii Joas.

Prædixit ipse quoque captivitatem, et alia gravia flagella; et gravissime in scelera invectus, filio Amasiæ sacerdotis fuste inter tempora percussus interiit, ut Epiphanius testatur in libro de vita et morte Prophetarum.

De Abdia. 3195.

Abdias, ab Eusebio in Chronico, ponitur temporibus Achab regis Israel, ac per hoc longe ante Oseam, et Isaiam, et Joel, et Amos. Idem videntur sensisse Sanctus Hieronymus, et Sanctus Epiphanius. Abdias enim a Sancto Hieronymo in commentario creditur esse ille dispensator domus Achab regis, qui abscondit centum Prophetas, eosque pavit, quo tempore Jezabel uxor Achabi, Prophetas Domini persequebatur, de qua re loquitur Scriptura lib. III. Regum c. XVIII. sed Epiphanius hunc eumdem Abdiam Prophetam existimat esse illum quinquagenarium principem, cui pepercit Elias, ne ab igne de cœlo misso absumeretur. De qua historia Scriptura loquitur lib. IV. Regum cap. I. Neque dissentit Epiphanius a Hieronymo, quia potest fieri, ut ille, qui erat dispensator in domo Achab, postea factus sit dux militiæ in domo Ochoziæ filii Achab. Sed maxima difficultas est, quia idem Sanctus Hieronymus in primum cap. Oseæ scribit. Abdiam fuisse contemporaneum Oseæ, Joelis, et Amos, et quartum locum habere inter Prophetas minores: et non potest fieri, ut ille Abdias, qui vixit tempore Achab, pervenerit ad tempora Oziæ, et Ezechiæ, in quibus temporibus prophetarunt Osee, Joel, et Amos. Achab enim antiquior fuit Ozia, plus centum quinquaginta annis.

Contra autem videtur Abdias posterior fuisse non solum Osea, Joele, et Amos, sed etiam Michæa, et Jona, et aliis multis. Nam in prophetia sua meminit belli Chaldæorum contra Hierusalem, et captivitatis ejusdem urbis tamquam jam peractæ, et præteritæ, ut videatur collocandus post Hieremiam.

Mihi tamen placet sententia Sancti Hieronymi, qui (ut paulo ante dixi) facit Abdiam æqualem Oseæ, Joelis et Amos. Quod autem alibi dixit Prophetam Abdiam fuisse dispensatorem domus Achab, non ex mente sua, sed ex traditione quadam Judaica di-

xisse videtur, quæ traditio non alio fundamento nititur, nisi similitudine nominis, quasi non potuerint esse plures Abdiæ.

Quod autem hic Propheta meminerit captivitatis Babylonicæ, non cogit, ut sentiamus, illum prophetasse post captivitatem : nam more Prophetarum loquitur de captivitate illa futura per verbum præteriti temporis.

Igitur Abdias Prophetavit contra Idumæos, et non solum prædixit exitium eorum, sed etiam causam exitii, quia videlicet tempore captivitatis Babylonicæ futuri essent Idumæi socii Chaldæorum contra filios Israel.

Obiit hic propheta in pace, Epiphanio autore loco citato.

De Jona. 3193.

Jonas Propheta eodem tempore prophetavit, quo superiores Prophetæ, ut scribunt Sanctus Hieronymus in prologo Jonæ, Eusebius in chronico, et lib. x. de præparatione Evangelica cap. ultimo, et Sanctus Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 27. Prophetavit autem Jonas contra Ninivitas, et exitium illis prædixit. Et quamvis agentibus illis pœnitentiam Deus pepercerit : tamen postea reversis ad iniquitatem Deus exitium illis immisit, quod Jonas prædixit, ut habemus in libro Tobiæ cap. XII.

Sanctus Hieronymus in prologo Jonæ refert verba Tobiæ, quibus expresse dicitur, evertendam Ninivem, ut prædixit Jonas. Sed in nostro libro Tobiæ cap. XIV. non habetur nomen Jonæ, sed solum (prope erit interitus Ninive, non enim excidit verbum Domini).

Hunc Jonam scribit Epiphanius, in libro de vita et morte Prophetarum, esse puerum illum quem suscitavit Elias ad preces Viduæ Sareptanæ. Quod idem ex traditione Hebræorum refert Sanctus Hieronymus in prologo Jonæ. Quo fundamento nitatur hæc traditio, non scio, certe tempora parum cohærent.

De Michæa. 3223.

Michæas prophetavit paulo post supradictos. Scribit enim initio prophetiæ suæ : et prophetasse in diebus Joatham, Achaz, et Ezechiæ, et omittit Oziam, quem Oseas, Isaias, et Amos posuerunt. Proinde prophetavit initio regni Joatham, id est, anno mundi 3223. prædixit hic Propheta captivitatem primam decem tribuum : prædixit adventum Christi, et nativitatem in Bethleem, et conversionem gentium ad Ecclesiam Dei.

De Nahum. 3264.

Nahum Elcesæus prophetavit post abductas decem tribus in captivitatem a Salmanasar rege Assyriorum, ut testantur Sanctus Hieronymus, Theodoretus, et Theophylactus, in præfatione in Nahum; iidem volunt eum prophetasse tempore Ezechiæ : illo enim anno decem tribus in captivitatem ductas esse constat ex lib. IV. reg. cap. XVIII. Itaque tempus prophetiæ Nahum incidit in annum mundi 3264.

Prædixit hic Propheta exitium regis Assyriorum, et vastationem Ninive per Chaldæos. Et Judæis prædixit, non prævaliturum regem Assyriorum contra Hierusalem, sicut prævaluerat contra Samariam. Obiit in pace, teste Sancto Epiphanio, in lib. de vita et morte Prophetarum.

De Habacuc. 3283.

Habacuc prophetavit ante captivitatem duarum tribuum, ut docet Epiphanius in libro de vita et morte Prophetarum; et in chronico Hebræorum, quod Seder olam vocant; dicitur Habacuc prophetasse sub rege Manasse filio Ezechiæ, id est, post captivitatem decem tribuum. Manasses autem regnare cœpit anno mundi ter millesimo ducentesimo, octogesimo tertio.

Multi tamen graves auctores volunt, Habacuc prophetasse post captivitatem Babylonicam, ut Sanctus Hieronymus in prologo ad hunc Prophetam, Theodoretus, et alii. Ducuntur hi auctores illo argumento, quod Habacuc Propheta, Angelo eum rapiente, et deferente, attulerit prandium Danieli, in lacu leonum constituto; ac per hoc vixerit tempore Danielis, et ad initium imperii Cyri regis Persarum. Sed nos priori sententiæ adhæremus, quoniam ipse Habacuc disertis et multis verbis prædixit adventum regis Babyloniæ ad capiendos Judæos. Non est autem moris Prophetarum loqui de rebus præteritis per verba temporis futuri; sed e contrario prædicere futura per verba temporis præteriti. Annuntiare enim præterita, tamquam si essent futura, unusquisque potest sine spiritu prophetiæ. Ad argumentum autem de allatione prandii ad Danielem, facile responderi potest, non esse eumdem Habacuc Prophetam, unum ex minoribus, et Habacuc Prophetam, qui tulit prandium Danieli : sicut non est idem Michæas Propheta, qui vixit tempore Achab regis Samariæ, cum Michæa Propheta, qui unus est ex duodecim Prophetis minoribus.

Ergo Habacuc de tribu Simeon prædixit adventum Chaldæorum et Babylonicam captivitatem. Prædixit etiam vastationem eorumdem Chaldæorum, quæ facta est per Medos et Persas. Et tandem prædixit adventum Christi, passionem, resurrectionem, et secundum adventum in gloria.

De Sophonia. 3340.

Sophonias prophetavit, ut ipse testatur, in diebus Josiæ regis : et quia non designat Sophonias annum regni Josiæ, ut facit Hieremias, intelligendum est, Sophoniam prophetasse ad initium regni Josiæ, id est anno mundi ter millesimo, trecentesimo quadragesimo. Hoc enim anno cœpit regnare Josias. Porro hic Propheta concionatur contra peccata, et hortatur ad pœnitentiam, et prædicit excidium Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, et aliarum gentium. Prædixit etiam conversionem gentium, et ruinam idololatriæ. Denique prædixit Christi resurrectionem, Judæorum excæcationem, et exitium ultimum, et Ecclesiæ gloriam, et felicitatem.

De Hieremia. 3337.

Hieremias, Propheta secundus ex majoribus, prophetare cœpit anno tertio decimo regni Josiæ, id est, anno 3337. ab orbe condito, ut ipse initio libri sui testatur : et prophetavit usque ad annum undecimum Sedeciæ regis, qui fuit ultimus rex Hierusalem : et tunc completa fuit captivitas Babylonica. Fuit autem Hieremias ex tribu sacerdotali, vir mitissimus, et sanctissimus, et post multos labores et angustias lapidibus obrutus ab ingrato populo, vitam cum morte commutavit. Vide Epiphanium de vita et morte Prophetarum.

Scripsit autem vel dictavit insigne volumen, in quo populum, et Principes ejus, ad pœnitentiam multis sermonibus hortatus est. Prædixit imminentem ruinam Hierusalem, et templi domini, et totius regni. Prædixit multa de Christi adventu, de Testamento novo, deque aliis Christianis mysteriis apertissime.

Addidit Hieremias ad finem libri sui Threnos, id est, lamentationes, carmine scriptas, ordine alphabetico, quibus deplorat ærumnas gentis suæ corporales, et spirituales.

Addidit denique epistolam ad populum captivum in Babylone, qua hortatur illos, ut in fide veri Dei persistant, et ab idolorum cultu se abstineant; quam epistolam posuit Baruc in extremo libro suo.

De Baruc. 3366.

Baruc, minister, et amanuensis Hieremiæ, præter ea quæ scripsit Hieremia dictante, ut colligitur ex c. XXXVI. Hieremiæ, scripsit proprium volumen quinque capitibus comprehensum; nam sextum est epistola Hieremiæ. Prophetavit autem Baruc tempore Jechoniæ regis, ut ipse testatur initio sui voluminis. Regnavit vero Jechonias anno mundi 3366. et solis tribus mensibus regnavit. Proinde hoc ipso anno Baruc prophetavit, et prædixit apertissime Dei incarnationem, et apparitionem in carne humana. Et quamvis hic liber non inveniatur; tamen citatur passim a Patribus sub nomine Hieremiæ, et a Sancto Cypriano lib. II. contra Judæos cap. 5. et a Sancto Cyrillo lib. x. in Julianum citatur sub nomine Baruc.

Vide, si placet, defensionem hujus libri Canonici in nostris Controversiis lib. I. de verbo Dei.

De Ezechiele. 3371.

Ezechiel, tertius ex majoribus, prophetare cœpit (ut ipse testatur cap. I.) anno quinto transmigrationis Jechoniæ regis, qui fuit annus mundi 3371. Fuit ipse quoque de genere sacerdotali, vir optimus, et sanctissimus, et prædicabat concaptivis suis eosque ad virtutem hortabatur, sed mercedis loco ab ipso principe populi sui abtruncatus occubuit. Prædixit reversionem populi ad propria loca, et de adventu Domini, et Baptismo, aliisque Christi mysteriis, multa sed obscure, maxime de structura templi, vaticinatus est.

De Daniele. 3398.

Daniel, quartus ex Prophetis majoribus,

abductus est in captivitatem adhuc puer, et perseveravit in captivitate usque ad Cyrum regem Persarum, id est, usque ad finem captivitatis. Cœpit autem prophetare anno secundo Nabuchodonosor regis (ut ipse testatur cap. II.) sed annus ille secundus non intelligitur ab initio regni, sed ab initio monarchiæ, quam inchoavit, devastata Ægypto. Incidit autem hæc devastatio, et initium monarchiæ, in annum vicesimum tertium regni ejus.

Itaque secundus annus monarchiæ notatus a Daniele, est annus regni vicesimus quartus, et annus mundi 3398. Fuit Daniel de tribu Juda, vir nobilis, et spiritu sapientiæ, et prophetiæ plenissimus, atque ea de causa gratissimus regibus etiam idololatris, et ab eis magnis honoribus cultus. Scripsit multa de Christo, et de tempore adventus ejus, nec non de morte ejus, et de exsecratione Judæorum; item de Antichristo, et præliis ejus. Prædixit progressum quatuor præcipuorum regnorum, et de bellis futuris inter Græcos, et Persas, et successores Alexandri Magni, tanta perspicuitate, ut aliqui putaverint, sed falso, ea scripta fuisse multo posterius, quam revera fuerint. Liber hic partim Hebraice partim Chaldaice scriptus est. Didicit enim Daniel in Babylone jussu regis, linguam, et litteras Chaldæorum. De partibus quibusdam Danielis, quæ ab Hæreticis non recipiuntur, vide in primo nostro libro de verbo Dei.

De Aggæo. 3465.

Aggæus prophetare cœpit anno secundo Darii regis Persarum, mense sexto, ut ipse initio testatur. Fuit autem annus ille ab orbe condito 3465. Concionatur Aggæus ad populum, eum exhortans ad reædificationem templi, eumque graviter increpans, quod essent diligentiores in domibus suis ædificandis et ornandis, quam in domo Dei reædificanda. Et prædixit, templum hoc secundum fore multo gloriosius, quam fuerit primum. Quod intelligitur de gloria templi ob Christi præsentiam, sive de Ecclesia Christi, non de structura materiali, ut Sanctus Augustinus ostendit lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 45.

De Zacharia. 3465.

Zacharias, illo ipso anno secundo Darii prophetavit, sed mense octavo, ut ipse testatur. Itaque Aggæus duobus tantum mensibus Zachariam præcessit. Ipse quoque hortabatur populum ad ædificandum templum, et ad timorem Domini, et obedientiam mandatorum. Prædixit quoque multa per varias similitudines de felicitate Ecclesiæ Christianæ, et ultima perditione Judæorum.

De Malachia. 3521.

Malachias, ultimus duodecim minorum Prophetarum, prophetavit post Aggæum, et Zachariam, tempore Artaxerxis regis Persarum. Nam cap. II. reprehendit Judæos, qui duxerant filias alienigenas in uxores: et similis reprehensio exstat apud Esdram lib. I. cap. IX. et constat ex præcedentibus capitibus, hanc objurgationem factam fuisse post templum ædificatum, regnante jam Artaxerxe filio Darii, cujus anno sexto finita est ædificatio templi ut habetur libro primo Esdræ cap. 6.

Malachias posterior est Zacharia, quantum distat annus secundus Darii ab anno primo Artaxerxis, qui regnare cœpit anno 3521. proinde hoc anno vixit, et scripsit Malachias. Hunc Prophetam Origenes existimavit non fuisse hominem, sed Angelum in specie hominis, quia Malachias Hebraice Angelum significat.

Refellit hunc errorem Sanctus Hieronymus in proœmio Malachiæ. Quia si propter nomen Angeli deberet negari Malachiam fuisse hominem; eodem modo quia Osea significat Salvatorem, et Joel significat Deum et Dominum, possemus existimare, Oseam fuisse Christum, et Joelem fuisse Dominum Deum.

Alii voluerunt Malachiam fuisse Esdram, et dictum Angelum ob sapientiam, et puritatem vitæ. Hæc est sententia Hebræorum, quam Sanctus Hieronymus nec videtur approbare, nec reprobare. Sed communis sententia, quæ omnino sequenda nobis videtur, est, Malachiam fuisse hominem diversum ab Esdra. Sic docet Eusebius chronico, Sanctus Augustin. lib. XVIII. de civ. Dei cap. 36. S. Cyrillus in primum caput Malachiæ, qui dicit non esse audiendos, qui contra sentiunt: Sanctus Epiphanius in libro de vita et morte Prophetarum.

Porro Malachias ex tribu Zabulon erat, ex sententia Epiphanii, loco citato, et prædixit abolitionem sacrificiorum Judaicorum, et institutionem sacrificii novi, quod toto orbe

offerendum erat. Prædixit quoque ultimum Judicium, et reversionem Eliæ Prophetæ ad convertendas reliquias Israel, et præter prædictiones, vehementer concionatus est adversus negligentiam Sacerdotum, et alia vitia. Denique in pace quievit adhuc juvenis, teste Epiphanio.

De Tobia. 3236.

Historia Tobiæ et Judith incidit in tempus Prophetarum minorum, videlicet Nahum et Habacuc, sed visum est conjungere omnes Prophetas simul, neque in chorum ipsorum extraneos admittere. Igitur Tobias senior cum Tobia juniore translatus fuit in civitatem Ninive a rege Assyriorum Salmanasar, et perseveravit usque ad aliquot annos Sennacherib, successoris ejus.

Contigit autem captivitas illa anno sexto Ezechiæ regis Juda, qui fuit nonus Osea regis Israel, et ab orbe condito 3264. Quis fuerit auctor libri Tobiæ, non est omnino certum, sed credibile est auctorem fuisse Tobiam juniorem, vel seniorem.

Siquidem Angelus Raphael cap. 12. jussit Tobiæ utrique, ut narrarent, sive (ut habetur in textu Græco) scriberent omnia mirabilia Domini, quæ ipsi viderant, patientiam videlicet Tobiæ senioris, et consolationem magnam quam a Deo per Angelum Raphaelem accepit. Itaque scriptus videtur liber anno mundi 3252, mortuo Sennacherib. Quæ autem in fine libri adduntur de morte Tobiæ junioris, sine dubio ab aliquo alio addita sunt.

Porro liber Tobiæ scriptus est chaldaice, non hebraice, et ideo fortasse ab Hebræis non agnoscitur pro lib. sacro, transtulit eum in linguam Latinam Sanctus Hieronymus, ut ipse testatur præfatione in Tobiam, et ab Ecclesia Catholica inter sacros libros numeratum fuisse cognoscimus ex Conc. III. Carthaginiensi, ex Innocentio I. in epistola ad Exuperium, ex Gelasio I. in decreto de Scripturis sanctis, et Cypriano in serm. de eleemosyna, ex Ambrosio in lib. de Tobia, ex Basilio in Oratione de avaritia, denique ex Conc. Trident. sess. 4.

De Eliacim auctore libri Judith. 3270.

Quando contigerint quæ narrantur in libro Judith, maxima quæstio est: alii enim volunt ea contigisse post captivitatem Babylonicam, quia in primo capite fit mentio regis Nabuchodonosor: alii volunt contigisse ante captivitatem illam, sed post captivitatem decem tribuum quæ facta fuit tempore Ezechiæ regis Juda: et quamvis tam hi auctores quam illi varient circa tempus præcisum: nobis tamen videtur non posse assignari aliud tempus, quam inter duas captivitates, tempore videlicet regis Juda, Manasse, et regis Assyriorum Merodach Baladam, quem putamus alio nomine dictum esse Nabuchodonosor, qui regnavit etiam in Babylonia. Sed de hac re fuse tractavimus in libro primo de Verbo Dei cap. 12.

Itaque tempus hujus historiæ erit annus mundi ter millesimus ducentesimus septuagesimus. Quis auctor fuerit hujus libri, incertum est ex sententia sancti Isidori lib. VI. Originum cap. 2.

Sed si fidem habeamus Josepho in libro primo contra Apionem, auctor erit Eliacim, qui alio nomine dicebatur Joachim, sacerdos magnus Hebræorum, de quo fit mentio in libro Judith cap. 4. et 15.

Scribit enim Josephus in more positum fuisse apud Egyptios et Babylonios, et potissimum apud Hebræos, ut res gestæ publice, scribendæ committerentur sacerdotibus magnis: tempore autem Judith sacerdos magnus erat Eliacim, ut supra diximus.

Porro liber Judith quamvis ab Hebræis et Hæreticis modernis rejiciatur ex canone Scripturarum divinarum, tamen Concilium Nicænum primum hunc librum retulit in numerum librorum divinorum, teste Sancto Hieronymo, præfatione in Judith. Quod idem fecerunt Concilium tertium Carthaginiense cap. 47. et Tridentinum sess. I. et decretum Gelasii I. de Scripturis sanctis, et Epistola decretalis Innocentii I. ad Exuperium; et Sanctus Augustinus libro secundo de doctrina Christiana cap. 8. et Sanctus Isidorus lib. VI. Originum cap. 1. et Cassiodorus lib. I. divinarum lectionum, et Rabanus lib. II. de institutione Clericorum, et alii Patres.

Recenset hic liber victoriam divinitus reportatam ab Hebræis contra Holofernem principem militiæ Assyriorum per virtutem nobilissimæ et castissimæ feminæ Judith viduæ.

De Esdra et Nehemia. 3532.

Esdras sacerdos, vixit sub Artaxerxe rege Persarum, qui imperare cœpit anno ab orbe

condito 3521. Scripsit autem librum primum Esdræ, et fortasse etiam secundum, ut Sanctus Isidorus libro VI Originum cap. 2. quamvis probabilius sit, secundum librum a Nehemia scriptum fuisse, qui post Esdram missus est in Judæam ab eodem Artaxerxe, cujus pincerna erat. Libri tertius et quartus inter apocryphos computantur.

Porro Esdram sancti Patres docent instauratorem fuisse sacrorum librorum : quod non ita intelligendum est, quasi Scripturæ sacræ omnes perierint in eversione civitatis et templi sub Nabuchodonosor, et ab Esdra divinitus inspirato reparatæ fuerint, ut fabulatur auctor lib. IV. Esdræ, cap. 14, sed, quod Scripturas Mosis et Prophetarum in varia volumina descriptas, et in varia loca dispersas, et tempore captivitatis non diligenter conservatas, Esdras summa diligentia collectas ordinaverit, et in unum quasi corpus redegerit.

Vide Irenæum lib. III. cap. 25, Tertullianum lib. de habitu mulierum, Clementem lib. I. Stromatum, Hilarium præfatione in Psalmos, Chrysostomum hom. 8. in epist. ad Hebræos, Theodoretum præfatione in Psalmos.

Addit Sanctus Hieronymus in prologo galeato, Esdram invenisse novas litteras Hebraicas ; et antiquas Samaritanis dimisisse.

De Mardochæo auctore libri Esther. 3528.

De tempore historiæ reginæ Esther magna est inter scriptores controversia : nobis olim placuit et hodie etiam placet sententia Josephi Hebræi lib. XI. antiquitatum cap. 6. nec non Severi Sulpitii lib. I. de Sacra historia, Nicephori Constantinopolitani in chronico, et aliorum multorum, quos sine nomine refert Eusebius in chronico. Juxta hanc sententiam Esther nupsit Artaxerxi Longimano, anno ejus septimo, qui incidit in annum mundi 3528. quo eodem tempore floruit Esdras, ut supra diximus, atque hac de causa Sanctus Isidorus lib. VI. Originum cap. 2. docuit, auctorem libri Esther esse Esdram.

Sed multo probabilius est, auctorem fuisse Mardochæum patruum, et nutricium ipsius Esther, et qui illi semper adfuit, et res gestas omnium optime novit.

Vide plura, si placet, in controversiis nostris lib. I. De Verbo Dei, cap. 7.

De LXXII. Interpretibus et Aristæa. 3720.

Anno decimo septimo Ptolomæi Philadelphi regis Ægypti, qui fuit annus mundi ter millesimus septingentesimus vicesimus, facta est celeberrima illa versio sacrarum Scripturarum ex lingua Hebraica in Græcam, a septuaginta duobus viris doctissimis, non sine miraculo divino, convenientibus tot hominibus in unam et eamdem versionem, ut scribunt Philo lib. II. de vita Mosis, Josephus lib. XII. Antiq. cap. 2. Tertullianus in Apologetico cap. 18. Athanasius in Synopsi, Epiphanius de mensuris et ponderibus, et Augustinus lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 43. sed Epiphanius non solum nominat regem, sed etiam annum 17. regni ejus. Qui fuerint viri illi doctissimi, et nomina, exponit Aristæas in suo libro de septuaginta duobus interpretibus, qui exstat in bibliotheca Sanctorum Patrum tomo 7, editionis secundæ. Et quamvis aliqui recentiores existiment, Aristæam, qui nunc exstat, non esse illum, qui vixit tempore ipsorum septuaginta interpretum, sed conflictum ab Hebræis : tamen vere esse illum ipsum, satis probatur ex eo, quod omnia, quæ citant ex Aristæa Josephus lib. XII. antiqu. cap. 2, Tertullianus in Apologetico cap. 18, Eusebius libro octavo de præparatione Evangelica capite primo, et Sanctus Hieronymus præfatione in Pentateuchum, inveniuntur in hoc nostro ad verbum.

Vide, si placet, de LXXII. Interpretibus in nostro libro II. cap. 6. de Verbo Dei.

De Jesu Sirach. 3759.

Jesus Sirach, qui auctor est libri sacri, qui dicitur Ecclesiasticus, vixit tempore Ptolomæi Evergetis regis Ægypti, ut ipse testatur in præfatione ad librum suum : ipse autem se nominat Jesum Sirach in fine capitis quinquagesimi. Hunc sacrum librum Hæretici recentiores contemnunt : sed eum, ut divinum et sacrum agnoscunt Patres Concilii Carthaginiensis tertii cap. 47. et Trident. sess. 4. Item Pontifices, Innocentius in Epist. ad Exuperium, et Gelasius in decreto de libris sacris : item Sanctus Augustinus de doctrina Christiana cap. 8. Epiphanius in hæresi Anomæorum, Cyprianus lib. III. epist. 9, Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromatum, et alii.

De auctore librorum Macchabæorum. 3860.

Libri Macchabæorum ultimi sunt inter sacros libros Testamenti veteris : sunt autem duo libri (nam duo alii inter apocryphos numerantur), quorum prior continet res gestas Matathiæ, et trium filiorum ejus, Judæ Macchabæi, Jonathæ, et Simonis, ab anno mundi 3822 usque ad annum 3856. Hujus libri ignoratur auctor : sed credibile est auctorem fuisse Joannem Hircanum, filium Simonis, qui rebus omnibus interfuit, et fuit summus Sacerdos post patrem suum Simonem, et habuit vitam diuturnam et pacificam in principatu, annorum triginta et unius, et fuit non solum sacerdos, et princeps, sed etiam Propheta, ut scribit Josephus lib. XIII. Antiq. cap. 26. Posterioris libri Macchabæorum, qui continet historiam eamdem, sed paulo altius incipit, et narrat martyrium insigne Eleazari, et septem puerorum Macchabæorum, et matris ipsorum, auctor fuit Jason Cyrenæus, qui libris quinque omnem hanc historiam comprehendit : quorum librorum epitomen solum habemus, ut dicitur lib. II. Macchabæorum cap. II. Hos libros, quicquid Hæretici obstrepant, ut vere canonicos habet Ecclesia, ut perspicuum est ex concilio tertio Carthag. et Tridentino, ex Epist. Innocentii I. ad Exuperium, et Gelasio in decreto de Scripturis sacris, ex Sancto Cypriano lib. I. epist. 3. ad Cornelium, et Sancto Augustino lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 36. et lib. II. contra Gaudentium cap. XXIII. Præter hos libros sacros enumerat Sanctus Athanasius in synopsi aliquot libros apocryphos qui non exstant.

De Philone Hebræo. 4024.

Philo Hebræus, vir omnium consensu doctissimus, floruit sub Caio imperatore, ad quem etiam legatione functus est pro gente sua. Hic ponitur a Sancto Hieronymo inter scriptores Ecclesiasticos, quia scripsit in laudem Christianorum, qui sub Sancto Marco Evangelista in Ægypto religiosissime vivebant, Et præterea jure numeratur inter scriptores Ecclesiasticos Testamenti veteris, quoniam Scripturas divinas Testamenti veteris primus exposuit. Scripsit plura quorum catalogum refert Eusebius lib. II. hist. cap. 17 sed non omnia exstant. Ejus opera ex editione Basileensi anni 1561 hæc sunt :

De mundi opificio lib.	1
De allegoriis legis,	2
De Cherubin,	1
De sacrificiis Abel et Cain,	1
Quod deterius potiori insidietur,	1
De agricultura,	1
De plantatione Noe,	1
De temulentia Noe,	1
In illud, *Resipuit Noe*,	1
De gigantibus,	1
Quod Deus sit immutabilis,	1
De confusione linguarum,	1
De Abrahamo,	1
De profugis,	1
Quis rerum divinarum sit hæres,	1
De Joseph,	2
De Mosis vita,	3
De charitate,	1
De creatione Principis,	1
De fortitudine,	1
De decalogo,	1
De specialibus legibus,	1
De circumcisione,	1
De monarchia,	2
De Sacerdotum honoribus,	1
De victimis,	1
De offerentibus victimas,	1
De meretricis mercede,	1
Quod omnis probus liber,	1
De vita contemplativa,	1
De nobilitate,	1
De præmiis et pœnis,	1
De execratione,	1
Quod mundus sit incorruptibilis,	1
In Flaccum,	1
De legatione ad Caium,	1

De his libris non est controversia. Circumfertur nomine Philonis Breviarium temporum, sed ab omnibus rejicitur ; ut etiam alii historici, qui cum eo Breviario simul editi sunt.

De Josepho Hebræo. 4057.

Josephus Hebræus floruit sub Vespasiano imperatore, cui prædixit imperium, cum ab eo captivus detineretur. Scripsit :

Antiquitatum Judaicum, lib.	20
De bello Judaico,	7
Contra Apionem,	2
De Macchabæis.	1

Vitam ipse suam addit ad lib. antiq.

Porro in libris antiquitatum comprehendit Josephus historiam sacram a Genesi usque ad Macchabæos, et deinde addidit reli-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quam historiam usque ad sua tempora. Libro autem XVIII Antiquitatum c. 4. reddit Christo mirabile testimonium affirmans eum fuisse plusquam hominem, et vere Christum, in operibus magnificum, in verbis veracissimum, et a Pilato quidem occisum, sed tertia die resurrexisse : cujus testimonii memimit Eusebius lib 1. hist. Eccles. cap. 11 et S. Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Josepho.

Quod autem Hebræi dicunt, testimonium illud de Christo in suis libris non haberi ; et ideo videri superadditum a Christianis ; facile refelli potest. Nam hebræi non habent Josephum filium Matathiæ, qui græce scripsit libros antiquitatum, de quo nos loquimur ; sed Josephum filium Gorionis, qui aliquid simile scripsit Hebraice ; proinde non est mirum, si Judæi in suo Josepho hoc testimonium non habeant, cum in nostro habeatur, et non sit superadditum, sed verum et germanum Josephi testimonium.

Certe S. Hieronymus et Eusebius viri doctissimi fuerunt, et omnes pene libros veterum Scriptorum legerunt : et nunquam hoc testimonium de Christo Josepho tribuissent, nisi scivissent vere ab illo auctore ita scriptum fuisse.

Omisi libros Rabinorum, qui plurimi sunt, quoniam pleni sunt fabulis Judaicis, et erroribus perniciosis : neque verum esse arbitror, quod J. Garetius, et alii nonnulli scribunt, Rabinos aliquot, quorum opera nunc exstant, scripsisse ante adventum Christi ; video enim passim ab iis mentionem fieri eversionis Hierusalem, et templi, per Titum Vespasiani filium.

DE
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS
TESTAMENTI NOVI.

SECULUM PRIMUM AB ANNO DOM. 1. AD 100.

De S. Petro Apostolo. Anno Dom. 34.

Sanctum Petrum in catalogo primum ponimus, et signamus anno 34. Quia illo anno Domini vivebat, et Ecclesiam regere cœperat.

Quamvis enim exstet apud Eusebium lib. II. hist. Eccles. cap. 13. Epistola Domini nostri Jesu Christi scripta ad Abagarum regem Edessæ : tamen ea epistola nunquam fuit admissa ab Ecclesia inter Scripturas canonicas, inter quas sine dubio admissa fuisset, si ab ipso Domino scriptam fuisse constaret.

Quamvis etiam exstent Cantica B. Virginis Mariæ, Zachariæ, et Simeonis, ea tamen non ab ipsis, sed a sancto Luca scriptis mandata fuerunt.

Denique quamvis inter epistolas sancti Ignatii martyris inveniatur una B. Virginis Mariæ ad ipsum Ignatium, ea tamen, non habetur in Græcis codicibus, neque ejus meminerunt veteres Patres ante Sanctum Bernardum : proinde non constat an sit vere Beatæ Virginis epistola.

Quod autem attinet ad ordinem inter scriptores sacros Testamenti novi, quoniam eodem vixerunt sæculo, sequuti sumus ordinem quem Ecclesia secutur in illis collocandis, tum in litaniis, tum in sacrificio Missæ.

Ergo Sanctus Petrus Apostolus, et Christianorum summus Pontifex, et Vicarius Jesu Christi, qui est sacerdos in æternum, anno Domini tricesimo tertio, vel secundum alios tricesimo quarto, Ecclesiæ Christianæ præsidere cœpit, et anno sexagesimo nono, vel secundum alios septuagesimo, martyrio coronatus est.

Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. scribit Sanctum Petrum crucifixum fuisse anno quarto decimo Neronis. Sed Sanctus Hieronymus Eusebii Chronicum secutus est. Vere enim Nero non imperavit annis quatuordecim, et mensibus octo, ut Eusebius scribit : sed annis tredecim, et mensibus septem, ut scribunt Suetonius, Dio, et alii : et quoniam imperare cœpit a die quarta decima octobris, iisdem auctoribus ; inde fit, ut Sanctus Petrus, qui die vicesimo nono Junii obiit, non anno quarto decimo, sed tertio decimo Neronis obierit.

Scripsit epistolas duas ; ac de priore nulla unquam dubitatio fuit : de posteriore, propter stylidiversitatem nonnulla apud aliquos ambiguitas fuit. Sed Ecclesia utramque epistolam, et canonicam, et S. Petri esse docuit, in Concilio Laodiceno, Carthaginiensi tertio, Florentino, et Tridentino : et merito Beda Venerabilis admiratur, fuisse aliquos, qui epistolam illam S. Petri fuisse dubitare potuerint, cum auctor Simonem Petrum se initio nominet, et affirmet, se in monte sancto cum Christo fuisse in transfiguratione, et diserte dicat : *Hanc secundam vobis scribo epistolam.* Hinc enim sequitur, ut auctor hujus epistolæ, vel fuerit insignis impostor, quod nemo unquam dicere ausus est, vel fuerit sanctus Petrus.

Cur autem diversus esse videatur stylus prioris et posterioris epistolæ, rationem reddit Sanctus Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæst. 11, quoniam Apostolus non semper eodem interprete utebatur.

Addit Sanctus Hieronymus in lib. de script. eccles. multos alios libros olim sub nomine Sancti Petri scriptos fuisse ; quos ipse ibidem enumerat ; sed omnino apocry-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quam historiam usque ad sua tempora. Libro autem XVIII Antiquitatum c. 4. reddit Christo mirabile testimonium affirmans eum fuisse plusquam hominem, et vere Christum, in operibus magnificum, in verbis veracissimum, et a Pilato quidem occisum, sed tertia die resurrexisse : cujus testimonii memimit Eusebius lib 1. hist. Eccles. cap. 11 et S. Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Josepho.

Quod autem Hebræi dicunt, testimonium illud de Christo in suis libris non haberi ; et ideo videri superadditum a Christianis ; facile refelli potest. Nam hebræi non habent Josephum filium Matathiæ, qui græce scripsit libros antiquitatum, de quo nos loquimur ; sed Josephum filium Gorionis, qui aliquid simile scripsit Hebraice ; proinde non est mirum, si Judæi in suo Josepho hoc testimonium non habeant, cum in nostro habeatur, et non sit superadditum, sed verum et germanum Josephi testimonium.

Certe S. Hieronymus et Eusebius viri doctissimi fuerunt, et omnes pene libros veterum Scriptorum legerunt : et nunquam hoc testimonium de Christo Josepho tribuissent, nisi scivissent vere ab illo auctore ita scriptum fuisse.

Omisi libros Rabinorum, qui plurimi sunt, quoniam pleni sunt fabulis Judaicis, et erroribus perniciosis : neque verum esse arbitror, quod J. Garetius, et alii nonnulli scribunt, Rabinos aliquot, quorum opera nunc exstant, scripsisse ante adventum Christi ; video enim passim ab iis mentionem fieri eversionis Hierusalem, et templi, per Titum Vespasiani filium.

DE
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS
TESTAMENTI NOVI.

SECULUM PRIMUM AB ANNO DOM. 1. AD 100.

De S. Petro Apostolo. Anno Dom. 34.

Sanctum Petrum in catalogo primum ponimus, et signamus anno 34. Quia illo anno Domini vivebat, et Ecclesiam regere cœperat.

Quamvis enim exstet apud Eusebium lib. II. hist. Eccles. cap. 13. Epistola Domini nostri Jesu Christi scripta ad Abagarum regem Edessæ : tamen ea epistola nunquam fuit admissa ab Ecclesia inter Scripturas canonicas, inter quas sine dubio admissa fuisset, si ab ipso Domino scriptam fuisse constaret.

Quamvis etiam exstent Cantica B. Virginis Mariæ, Zachariæ, et Simeonis, ea tamen non ab ipsis, sed a sancto Luca scriptis mandata fuerunt.

Denique quamvis inter epistolas sancti Ignatii martyris inveniatur una B. Virginis Mariæ ad ipsum Ignatium, ea tamen, non habetur in Græcis codicibus, neque ejus meminerunt veteres Patres ante Sanctum Bernardum : proinde non constat an sit vere Beatæ Virginis epistola.

Quod autem attinet ad ordinem inter scriptores sacros Testamenti novi, quoniam eodem vixerunt sæculo, sequuti sumus ordinem quem Ecclesia secutur in illis collocandis, tum in litaniis, tum in sacrificio Missæ.

Ergo Sanctus Petrus Apostolus, et Christianorum summus Pontifex, et Vicarius Jesu Christi, qui est sacerdos in æternum, anno Domini tricesimo tertio, vel secundum alios tricesimo quarto, Ecclesiæ Christianæ præsidere cœpit, et anno sexagesimo nono, vel secundum alios septuagesimo, martyrio coronatus est.

Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. scribit Sanctum Petrum crucifixum fuisse anno quarto decimo Neronis. Sed Sanctus Hieronymus Eusebii Chronicum secutus est. Vere enim Nero non imperavit annis quatuordecim, et mensibus octo, ut Eusebius scribit : sed annis tredecim, et mensibus septem, ut scribunt Suetonius, Dio, et alii : et quoniam imperare cœpit a die quarta decima octobris, iisdem auctoribus ; inde fit, ut Sanctus Petrus, qui die vicesimo nono Junii obiit, non anno quarto decimo, sed tertio decimo Neronis obierit.

Scripsit epistolas duas ; ac de priore nulla unquam dubitatio fuit : de posteriore, propter stylidiversitatem nonnulla apud aliquos ambiguitas fuit. Sed Ecclesia utramque epistolam, et canonicam, et S. Petri esse docuit, in Concilio Laodiceno, Carthaginiensi tertio, Florentino, et Tridentino : et merito Beda Venerabilis admiratur, fuisse aliquos, qui epistolam illam S. Petri fuisse dubitare potuerint, cum auctor Simonem Petrum se initio nominet, et affirmet, se in monte sancto cum Christo fuisse in transfiguratione, et diserte dicat : *Hanc secundam vobis scribo epistolam.* Hinc enim sequitur, ut auctor hujus epistolæ, vel fuerit insignis impostor, quod nemo unquam dicere ausus est, vel fuerit sanctus Petrus.

Cur autem diversus esse videatur stylus prioris et posterioris epistolæ, rationem reddit Sanctus Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæst. 11, quoniam Apostolus non semper eodem interprete utebatur.

Addit Sanctus Hieronymus in lib. de script. eccles. multos alios libros olim sub nomine Sancti Petri scriptos fuisse ; quos ipse ibidem enumerat ; sed omnino apocry-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

phos, imo spurios, et supposititios fuisse vel ex eo constat, quod nunquam ab Ecclesia, vel in catalogum sanctarum Scripturarum redacti, vel in Bibliis sacris repositi, vel in templis recitati sint : et hoc tempore non ipsi solum, sed eorum nomina, et memoria evanuerint.

De S. Paulo Apostolo.

Sanctus Paulus Apostolus, ad ipso Christo de cœlo vocatus, et per cœlestem revelationem Evangelicam plenissime edoctus, repente de persecutore prædicator eximius factus, eodem anno et die quo Sanctus Petrus martyrio coronatus est : cujus rei Eusebius in chronico, Sanctus Hieronymus de script. Ecclesiasticis, et omnis antiquitas testis est.

Scripsit epistolas quatuordecim :

Ad Romanos,	1
Ad Corinthios,	2
Ad Galatas,	1
Ad Ephesios,	1
Ad Philippenses,	1
Ad Colossenses,	1
Ad Thessalonicenses,	2
Ad Timotheum,	2
Ad Titum,	1
Ad Philemonem,	1
Ad Hebræos,	1

Et quidem de primis tredecim nulla unquam controversia fuit. Epistolam ad Hebræos, teste Sancto Hieronymo in lib. de script. Eccles. alii tribuebant Barnabæ, alii Lucæ, alii Clementi Romano : nec defuerunt Hæretici veteres, et recentiores qui huic epistolæ auctoritatem detraherent. Cæterum esse eam et vere canonicam, et S. Paulo scriptam, testis est Ecclesia Catholica universa, quæ illam legit assidue inter Missarum solemnia sub nomine beati Pauli Apostoli : testes sunt Patres Conciliorum supra citatorum, qui hanc epistolam in numerum divinarum Scripturarum posuerunt : testes veteres Patres, qui eam ad probanda dogmata fidei passim adducunt. Vide, si placet, de hac epistola integram disputationem in controversiis nostris lib. I. de Verbo Dei c. 17.

Præter has epistolas quatuordecim, fertur et alia sub nomine B. Pauli ad Laodicenses; sed ea (inquit S. Hieronymus in lib. de scriptor. Eccles.) ab omnibus exploditur.

Feruntur quoque sub ejusdem B. Pauli nomine epistolæ quædam breves ad Senecam : quas Sanctus Hieronymus in eodem libro, in Seneca, non videtur contempsisse. Sed Ecclesia Catholica neque epistolam ad Laodicenses, neque epistolas ad Senecam in catalogo Scripturarum posuit, ac per hoc B. Pauli eas non esse censuit.

De S. Joanne Apostolo. 34.

Sanctus Joannes Apostolus et Evangelista, dilectus Deo, et hominibus, usque ad Trajani imperatoris tempora pervenit, et sexagesimo octavo post passionem Domini anno, qui erat annus a nativitate ejusdem Domini nostri, centesimus, vel centesimus primus, in pace quievit : testes Eusebius in Chron., Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccl. et alii.

Scripsit Evangelium, Apocalypsim, et epistolas tres : et quidem Evangelium, de quo nulla fuit unquam dubitatio, scripsit post alios tres Evangelistas. Et quoniam Sancti Apostoli brevitati studebant maxime, ideo Sanctus Joannes fere omnia prætermisit, quæ ab aliis scripta fuerant ; ea siquidem sola repetit, quibus aliquid addendum esse existimavit.

De Apocalypsi dubitatio aliqua fuit olim, apud Græcos præcipue, et nunc est apud Hæreticos nostri temporis : quemadmodum etiam de secunda et tertia epistola. Sed Ecclesia Catholica tum Apocalypsim tum epistolas illas duas, ut Evangelium, et epistolam primam, in numerum sanctarum Scripturarum sub nomine Sancti Joannis recipit.

Vide controversias nostras lib. I. de Verbo Dei, cap. 18 et 19.

De Sancto Matthæo Apostolo. 34.

Sanctus Matthæus Apostolus primus omnium Evangelium scripsit lingua patria, id est, hebraica : testis est Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. qui etiam vidisse et descripsisse affirmat Evangelium Sancti Matthæi lingua hebraica scriptum ; et ante Hieronymum id ipsum testati sunt Epiphanius hæresi 29, quæ est Nazaræorum, Eusebius lib. III. cap. 24. et Irenæus lib. III. cap. 1.

Quis in linguam Græcam transtulerit hebraicum Matthæi Evangelium, ignorari scripsit Sanctus Hieronymus. Sanctus Athanasius in synopsi scribit, a Sancto Jacobo fratre Domini fuisse expositum Evangelium Sancti Matthæi.

Utrum illa expositio fuerit versio in Græcum, non scimus.

De hoc sacro libro nulla fuit unquam dubitatio.

De Sancto Jacobo apostolo. 34.

Sanctus Jacobus Apostolus epistolam unam scripsit, quæ de septem Catholicis est. Ac de ipso, ut etiam de ejus epistola, nonnulla quæstio est.

Græci in monologio tres Jacobos Apostolos celebrant, Jacobum Alphæi, die nono Octobris ; Jacobum, fratrem Domini, die vicesimo tertio ejusdem mensis ; et Jacobum Zebedæi, die 30 Aprilis.

Sanctus quoque Hieronymus in libro contra Helvidium meminit hujus opinionis, quæ tres Jacobos facit, duos ex numero duodecim Apostolorum, et unum extra numerum. Sed recte idem Sanctus Hieron. eodem loco hanc opinionem refellit : nam idem omnino est Jacobus Alphæi, et Jacobus frater Domini, qui et minor dicitur in Evangelio : et quos tantum novit, et celebrat Ecclesia Latina, Jacobum fratrem Joannis, die 25 Julii, et Jacobum Alphæi fratrem Domini, die primo Maii.

Cur autem dicatur frater Domini, varie sentiunt auctores. Helvidius Hæreticus ausus est dicere, dictum esse fratrem Domini, quod esset filius B. Virginis Mariæ ex Joseph. Sed hæc hæresis est manifesta. Eusebius lib. II. Hist. cap. 1. et Epiphanius hæresi 78. volunt eum fuisse filium Joseph de priore uxore, ac per hoc fratrem Christi eo modo, quo dicitur Joseph pater Christi, videlicet putatitius, non verus.

Sed verius est, Sanctum Joseph fuisse perpetuo Virginem, ut erat ejus sanctissima conjux, et Jacobum fuisse filium Cleophæ, qui Cleophas fuit frater Sancti Josephi : hinc enim Maria Cleophæ dicitur soror matris Domini, Joan. XIX. quia erat uxor Cleopha fratris Joseph, usitatum enim est, ut conjuges duorum fratrum sorores nominentur, et quemadmodum Maria Cleophæ dicebatur soror Mariæ matris Domini : sic etiam Jacobus dicebatur frater Domini, quia erat filius sororis matris Domini.

Hanc sententiam colligo partim ex Hegesippo, partim ex Evangelio : Hegesippus enim apud Eusebium lib. III. Hist. cap. 11. ex versione Ruffini, dicit, Simeonem fuisse consobrinum fratrem Salvatoris, quia erat filius Cleophæ fratris Josephi sponsi B. Mariæ matris Domini.

Porro Sanctum Jacobum minorem fuisse fratrem Simonis, et Joseph, et Judæ, testatur Evangelium Sancti Matthæi, cap. XIII et Marci cap. VI. ubi dicuntur fratres Domini Jacobus et Simon, et Judas : et hoc idem testatur Epiphanius hæresi 78, quare si Simon, sive Simeon (idem enim est nomen) erat frater Jacobi, et Simeonis pater erat Cleophas frater Josephi ; certe sequitur, ut pater Jacobi fuerit Cleophas, non Joseph.

Neque huic sententiæ repugnat, quod Sanctus Jacobus minor dicatur in Evangelio, Jacobus Alphæi : potest enim fieri, ut pater Sancti Jacobi fuerit binomius, quemadmodum Sanctus Matthæus dicitur etiam Levi, et Sanctus Petrus dicitur etiam Simon ; et observat Sanctus Hieronymus in lib. contra Helvidium, in sacris Scripturis, multos esse binomios.

Quod attinet ad epistolam ejus, non defuerunt olim, qui de ejus auctoritate dubitarent, ut etiam hoc tempore ab Hæreticis in dubium revocatur. Sed certissime epistola sacra et canonica est ; de qua re vide quæ scripsimus libro primo de Verbo Dei cap. 18.

Exstat nomine Sancti Jacobi Protoevangelium, sed ab Ecclesia nunquam receptum.

Exstat etiam Liturgia eidem Sancto Jacobo attributa, quæ tamen a posterioribus ita locupletata est, ut non sit facile dijudicare, quæ pars ejus liturgiæ Sanctum Jacobum habeat auctorem.

Obiit hic Beatissimus Apostolus glorioso martyrio coronatus anno septimo Neronis, ut scribit Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles.

Quod autem Epiphanius scribit hæresi 78. obiisse Sanctum Jacobum anno ætatis suæ nonagesimo sexto : non videtur probabile. Fundamentum enim hujus numeri est opinio illa falsa Epiphanii, quod Sanctus Joseph anno quadragesimo ætatis suæ genuerit Jacobum, deinde anno octogesimo viduus existens, acceperit Mariam conjugem ; quo tempore fuisset Jacobus annorum quadraginta, quibus si addamus triginta tres annos Domini, et viginti quatuor quibus post Ascensionem Domini Jacobus supervixit, ut idem Epiphanius dicit, fient anni Jacobi nonaginta sex completi.

Sed hic multa sunt improbabilia ; nam

nec probabile est, Jacobum filium fuisse Joseph : nec Joseph annorum octoginta accepisse Mariam in conjugem, nec Jacobum electum esse ad Apostolatum, cum esset pene decrepitus : nec eumdem Jacobum supervixisse solum annis viginti quatuor, cum ex communi opinione guberoaverit Ecclesiam Hierosolymitanam annis triginta, et obierit anno septimo Neronis.

De S. Juda Apostolo. 34.

Sanctus Judas frater Jacobi, Apostolus ex duodecim, unam eamque brevem scripsit Epistolam, quam Ecclesia, ut sacram et canonicam recipit.

Vide quæ scripsimus lib. II. de Verbo Dei, cap. 18. De obitu hujus Apostoli nihil habemus certi.

De S. Marco Evangelista. 44.

Sanctus Marcus Evangelista martyrio coronatus anno octavo Neronis, breve scripsit Evangelium : testis Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. Græce scriptum initio S. Marci Evangelium, scribunt Sanctus Hieronymus in præfatione ad Damasum, et Sanctus Augustinus lib. I. cap. 2. de consensu Evangelistarum. Latine autem scriptum, testatur Damasus in vita Sancti Petri, quæ ponitur ad initium primi tomi Conciliorum ; testantur etiam Syri, qui ad finem Evangelii secundum Marcum scribunt, Evangelium Sancti Marci Romæ, et lingua Romana scriptum.

Sed quicquid de hac re sit, satis constat, Latinam veterem et vulgatam editionem tum Matthæi quam Marci ex Græca editione translatam.

De S. Luca Evangelista. 44.

Sanctus Lucas Evangelista, Sancti Pauli comes et sectator, vixit annos octoginta quatuor, uxorem non habens : scripsitque duo sacra volumina, Evangelium, et Acta Apostolorum : testis Hieronymus in lib. de script. Eccles. Neque de his ulla controversia est.

De auctore libri, qui Pastor *inscribitur.*

Hermam sive Hermes librum scripsit apud veteres valde celebrem, quem inscripsit, Pastorem. Is liber quamvis a Sancto Hieronymo in lib. de script. Eccles. utilis esse dicatur, et nomine Scripturæ a Sancto Irenæo lib. IV. cap. 37. citetur ; et ab aliis antiquissimis scriptoribus, ut Clemente Alexandrino, et Origene, in testimonium adducatur, tamen numquam fuit in canone sanctorum et divinorum librorum : nam Gelasius in Concilio Romano inter apocrypha scripta illum rejecit, et Sanctus Hieronymus in prologo Galeato : et Sanctus Athanasius in libro de decretis Nicænæ Synodi, et Eusebius lib. V. Hist. cap. 3. dicunt hunc librum non esse in canone ; quod idem scripsit Tertullianus in lib. de Pudicitia.

Quamvis autem hic liber multa utilia habeat, ut Sanctus Hieronymus scribit : habet tamen etiam aliqua noxia, ut de unica pœnitentia secundum errores Novatianorum, quibus hic liber omnino favere videtur : ut etiam illud de duobus geniis, sive de duobus Angelis, uno bono et altero malo, singulis hominibus a Deo tributis ; quem errorem ex hoc auctore accepit J. Cassianus, eumque posuit in tertia decima collatione cap. 12. et ante eum Origenes hom. 35. in Lucam.

Quis autem iste Hermam fuerit, non parva quæstio est. Nam Origenes in cap. 16. ad Romanos, Eusebius lib. III. hist. cap. 3. et Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccl. dicunt, hunc esse illum Hermam, quem salutari jubet Apostolus in epist. ad Romanos cap. XVI. cum ait, *Salutate Asyncritum, Plegonthem, Hermam*, etc. Damasus autem, sive potius Anastasius bibliothecarius in vitis Pontificum, quæ habentur ad initium primi tomi Conciliorum, scribit, Hermam, sive Hermetem, auctorem libri Pastoris, fuisse fratrem Sancti Pii Romani Pontificis, et librum appellatum esse Pastorem, quoniam Angelus in habitu Pastoris Hermeti apparuerat, et ut ea scriberet, quæ illi revelaverat, jusserat.

Non videtur autem fieri posse ut Hermes frater Pii Pontificis ille sit, quem Apostolus salutari jusserat in epist. ad Romanos : nam inter illam salutationem, et Pontificatum Pii, intercedunt, ut minimum, anni centum, et qui salutabatur ab Apostolo, non erat infans recens natus, sed vir aliquis gravis, notus Apostolo ex operibus bonis : proinde non est probabile, illum supervixisse usque ad tempora Pii Pontificis.

Deinde scribit S. Hieronymus loco notato, librum Pastoris apud Græcos fuisse notissimum, apud Latinos pene ignotum ; at si auctor libri fuisset homo Latinus, et Romani Pontificis frater, debuisset liber ipsius notior Latinis esse, quam Græcis.

Existimo igitur diversos esse auctores, et diversos eorum libros, quamvis idem fere nomen gererent : nam præter ea quæ dicta sunt, is qui ab Apostolo salutari jubetur, vocatur Hermam ; frater Pii dicitur Hermes : deinde liber, qui scriptus dicitur a fratre Pontificis, præcipue continebat mandatum Domini per Angelum, ut Pascha die Dominico celebraretur : at in libro Pastoris, qui a veteribus citatur, et qui adhuc exstat, nulla mentio fit Paschatis celebrandi die Dominico. Quare probabile est, librum Hermetis, fratris Pontificis, cito interiisse : et solum reliquum esse illum celebriorem, quem scripsit Hermam discipulus Apostolorum.

Quod etiam confirmatur ex eo, quod S. Irenæus lib. IV. cap. 37. citans eum librum, dicit, « Bene ergo Scriptura dicit, primo omnium credi, quoniam unus est Deus. » Neque enim Irenæus Scripturam absolute vocaret librum auctoris sui temporis, et qui Apostolus vel Apostolorum auditor non fuisset.

De Prochoro, uno ex primis septem Diaconibus.

Prochorum fuisse unum ex primis septem Diaconibus testatur S. Lucas in Actis Apostolorum cap. VI. Sed narratio, quæ sub ejus nomine exstat in bibliotheca S. Patrum, videtur omnino conficta. Nam quod in ea legitur, Sanctum Joannem Apostolum, et Evangelistam, cum ei sorte obtigisset Asia, gravissime id tulisse, ac vehementer ingemuisse, seque ad pedes aliorum Apostolorum abjecisse, atque propterea a Sancto Petro fuisse reprehensum, indignum omnino est tanto Apostolo.

Quod in eadem narratione scribitur, post-eaquam S. Joannes ex olla ferventis olei illæsus exivit, a fidelibus, qui illic aderant, Ecclesiam in ejus honorem fuisse constructam, incredibile est. Qui enim id auderent in oculis sævientis Domitiani ?

Quod denique in eadem narratione dicitur, Evangelium a S. Joanne in insula Patmo fuisse conscriptum, repugnat communi sententiæ, quæ habet, Evangelium a sancto Joanne scriptum fuisse diu post exilium Patmos, in ultima sua ætate.

Vide sanctum Athanasium in synopsi extrema, ubi dicit, Evangelium prædicatum quidem a Sancto Joanne in Patmo, sed editum Ephesi post reditum ab exilio. Cui consentiunt Eusebius lib. III. Hist. cap. 24., Epiphanius in hæresi quinquagesima prima, Hieronymus in lib. de script. Eccles., Victorinus et Primasius in expositione Apoc., Beda, Rupertus et alii initio expositionis in Joannem.

Fortasse hæc Prochori narratio de rebus gestis S. Joannis, est liber ille, qui sub nomine Circuitus Joannis, inter apocrypha recensetur a S. Athanasio in synopsi.

De sancto Lino. 70.

Similis narrationi Prochori est narratio, quæ sub nomine S. Lini exstat in bibliotheca S. Patrum. Narrat enim auctor ille multa de actis S. Petri, quæ vel falsa vel dubia sunt ; neque testimonium habet hoc opusculum S. Lini a veteribus.

Inter alia scribit auctor, Agrippam fuisse præfectum Urbis tempore passionis S. Petri, atque ab isto Agrippa fuisse S. Petrum occisum, sine consensu imperatoris Neronis, a quo etiam id factum postea fuisse improbatum.

Sed neque constat præfectum Urbis tunc fuisse Agrippam : et necem S. Petri Neroni displicuisse, repugnat omnibus veteribus Patribus.

In eadem narratione scribit auctor, uxorem Albini secundum doctrinam S. Petri, repudiasse thorum viri sui ob amorem castitatis, invito et reclamante marito.

Hæc vero doctrina S. Petri esse non potest, cum repugnet doctrinæ coapostoli ejus Pauli, I Corinth. VII. Fateor quidem a S. Lino conscripta fuisse Acta S. Petri, vel potius Acta Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, quod aliqui dicunt, et de Actis S. Petri in Romano Breviario legitur ; sed ea non exstare, et loco eorum supposita fuisse, quæ nunc exstant arbitramur.

De S. Clemente Romano. 92.

Clemens Romanus, qui anno tertio Trajani martyrio coronatus est, cum sedisset in Apostolica sede annos novem, multa scripsisse fertur, videlicet,

Epistola duas ad Corinthios.

Duas ad Jacobum fratrem Domini.

Tres ad diversos.

Libros decem recognitionum.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ESCUELA DE BIBLIOTECAS

Libros VIII. constitut. Apostolicarum.
Canones Apostolorum.
Itinerarium S. Petri.
Disputationem S. Petri cum Apione : et liturgiam.

Epistola prior ad Corinthios non exstat ; ejus tamen mentionem faciunt passim veteres Patres, ut epistolæ gravissimæ, et epistolæ S. Pauli ad Hebræos perquam similimæ. Vide S. Irenæum lib. III. cap. 3., Clementem Alexandrinum lib. VII. Stromat., Eusebium lib. II. hist. cap. 12. et S. Hieronymum in libro de Script. Eccles.

Epistola posterior ad Corinth., neque exstat, neque ab Ecclesiis probatur, ut S. Hieronymus testatur loco notato.

Epistolæ quinque quæ nunc exstant, non carent scrupulo. Nam constat, S. Jacobum, ad quem scribuntur duæ epistolæ, obiisse multo ante S. Petrum, et tamen in iis significatur Jacobo mors S. Petri. Sed forte epistolæ scriptæ sunt ad Simeonem fratrem Jacobi, non ad ipsum Jacobum. In epistola quinta laudatur communitas omnium rerum, et am uxorum : et totus hic locus desumptus est ex lib. X. Recognitionum, ubi hæc dicuntur a Faustiniano Ethnico, et a Sancto Clemente refutantur. Sed forte hæc irrepserunt, et in codice Vaticano non inveniuntur.

Scripsisse Clementem alias quoque epistolas, præter illam celebrem ad Corinthios, testatur S. Hieronymus in lib. I. adversus Jovinianum, ubi dicit, Clementem in suis epistolis, omnem pene sermonem de Virginitatis puritate contexere ; quas laudes Virginitatis in epistolis, quæ exstant, non reperimus.

De recognitionibus ejusdem Clementis non habeo aliquid certi, quamvis non pauca utilia documenta contineant, et a viris doctis aliquando citentur : tamen probabile existimo, vel non esse Clementis, vel esse idem opus cum eo, quod itinerarium, vel circuitus Petri aliqui vocant : ad quod opus, teste Epiphanio hæres. 30. Clemens ipse testatur, circuitus Petri a se conscriptos, ab Hæreticis depravatos fuisse. Vere enim in recognitionibus describuntur itinera S. Petri et Sancti Clementis, et admiscentur disputationes ex media Platonis philosophia depromptæ, quas nullo modo credibile est S. Petri esse.

Quod si recognitionum et itinerarii idem sit opus, satis constabit, esse apocryphum. Itinerarium enim inter apocrypha retulerunt, Sanctus Athanasius in Synopsi, Sanctus Gelasius in Concilio Romano, unde exstat caput, Sancta Romana. dist. 13. et Leo IX, in epistolis adversus Nicetam. Verum quidem est, recognitionem numerari libros decem, et itinerarii libros octo : sed facile fuit corruptoribus addere, vel minuere, vel mutare.

De libris constitutionum Apostolicarum, quæ Clementi auctori tribuuntur : idem fere judicium fieri debet, ac de libris recognitionum. Multa enim in illis utilia sunt, et a Græcis veteribus magni fiunt : sed in Ecclesia Latina nullum fere nomen habent : et ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano can. 2. improbant has constitutiones, ut ab Hæreticis depravatas.

Audio Æthiopes his constitutionibus uti, ut vere Apostolicis, et ea de causa in erroribus versari circa cultum sabbati, et dici Dominicæ ; et circa ministrum Sacramenti Baptismi, et aliis quibusdam dogmatibus : nam lib. VII. cap. 24. jubent servari diem sabbati, et Dominicæ, et lib. V. constit. cap. 10, prohibetur absolute, ne laici baptizent, et lib. VI. cap. 15. jubent rebaptizari eos, qui baptizantur ab Hæreticis, ea de causa, quia hæretici non sunt Sacerdotes.

Ac ne forte objiceretur quod Philippus Diaconus baptizabat, ut dicitur Act. VIII. in iisdem constitutionibus lib. VI. cap. 7. dicitur, Philippum, qui baptizavit Simonem magum, fuisse Apostolum. Quod manifeste falsum est.

Habentur in iisdem constitutionibus alia non pauca, quæ abhorrere videntur a veritate, ut quod lib. III. cap. 2, quartas nuptias appellent manifestam fornicationem, lib. V. cap. 6. distinguant Mariam Magdalenam a Maria sorore Lazari, lib. VIII. c. 14. Jacobum fratrem Domini non velint esse Apostolum ex duodecim, et lib. eodem cap. 26. et 27. 28. velint imponi manum Subdiacono, et Lectori, et ipsi etiam Diaconissæ, dum ordinantur : et lib. eodem cap. 32. dicant. Exorcistas non ordinari : et cap. 38. dicant ancillam soli domino obsequentem recipi : si cum aliis intemperans fuerit, rejici.

De canonibus Apostolorum a Clemente scriptis major est difficultas ; nam ab una parte Tertullianus in libro adversus Praxeam scribit, canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Sanctus quoque Athanasius in synopsi eos numerat inter agiographa. Synodus Trullana c. 2. recipit canones Apostolorum octoginta quinque. Denique S. Joannes Damascenus lib. IV. de fide Orthodoxa cap. 18. videtur eos ponere inter sacras Scripturas.

At contra Gelasius Papa in Concilio Romano, unde exstat caput, Sancta Romana, dist. 15, expresse dicit, liber canonum Apostolorum apocryphus : et hoc idem confirmatur distinct. 16. can. 1. et 2. Sed hæc conciliari possunt, si dicamus, canones legitimos esse solum quinquaginta priores : reliquos non esse legitimos, quamvis a Græcis recipiantur. Sic enim Urbanus II. apud Gratianum dist. 32, can. præter, § Sciendum, dicit, canones Apostolorum ex toto a Græcis, ex parte a Latinis recipi : et Humbertus Cardinalis clarius idem dicit, cujus testimonium sub nomine Leonis IX, ita refert Gratianus dist. 16. can. Clementis. « Apostolorum, inquit, canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt Orthodoxæ fidei tractatores adjungenda. » Hincmarus quoque, ut testatur Franciscus Turrianus lib. I. pro epistolis decretalibus cap. 15. scribit, canones Apostolorum ab Ecclesia nobis traditos esse solum quinquaginta : et ante hos omnes Dionysius Exiguus quinquaginta solum canones Apostolorum in sua collectione posuit.

Denique in antiquis codicibus Conciliorum, non inveniuntur canones Apostolorum, nisi quinquaginta. Et vere canones qui errorem sapiunt, et ab Hæreticis superadditi videntur, sunt canones posteriores, ut can. 6, 5. de sabbato non jejunando, et 6, 7. de baptizatis, vel ordinatis ab Hæreticis, et 8, 4. de numero librorum sacrorum : in quo canone multa sunt errata manifesta. Quod vero Gratianus dicit initio distinctionis sextæ decimæ, canonas Apostolorum auctoritate Zephyrini Papæ esse sexaginta : fortasse vitio librariorum erratum est in numero.

De disputatione S. Petri cum Apione, et de itinerario ejusdem S. Petri, quod non exstat, nisi forte (ut supra diximus) idem sint itinerarium, et recognitiones ; non est multum laborandum : ab initio enim reprobata leguntur, tum apud Sanctum Hieronymum in libro de Scriptor. Eccles., tum apud Sanctum Athanasium in synopsi.

De liturgia S. Clementis idem fere dicendum occurrit, quod de liturgia S. Jacobi, eam vere Clementis esse, sed a posterioribus auctam : credibile autem est, Clementem non ex proprio judicio, sed ex ritu, quem observari viderat a Sancto Petro, liturgiam composuisse ; quemadmodum et ipse Sanctus Petrus nihil aliud faciebat in offerendo sacrificio Eucharistico, nisi quod ipse Dominus fieri jusserat. Meminerunt liturgiæ S. Clementis Proclus Patriarcha Constantinopolitanus lib. VII. de traditione divinæ Missæ, et Nicolaus Episcopus Methonensis in libro de veritate corporis Christi, et Bessarion Cardinalis in libro de Sacramento Eucharistiæ.

De Sancto Ignatio. 71.

Sanctus Ignatius Episcopus Antiochenus, post Sanctum Petrum Apostolum, et Sanctum Evodium, sedere cœpit anno Domini 71. et sedit annis 40. et Romæ est passus anno undecimo Trajani, teste sancto Hieronymo in libro de script. Eccles. Scripsit Epistolas utilissimas, ut testatur Sanctus Polycarpus ejus æqualis, qui in epistola ad Philippenses dicit, se collegisse epistolas Ignatii quotquot invenire potuit.

Eusebius lib. III. hist. cap. 30 septem enumerat epistolas Sancti Ignatii, ut etiam Sanctus Hieronymus loco citato, unam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quinquam ad Philadelphios, sextam ad Smyrnæos, septimam ad Polycarpum. Præter has inveniuntur aliæ quinque ad Mariam Cassabolitam una, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta ad Heronem quinta. Atque hæ quinque epistolæ, quamvis ad manus Eusebii et Hieronymi non pervenerint ; tamen ob styli similitudinem, et spiritum vere Apostolicum a viris doctis omnino recipiuntur.

Tres aliæ circumferuntur, ad B. Virginem Deiparam una, et ad Sanctum Joannem Evangelistam duæ, quibus additur epistola B. Virginis ad Ignatium. Harum, primus (quod sciam) meminit Sanctus Bernardus ser. 7. in Psalmum, *Qui habitat :* sed neque in codicibus Græcis habentur, neque gravitatem eloquii S. Ignatii omnino redolent.

Unum hoc loco admoneudum videtur, non esse magnam fidem habendam codicibus Græcis, qui nunc exstant, quando discrepant a Latinis : sæpe enim emendatiores inveniuntur codices Latini, quam Græci : quod verum esse intelliget, qui conferet testimonia, quæ ex Ignatio citant Sanctus Athanasius in epistola ad Epictetum, et Theodore-

tus in dialogis, cum verbis ejusdem Ignatii, quæ nunc habentur in codicibus Latinis, et Græcis.

De Sancto Polycarpo. 71.

Sanctus Polycarpus Episcopus et martyr, unam scripsit epistolam egregiam ad Philippenses, quæ cum epistolis Sancti Ignatii circumfertur; ejus epistolæ meminit Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. et Eusebius lib. III. hist. cap. 30. alias 36. Vixit tempore S. Ignatii, sed supervixit usque ad imperium M. Antonini, ut idem S. Hieronymus in eodem loco testatur.

De S. Dionysio Areopagita. 71.

Sanctus Dionysius Areopagita S. Pauli Adostoli discipulus fuit, teste Sancto Luca. Act. XVII. Quamvis autem a nonnullis dicatur martyrium subiisse sub Domitiano; contra tamen sentiunt alii, quoniam ipse idem Sanctus Dionysius in libro de divinis nominibus cap. 4. nominatim allegat S. Ignatii verba ex epistola ad Romanos: quam epistolam scriptam esse constat anno septimo Trajani, quo anno Sanctus Ignatius martyrio coronatus est. Scribit autem (inquit Areopagita) et divinus Ignatius, « Amor meus crucifixus est, » hæc autem verba in epistola ad Romanus leguntur; quomodo igitur potest Dionysius obiisse tempore Domitiani, qui Trajanum præcessit, si citat epistolam scriptam septimo anno Trajani? Existimamus igitur Sanctum Dionysium fuisse quidem Sanctorum Ignatii et Polycarpi æqualem, sed supervixisse usque ad imperium Adriani.

Opera Sancti Dionysii, quæ nunc exstant, hæc sunt :

De cœlesti Hierarchia, lib.	1
De Ecclesiastica Hierarchia,	1
Item epistolæ ad Caium,	4
Ad Dorotheum,	1
Ad Sosipatrum,	1
Ad Polycarpum,	1
De divinis nominibus,	1
De mystica theologia,	1
Ad Demophilum,	1
Ad Titum,	1
Ad Apollophanem,	1
Ad S. Joannem Apostolum,	1

De cæteris operibus viri docti et Catholici nihil dubitant. Soli hæretici Lutherani, et quidam sciali, Erasmus, Valla, et pauci alii, opera supra numerata negant esse Sancti Dionysii Areopagitæ.

Sed (ut alia nunc omittam) ad auctoritatem his operibus conciliandam satis esse debet, quod hæc opera probentur a Sancto Gregorio Papa hom. 34. in Evangelio, a Sancto Martino Papa, et martyre, in Concilio Romano, a Sancto Agathone Pontifice, in epistola ad imperatorem Constantinum IV et a Nicolao I in epist. ad Michaelem Imperatorem. Item a Concilio IV. generali Act. IV. et a Concilio VII. Act. II. Denique a Sanctis Doctoribus plurimis, qui in hæc opera, tamquam germana Sancti Dionysii Areopagitæ, commentaria scripserunt, ut a Sancto Maximo Monacho, a S. Thoma, et aliis.

Quod autem ante Sanctum Gregorium Romanum nemo horum operum nomine S. Dionysii Areopagitæ meminerit : causa videtur esse, quod alicubi latuerint, ut multa alia sæpe longo tempore delitescunt; et circa tempora Sancti Gregorii reperte fuerint.

Quod enim quidam dicunt, citari nominatim hæc opera ab Origene homilia quadam in primum caput Joannis, et ab Athanasio in quæstionibus ad Antiochum quæst. 8. nihil efficit; nam in homilia illa nominantur Ariani, qui diu post Originem exorti sunt : et in quæstionibus ad Antiochum nominantur auctores ipso Athanasio posteriores : ex quo sequitur ut illa testimonia esse non possint Origenis, vel Athanasii, sed recentiorum auctorum.

Scribunt quidem Liberatus Abbas in Breviario cap. 10. et Anastasius bibliothecarius in epist. ad Carolum Calvum imper. citari Dionysium Areopagitam a Joan. Chrysostomo, et Cyrillo Alexandrino, sed quæ illi citant, non inveniuntur in locis citatis.

De S. Martiale Episcopo Lemovicensi.

Sanctus Martialis primus Episcopus Lemovicensis, dicitur scripsisse duas epistolas, unam ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos, quæ exstant in bibliotheca sanctorum Patrum. Sed multa sunt, quæ eas epistolas supposititias esse indicare videantur.

Primum enim auctor harum epistolarum dicit, se cum Christo vixisse, antequam crucifigeretur : Martialis autem Episcopus primus Lemovicensium missus fuit ad eam urbem, Decio Augusto et Grato Coss. anno Dom. 251. ut Gregorius Turonicus testatur lib. I. hist. cap. 10. quare necesse est, vel Martialem vixisse ferme 300. annis, vel titulum epistolarum esse falsum, qui auctorem

præfert Martialem Episcopum Lemovicensem, vel Epistolas esse confictas.

Deinde in secunda epistola cap. 8. scribit auctor a se baptizatum Stephanum regem, et quemdam alium tyrannum cum Satrapis suis. Atqui tempore Apostolorum, et etiam tempore Decii imperatoris, non habuit Gallia ullos reges, sed imperio Romano subjecta erat. Primum enim regem, Romanis expulsis, fuisse in Gallia Clodionem Comatum Pharamundi filium post annum Dom. 400. testantur omnes historici, Gregorius Turonicus lib. II. cap. 9. qui eum vocat Clogionem. Ado Viennensis, Abbas Urspengensis, Aimoinus, Paulus Æmilius, Robertus Gaguinus, Papirius Massonius, et alii.

Tertio, dicit idem auctor eodem loco, templa idolorum eversa fuisse, et Ecclesias ædificatas auctoritate regia ipso suo tempore : quæ videntur manifeste falsa; certe pugnant cum historiis Gregorii Turonici, Adonis et aliorum.

Quarto, in epistola eadem cap. 9. citantur verba Scripturæ Geneseos secundum S. Hieronymi versionem, quod etiam in utraque epistola passim cernitur. Id vero signum est apertissimum novitatis.

Quinto, in eadem epistola cap. 13. scribit auctor se interfuisse cum aliis discipulis quando Judas osculo Dominum prodidit. Atqui hoc videtur repugnare Evangelio : siquidem Marcus, cap. XIV. et Lucas, cap. XXII, dicunt Christum cum duodecim ultimam cœnam celebrasse, et cum eisdem in hortum ingressum, ac deinde Judæ obviam ivisse.

Sexto, in epistola eadem, cap. 8. dicit, Valeriam quamdam in ipsa Gallia martyrio coronatam. Id vero repugnat Sulpitio lib. II. sacræ historiæ, et Gregorio Turonico, lib. I. cap. 28. hist. Francorum, qui scribunt, temporibus M. Antonini primum intra Gallias martyria visa.

Multa sunt alia, quæ his epistolis fidem detrahere videntur. Alioqui autem piæ sunt, et ex iis non pauca dogmata Ecclesiastica confirmari possent adversus nostri temporis Hæreticos, si de tempore, quo scriptæ sunt, plane constaret.

De Abdia Babylonio.

Abdias Babylonius, unus ex discipulis Domini fuisse dicitur. Sed vitæ Apostolorum, quæ sub nomine ejus circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam veræ narrationi. Sed neque ejus Abdiæ, aut libri ejus ullam in veteribus mentionem invenio.

De Presbyteris Achaiæ, qui Sancti Andreæ passionem scripserunt.

Exstat passio S. Andreæ Apostoli sub nomine Presbyterorum Achaiæ, qui dicunt se scripsisse ea quibus ipsi interfuerunt. Audivi aliquando magnum quemdam virum eam historiam in dubium revocantem. Sed certe non videtur negari posse, quin vera et antiqua, et utilis historia sit.

Petrus Damiani, qui ante sexcentos annos floruit, in serm. 2. de Sancto Andrea, de hac historia sic loquitur : « Non immerito in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt, et ministri fuerunt sermonis. » Sanctus etiam Bernardus in serm. de Sancto Andrea, in vigilia ejus, et in duobus, quos habuit in die festo, miris laudibus effert verba S. Andreæ ad crucem, quæ in hoc libro ad verbum inveniuntur.

Joannes a Lovanio, vir multæ doctrinæ, et judicii, in censura de passionibus sanctorum, quæ habetur in martyrologio Molani, hanc historiam, ut legitimam, probavit.

Idem fecit Aloysius Lippomanus, vir gravissimus, qui ex probatis auctoribus vitas sanctorum descripsit. Denique in breviario Romano, nuper recognito, historia hæc, cum de ea inter viros doctos et graves scriter disputatum esset, omnium consensu approbata locum suum retinuit.

SÆCULUM SECUNDUM AB ANNO 100. AD 200.

De S. Justino Martyre. 150.

Post Apostolica tempora primus eorum, quorum scripta ad nos pervenerunt, videtur esse sanctus Justinus Philosophus et Martyr. Floruit enim temporibus Antonini Pii, et successorum ejus Marci Aurelii et Lucii Veri; et in Apologia ad imp. et senatum, populumque Romanum, scribit, numerari eo tempore annos 50. a Christi nativitate.

Opera ejus multa recensentur ab Eusebio lib. IV. hist. cap. 17. et a Sancto Hieronymo in lib. de script. Eccles., quorum operum non exstant, et quædam etiam exstant, quorum illi non meminerunt. Hæc igitur Justini opera nunc feruntur :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dialogus cum Tryphone Judæo Ephesi habitus.

Apologia ad senatum Romanum.

Apologia altera ad imp. Antonium Pium.

Oratio parænetica ad gentes.

De monarchia.

Expositio fidei sive de recta confessione.

Epistola ad Zenam et Serenum.

Interrogationes, sive quæstiones positæ gentibus, et gentium ad eas responsiones, earumque refutationes.

Interrogationes, sive quæstiones gentium positæ Christianis, et ad eas responsiones.

Refutatio quorumdam Aristotelis dogmatum.

Et quidem de primis quinque libris, quorum Eusebius et Hieronymus meminerunt, non videtur posse dubitari. Sciendum est autem, Apologiam priorem, ut in nostris libris habemus, reipsa esse posteriorem, et non ad senatum datam, ut nostri libri habent, sed ad Marcum et Lucium imperatoris Pii successores, ut aperte colligitur ex Eusebio et Hieronymo locis citatis : sed fefellit nostros, quia apologia prior caret initio, et ideo non potuit cognosci ad quem, vel ad quos directa esset.

Liber de expositione fidei, sive de confessione rectæ fidei, cujuscumque sit, insignis liber est, et Justino auctore dignus. Ambigo tamen an ejus sit : primo, quia veteres ejus non meminerunt : secundo, quia stylus videtur, esse diversus a stylo Justini : tertio, quoniam multo apertius et distinctius disserit de mysteriis Trinitatis, et Incarnationis, quam scriptores ejus sæculi facere soleant.

De epistola ad Zenam et Serenum idipsum censeo.

De libro quæstionum quinque gentibus a Christianis positarum, facile judicari potest, eum librum non esse Justini, quod in eo sæpe fiat mentio Manichæorum, quos post mortem Justini exortos esse constat. Idem judicium fieri potest de quæstionibus 146. quas gentes Christianis posuerunt : nam quæst. 82. et 86. citatur Origenes, et quæst. 115. citatur Irenæus, et Martyr appellatur : cum tamen Justinus utroque antiquior fuerit : nam ipse etiam Irenæus lib. v. Justinum Martyrem adducit, tamquam se antiquiorem.

De reprehensione dogmatum Aristotelis, meminit Photius in bibliotheca ; neque exstat evidens indicium falsitatis ; ideo nihil habeo quod dicam.

De Melitone. 150.

Sanctus Melito Sardensis Episcopus M. Aurelii imp. tempore floruit ; cui etiam Apologiam pro Christianis obtulit, ut refert Eusebius lib. IV. hist. cap. 25. Multa scripsit, quorum fragmenta exstant apud Eusebium loco notato. Inter quæ fragmenta continetur catalogus librorum Testamenti veteris, in quo liber Sapientiæ tribuitur Salomoni : et hic solus liber recensetur a Melitone ex iis qui in Hebraicis codicibus non habentur : ut etiam solus liber Esther omittitur ex iis qui sunt in Hebræo.

Tribuitur etiam Melitoni liber de transitu B. Virginis, qui exstat in VII. tomo bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2., sed indignus liber est, qui tanto viro tribuatur.

De Athenagora. 155.

Athenagoras æqualis Justini fuit, et insignem apologiam pro Christianis scripsit, et impp. Marco Aurelio Antonino et Aurelio Commodo obtulit : quam sub nomine Athenagoræ citat Sanctus Epiphanius in hæresi Origenis, ubi refert verba Procli ex Methodio.

Scripsit etiam librum de resurrectione : utrumque opus exstat tomo IX. bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2. et suspicione caret. Mirum autem est, cur Eusebius diligentissimus scriptorum investigator, hujus auctoris non meminerit.

Quod autem Sanctus Hieronymus hunc scriptorem omiserit non est adeo mirum, cum satis constet, catalogum Sancti Hieronymi, ex historia Eusebii esse desumptum, quoad illos scriptores, qui Eusebium præcesserunt.

De S. Theophilo. 170.

Sanctus Theophilus Episcopus Antiochenus, sextus ab Apostolo Petro vixit tempore M. Aurelii imp. et sub Commodo ejus filio obiit, teste Eusebio in chronico. Scripsit multa, teste S. Hieronymo lib. de script. Eccles., sed nunc exstant in I. tomo bibliothecæ sanctorum Patrum secundæ editionis, commentaria in quatuor Evangelia ; et libri tres ad Autolycum adversus Christianæ religionis calumniatores.

De Tatiano. 170.

Tatianus Sancti Justini auditor, scripsit infinita volumina, ex quibus (inquit Sanctus Hieronymus de script. Eccles.) unus contra gentiles florentissimus exstat liber, qui nuper est inventus, et editus in quarto tomo bibliothecæ sanctorum Patrum secundæ editionis. Porro Tatianus post martyrium sancti Justini a fide Catholica defecit, et in superbiam elatus hæresiarcha factus est.

De Hegesippo. 177.

Hegesippus æqualis Justini et Athenagoræ fuit ut ex Eusebio lib. IV. hist. cap. 21. et Sancto Hieronymo in lib. de script. Eccles. perspicuum est. Scripsit historiam Ecclesiasticam usque ad sua tempora, id est, usque ad Anicetti pontificatum. Hujus historiæ meminerunt Eusebius et Sanctus Hieronymus locis citatis, in quibus fragmenta historiæ ejusdem leguntur. Nunc exstat. Libri vero de excidio Hierosolymæ, qui sub nomine Hegesippi circumferuntur ; aut alterius Hegesippi recentioris ; aut suppositii sunt. Certe ex lib. tertio, cap. 5. colligitur, post Constantini tempora libros illos fuisse conscriptos.

De Sancto Irenæo. 180.

Sanctus Irenæus Episcopus et martyr, Commodo imperatore et Eleuthero Pontifice vixit : et tempore Severi imp. martyrium consummavit, scripsit multa ; sed ad nos non pervenerunt, nisi quinque libri adversus Valentinum, qui pleni sunt doctrina et pietate. Ambigunt nonnulli, græcene an latine scripserit ; quoniam non inveniuntur ejus libri, nisi latine conscripti : et tamen ipse natione Græcus erat, et Sancti Polycarpi discipulus, et phrasis ejus græcismum redolet. Sanctus Hieronymus lib. XI. in Ezechielem explanans caput XXXVI. Ezechielis, aperte Irenæum inter scriptores Græcos numerat : et in lib. de script. Eccles. in Tertulliano, dicit, Tertullianum esse primum Latinorum post Apollonium, et Victorem, quorum uterque Irenæo posterior est.

SECULUM TERTIUM AB ANNO 200. AD 300.

De Tertulliano. 203.

Tertullianus tempore Severi imperatoris floruit, ut ipse testatur lib. I. in Marcionem, in Apologetico cap. 4. et alibi. Initio Catholicus ardentissimi zeli, deinde in Montani hæresim prolapsus contra Ecclesiam non pauca scripsit. Ergo opera Tertulliani indubitata sunt.

De patientia,	lib. 1
De carne Christi,	1
De resurrectione carnis,	1
De præscriptionibus adversus Hæreticos,	1
Adversus Judæos,	1
Adversus Marcionem,	5
Adversus Valentinianos,	1
Adversus Hermogenem,	1
Adversus Praxeam,	1
De corona militis,	1
Ad Martyres,	1
De pœnitentia,	1
De virginibus velandis,	1
De habitu muliebri,	1
De cultu feminarum,	1
Ad uxorem suam,	2
† De fuga in persecutione,	1
Ad scapulam,	1
De testimonio animæ,	1
De anima,	1
† De exhortatione castitatis,	1
† De Monogamia,	1
De Baptismo,	1
De pallio,	1
De idololatria,	1
† De pudicitia,	1
† De jejunio adversus Psychicos,	1
Scorpiacum contra Gnosticos,	1
De oratione,	1
De spectaculis,	1
Apologeticus adversus gentes,	1

Ex his libris Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccl. dicit, scriptos esse contra Ecclesiam a Tertulliano jam tum Hæretico, librum de fuga in persecutione, de exhortatione castitatis, de monogamia, de pudicitia, de jejunio, quibus crucem addidimus. Librum de oratione scribit Sanctus Hilarius in cap. V. Matthæi, esse volumen aptissimum, sed consequentem errorem auctoris detraxisse scriptis probabilibus auctoritatem.

Opera Tertulliani dubia, vel supposititia.

De Trinitate. lib. I.
De cibis Judaicis, epistola.

De libro de Trinitate dissentiunt Sanctus Hieronymus, et Ruffinus : hic enim in Apologia pro Origene scribit, librum de Trinitate, Tertulliani, ab Hæreticis cum operibus Sancti Cypriani conjunctum fuisse, ut fallerent incautos. Ille autem in secundo libro adversus Ruffinum contra asserit, librum illum de Trinitate, non esse Tertulliani, sed Novatiani.

Idem etiam Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. in Novatiano, scribit Novatianum scripsisse grande volumen de Trinitate quasi epitomen operis Tertulliani. Ubi aperte significat. Tertullianum quoque scripsisse de Trinitate, cujus libri epitomen Novatianus ediderit. Sed quicquid de hac re sit, dubitari non posse existimo quin liber de Trinitate, qui nunc exstat inter opera Tertulliani, Tertulliani non sit : nam in eo libro refutatur nominatim Sabelliana hæresis. Sabellius autem post tempora Tertulliani apparuit, et in tempora Novatiani incidit, ut notum est ex epistola Dionysii Alexandrini apud Eusebium lib. VII. hist. cap. 5. Adde quod stylus (ut etiam Sanctus Hieronymus annotavit) aperte clamat, librum illum Tertulliani non esse.

Liber, sive epistola de cibis Judaicis, non videtur stylum habere Tertulliani : et videtur ab aliquo Episcopo propriæ plebi transmissus. Tertullianus autem Episcopus non fuit. Iterum tamen nihil definio, sed causas dubitandi in medium pono. Illud postremo addendum videtur, Tertulliani libros cum judicio esse legendos, non eos tantum, quos S. Hieronymo teste, contra Ecclesiam proprie scripsit, sed etiam librum adversus Praxeam, librum de anima, librum adversus Hermogenem, librum de carne Christi, et librum de pœnitentia. In his enim propositiones non paucæ, vel erroneæ, vel certe suspectæ occurrunt.

De Clemente Alexandrino. 204.

Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, vir doctissimus, Panteni discipulus, et Origenis magister, vixit sub Severo imp., ut ipse testatur lib. I. Stromatum. Ibi enim deducit tempora imperatorum usque ad obitum Commodi, cui severus successit, post brevissimum imperium Pertinacis, et Juliani. Multa scripsit, quorum meminerunt Eusebius lib. V. hist. cap. 11. et S. Hieronymus de Script. Eccles. Nunc vero hæc opera supersunt :

Stromatum libri octo.
Pædagogi libri tres.
Oratio exhortatoria ad gentes.

Neque de his dubitatio ulla est. Meminit Cassiodorus in lib. I. Divinarum institutionum explanationis Clementis Alexandrini in epistolas canonicas : an ea sit, quæ in bibliotheca S. Patrum invenitur, non facile judicare possum.

Non desunt in hoc insigni auctore sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, quas in libris nostris controversiarum notavimus, et ob quas Gelasius Papa, in Concilio quodam Romano, Clementis hujus opuscula inter apocrypha retulit. Utrum autem sententiæ illæ ab Hæreticis insertæ sint, ut aliqui pie credunt, an auctori more humano exciderint, ignoramus.

De Minutio Felice. 206.

Minutius Felix Tertulliani æqualis, scripsit dialogum inter Christinum Octavium, et Ethnicum Cæcilium, qui dialogus, Octavius inscribitur ; atque inde factum est, cum auctor ignoraretur, ut septem libris Arnobii contra gentes, hic veluti octavus adjungeretur. Sed re vera non est octavus liber Arnobii, sed Octavius Minutii Felicis, causidici Romani, insignis, ut S. Hieronymus testatur in lib. de script. Eccles.

De S. Hippolyto Episcopo, et Martyre 220.

Sanctus Hippolytus Episcopus Portuensis, et Martyr, Clementis Alexandrini discipulus, sub Alexandro Severo martyrum consummavit.

Multa scripsit quæ enumerantur ab Eusebio lib. VI. hist. cap. 16. et a Sancto Hieronymo in lib. de script. Eccles. Nunc solum exstant excepta quædam ex libris S. Hippolyti de Theologia, et Incarnatione, apud Henricum Canisium tomo quinto antiquæ lectionis : necnon in bibliotheca sanctorum Patrum, Oratio de consummatione mundi, de Antichristo, et secundo adventu Domini nostri Jesu Christi.

Consulat lector notationes Card. Baronii ad martyrologium die 22 Augusti.

De Julio Africano 222.

Julius Africanus paulo senior Origene fuisse videtur, cum in epistola ad Origenem, eum filium appellet. Scripsit librum de temporibus ab origine mundi usque ad Macrinum imperatorem, sub quo ipse vivebat, et ad M. Antoninum Heliogabalum, legationem suscepit, ut S. Hieronymus testatur in lib. de script. Ecclesiast. Sed hi libri perierunt, cum tamen exstarent tempore Photii, ut ipse in bibliotheca scribit. Exstat hoc tempore solum epistola ad Origenem de historia Susannæ, quam fabulosam esse contendit : cui respondit Origenes, veram illam esse demonstrans. Epistola Julii Africani exstat in secundo tomo operum Origenis.

De Origene 226.

Origenes Adamantius Clementis Alexandrini discipulus vixit usque ad tempora Galli et Volusiani impp., teste Sancto Hieronymo in lib. de script. Eccles. Quamvis autem doctissimus fuerit, deceptus tamen ex Platonis philosophia inmultos errores incidit. Sanctus Basilius in lib. de Spiritu sancto cap. 30. dicit, Origenem non habuisse sanas de Spiritu sancto opiniones. Sanctus Epiphanius in libris de hæresibus ponit Origenem in numero aliorum Hæreticorum. Sanctus Hieronymus vertit in Latinum idioma libros Origenis Periarchon, ut ostenderet errores plurimos, quibus libri illi scatent. Denique in quinta Synodo generali collatione 8. can. 11. dicitur anathema Origeni, et scriptis ejus, sicut Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, et Eutycheti : et in lib. qui inscribitur. Pratum Spirituale. cap. 23. in quadam revelatione visus est Origenes cum Ario aliisque Hæreticis in gehennæ ignibus torqueri, Citatur autem Pratum spirituale in 7 Synodo generali, ne quis eum librum spernendum censeat. Hæc præmittenda existimavi propter eos, qui Origenem defendere vel excusare, conantur, quales fuerunt olim Eusebius in lib. VI. hist. Eccles. et in apologia pro Origene, quam nomine Pamphyli martyris edidit : et qui Eusebium imitatus est, Ruffinus qui etiam apologiam pro eodem Origene scripsit. Deinde paulo ante nostram ætatem eamdem defensionem suscepit Joannes Picus ; et nostro tempore Gilbertus Genebrardus.

Onera Origenis ascendunt ad sena millia librorum, teste Epiphanio in hæresi Origenis, quæ est ordine 64. Sed plurima perierunt. Quæ nunc exstant, in duos tomos distributa hæc sunt.

Primi tomi :

In Genesim homilia	17
In Exodum hom.	13
In Leviticum hom.	16
In Numeros hom.	28
In librum Josue hom.	26
In librum Judicum hom.	9
In lib. Regum hom.	1
In librum Job libri	3
In Psal. XXXVI. XXXVII et XXXVIII hom.	9
In Cantica canticorum hom.	6
In Isaiam hom.	9
In Hieremiam hom.	14
In Ezechielem hom.	14
Periarchon, id est, de principiis lib.	4
Threni, sive planctus Origenis tract.	1
De recta in Deum fide dialogus.	
Commentaria in Job, Joachimo Perionio interprete.	
In eumdem hom.	4

Secundi tomi :

In Matthæum tractatus.	35
In Lucam hom.	39
In Joannem tractatus.	32
In diversos locos novi testamenti hom.	10
In epistolam ad Rom. lib.	36
Contra Celsum lib.	8
Contra Marcionistas dialogi.	
Philocalia, sive de amore honesti.	
De Susannæ historia epitome.	

De eadem historia Julii Africani epistola, et ad eamdem Origenis responsio.

His addi possunt Tetrapla, Hexapla, et Octapla Origenis labore contexta. Tetrapla sunt quatuor editiones Testamenti veteris, 70 Interpretum, Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis. Hexapla sunt quatuor illæ adjunctis duabus Hebraicis, altera litteris Hebraicis, altera litteris Græcis. Octapla sunt, editiones sex supra dictæ, adjunctis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

duabus sine nomine auctoris, quinta et sexta : addidit ipse Origenes septimam editionem ex versione 70. Interpretum emendata, et cum Theodotionis versione collata, additis asteriscis, et obeliscis. Vide de his editionibus Epiphanium in lib. de ponderibus, et mensuris.

Opera dubia, vel supposititia.

Homiliæ in Leviticum habentur etiam inter libros S. Cyrilli; sed vere Origenis sunt, non S. Cyrilli : nam et phrasim Origenis servant, et erroribus ejusdem scatent.

Libri tres in Job, non videntur esse Origenis : nam lib. II. meminit auctor Homousianorum, quam dicit esse sectam trium deorum, quæ totum orbem replevit. At nomen Homousianorum inventum est ab Arianis, qui post obitum Origenis apparuerunt. Deinde lib. II. meminit auctor S. Luciani jam tum martyrio affecti. At S. Lucianus posterior Origene fuit.

Commentaria quoque in Job, Perionio interpretre, non videntur esse Origenis : nam in explanatione cap. 3. affert expositionem S. Luciani Martyris; item in explanatione cap. 7. et 8. refellit Manichæos nominatim : et in cap. 18. meminit Homousianistarum. At Manichæi et Ariani, qui Catholicos Homousianistas vocabant, post Origenem exorti sunt.

De Homiliis in Psalmos aliqui dubitant, an sint Origenis.

Homiliæ in diversa loca Evangelii, sine dubio non sunt omnes Origenis.

In Homilia in primum caput Joannis mentio fit Manichæorum, et Arianorum, qui post Origenem exorti sunt.

In Homilia nona in diversa loca, inveniuntur fragmenta ex S. Hieronymo in ultimum caput Isaiæ ad Prophetæ, et ex S. Gregorio lib. XV. moralium cap. 14. et ex aliis Origene posterioribus; et ea fragmenta Hieronymi, et Gregorii, non Origenis esse stylus manifeste docet.

In Homilia de S. Maria Magdalena, super illud, *Maria stabat ad monumentum foris plorans*, stylus est plane Latinus.

Tractatus quintus in Matthæum videtur esse Latini auctoris : nam adducens auctor verba Isaiæ 48. *Dominus misit me, et spiritus ejus :* in Græco, inquit, Spiritus sanctus neutri generis est, non masculini, ut apud nos. Ubi se inter Latinos numerat. Et, si tractatus quintus Latini auctoris est, non parva suspicio est, reliquos etiam tractatus ejusdem operis, Latini auctoris esse. Atque hæc panca de Origene.

De Ammonio Alexandrino. 226.

Ammonius Alexandrinus tempore Alexandri imper. vixit, et scripsit canones Evangelicos, quos alii harmoniam Evangelicam vocant : quam Victor Capuanus cum Tatiani diatessaron confudisse videtur. Vide in bibliotheca S. Patrum tomo VII. editionis secundæ, et Card. Baronium tomo II. Annalium ad annum Dom. 174.

De S. Gregorio Thaumaturgo. 233.

Sanctus Gregorius antea Theodorus dictus, Episcopus fuit Neocæsariensis, et amagnitudine miraculorum patratorum Thaumaturgus appellatus, auditor fuit Origenis, dum esset adolescens, sed ab erroribus ejus omnino immunis fuit. Claruit tempore Alexandri Severi, cujus ann. 10 factum Episcopum scribit Cardinal. Baronius in secundo tomo Annalium, ad ann. 233.

Scripsit Metaphrasim in Ecclesiastem :
Panegyricum in Origenem.
Brevem fidei confessionem, quam ex revelatione B. Joannis Apostoli didicit.
Expositionem fidei adversus Elianum.
Et Epistolam Canonicam.

His nuper adjunxit Gerardus Vossius duodecim sententias cum anathematismis : qui exstant Græce et Latine apud Henricum Canisium tomo III. antiquæ lectionis.

Tres sermones ejusdem S. Gregorii de Annuntiatione B. Virginis.

Item Sermonem de Baptismo Christi, sive de Theophania Domini : denique disputationem de Anima ad Tatianum.

Et quidem de metaphrasi nullum est dubium. Ejus enim testatur S. Hieronymus tum in libro de script. Eccles., tum in Commentario ad cap. IV. Ecclesiastæ; Ruffinus etiam meminit lib. VII. hist. Eusebii cap. 26 et falluntur, qui eam tribuunt Gregorio Nazianzeno.

De panegyrico quoque in Origenem res notissima est. Scripsit enim illud adolescens, et coram ingenti multitudine, ipso etiam Origene audiente, recitavit, teste S. Hieronymo de script. Eccles. et hoc tempore in lucem

prodiit auctore Gerardo Vossio hoc ipsum panegyricum Græce et Latine.

Non minus certum est didicisse S. Gregorium confessionem fidei a B. Joanne Evangelista sibi cum ipsa sanctissima Virgine Deipara apparente; cujus rei meminit Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi : et eam ipsam fidei confessionem ab eodem Gregorio scriptam, totidem verbis referunt idem Gregorius Nyssenus, et alii.

Denique extra controversiam est epistola canonica, quam etiam Balsamon Commentariis illustravit.

Expositionem fidei, quam S. Gregorius scripsit, existimat Gerardus Vossius se invenisse, et edidisse : sed fortasse fallitur : nam expositio illa fidei, cujus meminit S. Basilius in epist. 64. ad Neocæsarienses, quæ vere a Gregorio Thaumaturgo scripta fuerat adversus Elianum, multum differt ab ista, quæ nunc exstat apud Vossium. In illa enim habebatur. « Patrem et filium hypostasi esse unum, et sola animi cogitatione distingui » : unde suspicio orta erat, a Gregorio foveri hæresim Sabellii : et S. Basilius laborat, ut S. Gregorium a Sabellianismi suspicione defendat. At expositio fidei quam Vossius edidit, Sabellium nominatim refutat, neque unquam dicit, Patrem et Filium hypostasi esse unum, et sola rationis cogitatione distingui : sed contra dicit, Patrem et Filium natura divinitatis esse unum et unamquamque personam per se subsistere, et aliam esse hypostasim Patris, aliam Filii, etc. Præterea expositio fidei Vossiana videtur omnino scripta contra Arianos, ac per hoc satis diu post tempora S. Gregorii Thaumaturgi : sic enim incipit, « Inimicissimi, et alieni a confessione Apostolica sunt, qui dicunt, esse Filium ex non exstantibus, » etc., et infra : « Eos vero, qui communicant cum iis, qui rejiciunt homousion, tamquam alienum a Scripturis, et qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum esse, alienos existimamus. »

Constat autem Arianos fuisse, qui dicebant Filium esse ex non extantibus, et qui rejiciebant vocem, homousion, tamquam alienam a Scripturis. Quin etiam ita disputat hic auctor de Incarnatione, ut videatur refellere Nestorianos, et Eutychianos.

Eadem censura addi potest ad duodecim capitula cum anathematismis quæ Gerardus Vossius S. Gregorio tribuit. Videntur enim illa capitula quasi appendix quædam ad expositionem fidei adjuncta; ac præcipue Nestorii et Eutychetis erroribus opponuntur : qui Hæretici longe post obitum S. Gregorii exorti sunt.

De sermonibus in Annuntiationem, et Theophaniam Dominicam, ut etiam de libello de anima ad Titianum, nihil certi habeo, cum nec veteres horum meminerint; neque tamen convinci possit eos esse supposititios.

De S. Cornelio Papa. 254.

Sanctus Cornelius Papa tempore Decii sedit, et scripsit insignes epistolas, quarum meminit sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. e quibus exstat solum epistola ad Fabium, sive Flavianum Antiochenum Episcopum, sed non integra, apud Eusebium lib VI. 6. hist. cap. 35. et alia brevis ad Lupicinum, tomo 1. Bibliothecæ S. Patrum, et aliæ duæ inter epistolas S. Cypriani.

De S. Sixto secundo.

Sixtus II. Pontifex, et Martyr, dicitur scripsisse librum sententiarum, sive provers biorum, qui citatur a S. Augustino lib. De natura, et gratia, cap. 6. 4. et exstat in tomo V. bibliothecæ S. Patrum, edit. 2.

Cæterum liber ille falso tribuitur S. Sixto martyri, cum sit Sixti philosophi Ethnici, ut S. Hieronymus demonstrat in epist. ad Ctesiphontem; et in cap. XXII. Hieremiæ, et in cap. XVIII. Ezechielis : et S. Augustinus lib. II. retractationum, cap. 42. retractat locum citatum ex libro de natura et gratia. Denique Gelasius in Concilio 70. Episcoporum reprobat librum proverbiorum sub nomine S. Sixti ab Hæreticis conscriptum : dicit autem ab Hæreticis conscriptum quia Ruffinus eum librum plenum erroribus convertit ex græco, et S. Sixto attribuit.

De S. Cypriano. 250.

Sanctus Cyprianus vir eloquentissimus et sanctissimus, sub Valeriano et Gallieno martyrium passus est, teste S. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. sed in Episcopum promotus fuit temporibus Fabiani papæ et Philippi imp.; proinde sedit temporibus Fabiani Cornelii, Lucii, Stephani, et Sixti, Pontificum Romanorum. Opera ejus multa exstant, sed non omnia indubitata : primo igitur catalogum texemus operum indubitatorum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Opera S. Cypriani indubitata.

Epistolarum libri quatuor, quas Pamelius ordine temporum digessit, et sunt numero 83.

De habitu Virginum, tractatus unus, 1
De lapsis, 1
De simplicitate Prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ, 1
De oratione Dominica, 1
Contra Demetrianum, 1
De idolorum vanitate, 1
De mortalitate, 1
De eleemosyna, 1
De bono patientiæ. 1
De zelo, et livore, 1
De exhortatione martyrii. 2
Ad Quirinum contra Judæos, libri tres,
Ad Jubaianum de baptizandis hæreticis, 1
Ad Pompeium contra epistolam Stephani Papæ, 1
Hos tamen duos libros Pamelius in epistolas conjecit, et sunt epistolæ 63 et 74.
Sententiarum ex Concilio Carthaginiensi de Hæreticis baptizandis. 1

Opera suppositia, vel dubia.

De monte Sina, et Sion, tractatus unus.
De revelatione capitis Sancti Jo. Baptistæ.
Expositio symboli.
De singularitate Clericorum.
De operibus cardinalibus Christi, sermones 12.
De laude martyrii.
De disciplina, et bono pudicitiæ.
Ad Novatianum de spe veniæ lapsis non neganda.
De duplici martyrio.
De aleatoribus.
De cœnæ dispositione.
De duodecim abusionibus sæculi.
De spectaculis.
De Judaica incredulitate ad Virgilium.
De Judæis, qui insecuti sunt Christum.
Carmen, Genesis.
Carmen, Sodoma.
Carmen ad apostatam Senatorem.
Hymnus de Pascha.
Oratio pro Martyribus, quæ incipit, Agios.
Oratio altera, quæ incipit, Domine Sancte Pater.

Tractatus de monte Sina et Sion non habet stylum Sancti Cypriani.

Tractatus de revelatione capitis Sancti Joannis Baptistæ, non est Sancti Cypriani, sed auctoris multo recentioris, qui in hoc ipso opere mentionem facit Sanctorum Athanasii et Cyrilli : item Theodosii imp. et Pipini Regis Francorum : et ipsa revelatio capitis Sancti Joannis Baptistæ contigit sub Theodosio, ut Nicephorus testatur lib. XII. cap 49. Itaque revelatio de qua hic agitur, facta est annis plus centum post obitum Sancti Cypriani.

Expositio symboli, non est Sancti Cypriani, sed Ruffini : nomine Ruffini habetur inter opera Sancti Hieronymi : et testatur Gennadius in libro de viris Illustribus, Ruffinum in explicatione symboli excelluisse : denique stylus est Ruffini non Sancti Cypriani.

Tractatus de singularitate Clericorum, ubi prohibetur Clericis cohabitatio feminarum, insignis et utilis est, et antiqui sine dubio auctoris : nonnullis videtur esse potius Origenis, quam Cypriani. Sed tamen stylus aperte reclamat; et Latinum auctorem, non Græcum esse clamat. Idem etiam stylus satis diversus est a stylo Sancti Cypriani, et verba multa parum Latina admiscet, quæ in Cypriano non inveniuntur, qualia sunt, inordinaliter, contubernalitas, mulcedo, passibilitas, et alia.

Sermones de operibus cardinalibus Christi, eruditi et antiqui auctoris sunt, sed non videntur esse Cypriani. Primum enim stylus multo humilior est, quam Sancti Cypriani esse soleat. Deinde in sermone de tentatione et jejunio, docet hic auctor, Diabolum cecidisse de cœlo ante hominis creationem : cujus sententiæ contrarium habet Sanctus Cyprianus in tractatu de zelo, et livore. Denique in præfatione sic alloquitur Sanctum Cornelium Papam : « Quia, inquit, solent aliquando Patres nugis infantilibus arridere, et linguis balbutientibus delectari, indulgentiam meretur humilitas, quæ quo potest accessu sublimitatis vestræ manibus se porrigit attrectandam » : hæc ille. At S. Cyprianus semper Cornelium fratrem et collegam appellabat : nec ignorabat, se non minus doctum, et disertum, quam Cornelius esset; et cum præterea Episcopus ante Cornelium ordinatus fuisset, et in Ecclesia universa mirifice clareret, nunquam profecto scripta sua

nugas infantiles appellaret : neque diceret sublimitatem Cornelii lingua balbutienti Cypriani oblectari debere.

Libellus de laude martyrii ideo positus est inter opera Cypriani dubia, quoniam Erasmus dubitavit ob aliquam styli dissimilitudinem. Sed communiter admittitur inter vera opera Sancti Cypriani, præsertim cum Moses, et Maximus, ad quos liber iste scribitur, in epistola ad Cyprianum, quæ est 26. inter epistolas Sancti Cypriani, hujus ipsius libri mentionem faciant : neque stylus dissidet ab aliis operibus, nisi quod est magis elaboratus, quam aliqua alia ejusdem opera, sed non magis quam omnia. Siquidem epistola secunda, quæ est ad Donatum, non cedit huic libello, et tamen illa epistola est, hic vero liber similis orationi in genere demonstrativo.

Liber de disciplina, et bono pudicitiæ; et liber ad Novatianum de spe veniæ danda lapsis, Sancti Cypriani mihi esse videtur; quicquid Erasmus dicat, qui nimis subtiliter de styli dissimilitudine aliquando indicat.

Liber de duplici martyrio, Sancti Cypriani esse non potest, cum auctor mentionem faciat Diocletiani, et Maximiani imperatorum, qui nondum imperare cœperant, cum Sanctus Cyprianus martyrium pateretur : ac ut magis miremur qua fronte ejusmodi libri sub Cypriani nomine edantur, meminit hic idem auctor belli Cæsarei contra Turcas.

Liber de aleatoribus utilis et doctus est; sed non videtur esse Cypriani, cum in principio satis aperte significet auctor, se universali Ecclesiæ præsidere, et Apostolatum gerere, super quem Christus fundavit Ecclesiam, et Christi vicariam sedem obtinere, et sibi traditas esse claves ligandi, et solvendi, etc. Itaque videtur libellus esse alicujus Romani Pontificis, qui Sancti Cypriani scriptiones imitatur, quamvis styli ejus elegantiam non assequatur.

Liber de cœnæ dispositione non solum Cypriani non est, verum neque alicujus docti hominis est. Fortasse auctor ejus Cyprianus dicebatur, sed longe diversus ab ille, de quo nunc agimus : nam neque verba, neque sententias habet homine docto dignas : sed ineptas, et ridiculas narrationes et fabellas.

Liber de duodecim abusionibus sæculi S. Cypriani esse non potest, cum passim citet Scripturas ex versione S. Hieronymi : qua ratione neque S. Augustini erit, quamvis inter ejus etiam opera feratur.

Liber de spectaculis egregius est, et ad imitationem libri Tertulliani de eodem argumento conscriptus. Ratio dubitandi sitne Cypriani, an non, sola styli diversitas esse videtur.

Liber de incredulitate Judaica ad Virgilium, nihil est aliud, nisi versio in Latinam linguam dialogi Græci inter Jasonem Christianum, et Papiscum Hebræum : qui Græcus dialogus antiquissimus est cum ejus meminerit Origenes lib. IV. contra Celsum. Auctor autem Latinæ versionis non Cyprianus, sed Celsus dicitur, ut perspicuum est ex ultimis verbis libri.

Liber de Judæis, qui insecuti sunt Christum, S. Cypriani non esse videtur, ob nimis magnam styli diversitatem.

De carminibus et orationibus nihil certi habeo : nam neque habemus veterum testimonia, unde probemus opera ista esse Cypriani : neque habemus argumenta, unde probemus non esse; opera enim sunt gravia, et docta, et S. Cypriano digna.

De S. Pontio Diacono. 250.

Sanctus Pontius Diaconus S. Cypriani, scripsit insigne volumen de vita, et passione S. Cypriani, teste Sancto Hieronymo de script. Eccles. Id volumen exstat ad initium S. Cypriani in editione Jacobi Pamelii.

De S. Dionysio Alexandrino. 250.

Sanctus Dionysius Alexandrinus Episcopus æqualis fuit S. Cypriani, sed paulo prior in Episcopatu, et paulo posterior in morte : et scripsit libros et epistolas multas, teste Sancto Hieronymo de script. Eccles. Exstat nunc epistola una satis brevis inter canones Ecclesiasticos Græcorum cum annotationibus Balsamonis. Exstant etiam multa et magna fragmenta operum hujus Dionysii apud Eusebium lib. VI. hist. cap. 33. et sequentibus, usque ad 21. Exstant denique alia fragmenta apud Athanasium in libro de sententia Dionysii Alexandrini, et in libro de sententia Nicænæ Sydoni. Neque de his ulla controversia est.

De S. Zenone Episcopo, et Martyre. 260.

Ecclesia Veronensis Sanctum Zenonem Episcopum veneratur, quem sub Gallieno imperatore passum esse prædicat, et ejus sermones permultos nuper edidit. Hujus Zenonis Episcopi, et Martyris nulla fit mentio apud Eusebium in hist. neque apud Sanctum Hieronymum in lib. de script. Eccles.

Primus est Sanctus Gregorius, qui Sanctum Zenonem Episcopum Veronæ, Martyrem nominat, lib. III. Dialogorum, cap. 19. sed de operibus ejus mentionem nullam facit. Exstant suo nomine ejus sermones editi Veronæ anno 1586.

De Genesi sermones,	4
De Abraham,	3
De Somnio Jacob,	1
De Juda Patriarcha,	15
De Exodo,	11
De præcepto, Attende tibi,	1
De Job,	1
De Psalmis,	9
De Isaia,	6
De martyrio Isaiæ,	1
De Daniele,	9
De Jona,	1
De Evangelio secundum Lucam,	1
De Evangelio secundum Joannem,	1
De epistola ad Corinthios,	1
De æterna filii generatione,	3
De Adventu Christi,	1
De Nativitate Christi,	3
De Circumcisione,	1
De fide,	1
De fide, spe, et charitate,	1
De fidei veritate,	1
De Pascha,	9
Invitatio ad fontem,	8
Ad neophytos,	7
De spirituali ædificatione,	1
De patientia,	1
De pudicitia,	1
De continentia,	1
De justitia,	1
De timore,	1
De jejunio,	1
De spiritu, et corpore,	1
De avaritia,	3
De livore, et invidia,	1
De S. Arcadio,	1
De resurrectione,	1

Ex his, sermo in illud, Attende tibi; et sermo in Evangelium Lucæ, et sermo de jejunio, et sermo de livore, et invidia, non sunt, S. Zenonis, sed S. Basilii Magni, et notum est, tum ex stylo, tum ex communi sententia. Item sermones in Psalmos, si non omnes, certe majore ex parte apud Hilarium inveniuntur.

De aliis non habeo, quod dicam, nisi aliquos esse brevissimos, ut sermones dici non mereantur; aliquos esse repetitiones aliorum; aliquos ita obscuros, ut intelligi nequeant; et, quod me male habet, de his sermonibus nullam exstare apud veteres mentionem. Primus enim, qui eos invenit, Guarinus fuit Veronensis Orator, ante annos circiter centum: editi sunt autem Venetiis anno 1508. et postea emendatius, et pulchrioribus characteribus Veronæ anno 1586. consulat lector Card. Baronium in notis martyrologii.

De S. Victorino Pictavionense. 270.

Sanctus Victorinus Pictavionensis Episcopus, et Martyr, S. Crypriani æqualis, vel paulo posterior, multa opera scripsit, teste S. Hieronymo in lib. de script. Eccles. Nunc solum exstat commentarius in Apocalypsim, et de hoc ipso dubium est, an sit Victorini opus. Scribit enim S. Hieronymus in epistola præfixa Commentario Victorini in Apocalypsim, Victorianum in isto suo commentario secutum esse errorem Chiliastarum; quod etiam scripsit in lib. de script. Eccles. in Papia: qua de causa Gelasius Papa, Victorini opera inter apocrypha numeravit. At commentarium, quod nunc exstat sub nomine Victorini, non solum hoc errore caret, sed contra hunc errorem etiam pugnat. Hic beatus vir sub Diocletiano martyrium passus est anno Dom. 303.

De S. Methodio Episcopo, et Martyre. 285.

Sanctus Methodius Episcopus Tyri claruit tempore Diocletiani, imperat., et anno ejus 20. martyrio coronatus est, ex Hieronymo de script. Eccles. Is multa scripsit, sed nunc solum exstant fragmenta satis magna ex lib. ejus de resurrectione adversus Origenem, apud Epiphanium hæresi 64. Exstant etiam alia fragmenta apud Photium in bibliotheca. Circumfertur libellus revelationum sub nomine S. Methodii, sed suppositius censetur.

De Dorotheo Tyrrhensi.

Dorotheus Tyrrhensis dicitur tempore Diocletiani exilium passus et scripsisse Synopsim de vita Prophetarum, et discipulorum Christi: quæ synopsis exstat in bibliotheca S. Patrum, et frequenter citatur. At hujus Dorothei nullam mentionem inveni apud Eusebium, S. Hieronymum, vel Gennadium, aut etiam Jo. Trithemium, qui scripserunt de viris illustribus.

Ipsa vero synopsis plena est fabulis: consulat lector, quæ iste auctor scribit in vita Abdiæ, Jonæ, Isaiæ, Hieremiæ, et Elisæi. Præterea consulat, quæ scribit in vita Jacobi Alphæi, et Clementis: et in summa sciat, ab isto numerari inter 72. discipulos Christi, omnes, qui ab Apostolo Paulo nominantur, etiamsi Ethnici fuerint, vel feminæ: et illos omnes non solum discipulos Domini, sed etiam Episcopos facere. Non meminissem libri tam fabulosi, nisi vidissem a multis citari, et non minimi fieri.

De Arnobio. 285.

Arnobius sub imp. Diocletiano floruit, teste Sancto Hieronymo de script. Eccles. ac ut probaret, sè vere sanctum esse ex pagano Christianum, scripsit libros septem contra gentes: nam octavus, qui illi operi adjunctus est, non est liber octavus Arnobii, sed octavus Felicis Minutii, de quo supra dictum est. Feruntur etiam sub nomine Arnobii commentaria brevia in Psalmos. Sed ea non videntur esse hujus Arnobii, sed alterius recentioris: nam in explicatione Psal. CXVIII. refellit hic auctor hæresim prædestinatorum, quæ tempore S. Augustini, vel postea, exorta est: et in explicatione Psal. CIX. nominatim refellit Photinum hæresis Ebionitarum instauratorem. At Photinus tempore Valentiniani imperatoris vixit, teste S. Hieronymo de script. Eccles., quo tempore Arnobius superstes esse non poterat. Fuit enim Arnobius præceptor Lactantii; Lactantius autem in extrema senectute vocatus est a Constantino Magno, ut Crispum filium erudiret, teste S. Hieronymo de script. Eccles. in Lactantio. Quamvis autem commentaria in Psalmos, non sint illius Arnobii, qui circa initia principatus Diocletiani florebat: sunt tamen auctoris alicujus veteris, qui etiam Arnobius dicebatur, ut constat ex Commentariis Bedæ in Psalmos, in quibus explicatio Arnobii non semel adducitur. Vide infra in verbo, Arnobius junior. Feruntur etiam annotatiunculæ in varios locos Evangelii; sed parvi momenti, neque certum est, an sint Arnobii.

De Lactantio Firmiano. 290.

Lactantius Firmianus, Arnobii auditor, floruit sub Diocletiano, et ad Principatum Constantini Magni in senectute pervenit, teste S. Hieronymo in libro de script. Eccles., ubi multa ejus opera recenset, quæ non exstant: quæ autem exstant hæc sunt:

Divinarum institutionum lib.	7
De ira Dei,	1
De opificio Dei,	1
Epitome in libros suos,	
Carmen de Phœnice,	
Aliud de passione Domini,	
Tertium de resurrectione ejusdem, et Paschate.	

Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, sine controversia Lactantii sunt: et quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proxime accedunt, ita eroribus variis sic deformata sunt, ut non sine causa Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit.

Carmen de Phœnice Ethnici hominis esse videtur.

Carmen de resurrectione, et de Paschate, ut etiam de Passione, ambiguum est, an Lactantii sint, quia nonnulli negant illius esse: et tamen non habemus certum argumentum, unde probetur illius non esse.

SECULUM QUARTUM AB ANNO 300. AD 400.

De Constantino Magno imperatore. 306.

Constantinus S. Helenæ filius, imperator Maximus, et felicissimus, quamvis occupatissimus in imperio orbis terræ gubernando, quod suscepit anno Dom. 306. et tenuit usque ad 337. scripsit tamen multas latinas orationes, earumque magnam partem recitavit, Eusebio teste libro IV. de vita Constantini, cap. 29. Una tantum nunc superest, scripta ad sanctorum cœtum: cujus meminit idem Eusebius lib. IV. cap. 32. de vita Constantini, atque eadem excudi solet post ipsos libros de vita Constantini. Oratio sane pulchra et luculenta de Christi adventu, et divinitate: ubi etiam, cap. 18. inferuntur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

carmina Sibyllæ Erythrææ; quarum litteræ capitales reddunt hanc sententiam, « Jesus Christus, Dei filius, Servator, Crux. » Scripsit etiam idem imperator epistolas multas, quarum aliquæ exstant tum in hist. Eusebii, tum in libris de vita Constantini. Sed epistolæ possent fortasse tribui secretariis; sed orationes, ipsius Constantini proprio labore et studio scribebantur, ut diximus.

De Eusebio Cæsariensi. 326.

Eusebius Pamphili Episcopus Cæsariensis, tempore Constantini Magni floruit; scripsit plurima, ex quibus hæc nunc exstant:

De Evangelica præparatione	lib. 14
De Evangelica demonstratione	10
De Historia Ecclesiastica,	4
De vita Constantini,	1
Adversus hæresim Hieroclis.	1
De Philosophorum dissensione	1

Chronicum interprete S. Hieronymo.

Ex his, libri de præparatione et demonstratione Evangelica imperfecti sunt. Scripsit enim Eusebius, teste S. Hieronymo de script. Eccles. De præparatione lib xv. De demonstratione lib. xx. Nunc autem illi sunt xiv. isti sunt x. Historiam Eusebii Ecclesiasticam Ruffinus vertens, libros novem confecit, quibus duos ipse addidit. Sed Jo. Christophorsonus in sua interpretatione libros decem esse ostendit, quot etiam S. Hieronymus numeravit. Cæterum Ruffinus non ad verbum vertit, sed aliqua addidit, aliqua detraxit. Hanc historiam Gelasius inter apocryphos libros retulit, fortasse ob nimias laudes Origenis.

Scripsit præterea Eusebius sub nomine S. Pamphili Martyris Apologiam pro Origene: quamvis enim S. Hieronymus in libro de script. Eccles. in Pamphilo testatus sit, a Sancto Pamphilo scriptam fuisse apologiam pro Origene: tamen idem Sanctus Hieronymus lib. II. in Ruffinum, se postea comperisse dicit, apologiam illam esse partem apologiæ Eusebii pro eodem Origene, cui Ruffinus mutaverat titulum, et hoc ipsum probat testimonio Eusebii qui sanctum Pamphilum nihil scripsisse asseruit præter epistolas aliquot.

Porro Eusebium hunc Cæsariensem Arianum Hæreticum fuisse testatur Sanctus Athanasius in libro de decretis Nicænæ Synodi: testatur Sanctus Hieronymus in utroque libro adversus Ruffinum, ubi Eusebium hunc non solum Hæreticum Arianum, sed nunc signiferum, nunc principem Arianorum vocat: testatur septima Synodus act. v. ubi primum legati Apostolici, deinde tota Synodus rejiciunt auctoritatem Eusebii Pamphili, tamquam Hæretici Ariani. Quare mirum est, cur aliqui moderni Eusebium hunc tanto ardore defendere velint.

De Juvenco poeta Christiano. 330.

Juvencus Presbyter scripsit Constantino imperante libros quatuor carminum, quibus Evangelicam historiam complexus est. Laudat hoc opus Sanctus Hieronymus tum in libro de script. Eccles. tum in epistola ad Magnum, tum etiam in commentario ad cap. VII. Matthæi. Exstant hi libri in VIII. tomo bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ.

De Sancto Antonio Abbate. 330.

Sanctus Antonius Abbas eodem imperatore Constantino floruit, scripsit quæ epistolas septem lingua Ægyptiaca, sed sensu et spiritu Apostolico, ut Sanctus Hieronymus testatur in lib. de script. Eccles. Exstant epistolæ S. Antonii in Bibliotheca sanctorum Patrum. Addit Jo. Trithemius in libro suo de script. Eccl. scriptos fuisse ab eodem Magno Antonio duos libros sermonum, qui pariter nunc exstant in bibliotheca sanctorum Patrum. Sed mirum est Trithemium non advertisse, in sermonibus illis citari Basilium. Gregorium Nyssenum, Jo. Chrysostomum, Nilum, Photium, et alios, qui multis annorum centuriis posteriores fuerunt S. Antonio Abbate, de quo nos loquimur.

De S. Pacomio. 340.

Sanctus Pacomius ex milite gentili Monachus probatissimus effectus, S. Antonii æqualis, et forte discipulus, scripsit regulam Monachorum, Angelo dictante, quæ exstat inter opera Joannis Cassiani, Romæ excusa.

De Sancto Orsiesi. 340.

Orsiesis Monachus æqualis S. Pacomi scripsit (Gennadio teste in libro de viris illustribus) librum divino sale conditum, de institutione vitæ monasticæ: hic liber exstat

in bibliotheca SS. Patrum, editionis secundæ tomo quarto.

De Sancto Macario seniore. 340.

Sanctus Macarius senior S. Antonii discipulus, et S. Pacomii, atque Orsiesis æqualis, scripsit homilias quinquaginta ad Monachos, quæ exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundæ.

De Sancto Athanasio. 340.

Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus, sub eodem Constantino florere cœpit, et sub Valente imperatore migravit ad Dominum, teste Sancto Hieronymo de script. Ecclest: Opera S. Athanasii quatuor tomis continentur, nec tamen sunt omnia: meminit enim Sanctus Hieronymus duorum librorum contra gentes, et libri unius contra Valentem et Ursacium, et alterius de Psalmorum titulis, et etiam de Vita S. Antonii, qui tamen libri in his quatuor tomis desiderari videntur, nisi forte mutata sint nomina, ut mox dicemus.

Tomi Primi.

Oratio contra idola,
De incarnatione Verbi ejusque ad nos adventu.
Ad Epictetum Episcopum Corinthiorum epistola.
Expositio fidei.
Liberii Episcopi Romani ad Athanasium epistola.
Athanasii responsio.
Ad Antiochenses epistola.
De æterna substantia Filii et Spiritus sancti cum Deo.
Oratio quod Christus sit unus.
Ad Adelphium fratrem contra Arianos.
Orationes quatuor contra Arianos.
In hoc dictum, Ex Deo Deus est Verbum.
In hoc dictum, Omnia mihi tradita sunt, etc.
Compendium e superioribus contra eos qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam.

Observatio in libros primi Tomi.

Oratio contra idola, et liber de incarnatione Verbi, videntur esse duo libri contra gentes, quorum Sanctus Hieronymus meminit. Nam initio libri de incarnatione Athanasius dicit, se hactenus disputasse contra idola, nunc sequi, ut disputet de incarnatione Verbi, ut plane appareat duo illa opera esse conjuncta, et unum esse partem alterius. Utrumque autem est contra gentiles, et refertum testimoniis gentilium. Quare mirum est cur unum dicatur oratio, et alterum dicatur liber, cum utrumque sit disputatio contra idola, et pro Christo adversus gentes.

In eodem primo tomo est quædam expositio fidei, de qua num sit Athanasii, ambigo, tum quia diversa est a symbolo Athanasii, nec scio cur duas expositiones fecerit; tum maxime, quia hæc videtur illi contraria: in hac enim dicitur, tres personas divinas non esse tres subsistentias, scorsim distinctas: in illo autem symbolo dicitur, alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: et Græce, alia hypostasis, id est, subsistentia: testatur enim Sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione in Athanasium extrema, ab Athanasio fuisse declaratum, intelligi a Latinis per nomen personæ, quod a Græcis per nomen hypostasis, et græcos dicere tres hypostases; Latinos, tres personas.

In eodem tomo habetur epistola Liberii Papæ ad Athanasium, et responsio Athanasii ad Liberium: sed neutra videtur convenire auctori, cui tribuitur. Liberius enim ita scribit ad Anathasium, ac si dubitet de ejus fide: et jubet illum anathema dicere Sabellio et Ario: deinde addit rationem: « Ut ego securior efficiar, tuaque mandata inhæsitanter obeam. » At neque credibile est Liberium unquam dubitasse de fide S. Athanasii, neque etiam ita se illi subjecisse, ut mandata ejus obiturum se polliceretur. Adde, quod epistola, quæ tribuitur Liberio incipit per, ergo, sine interrogandi nota, ut conclusio potius epistolæ, quam epistola esse videatur.

Responsio quoque Athanasii non habet formam epistolæ, sed simplicis confessionis fidei: neque confessio concepta est verbis satis propriis, præsertim ubi dicit: « Illa caro suspensa est in cruce, non ipse: in illa omnes humanas passiones, ut homo, sustinuit, non ipse. » At negari non debet, ipsum Christum, sive etiam ipsum Deum crucifixum in carne: sic enim loquitur Sanctus Petrus: « Christo igitur in carne passo » et « Christus passus est pro nobis »: et Sanctus Paulus, « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem », et: « numquam Dominum gloriæ cruci-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fixissent. Sanctus vero Athanasius maxime proprie et castigate de ejusmodi mysteriis loqui solet. Proinde non videtur ejusmodi scriptio Sancto Athanasio tribuenda.

Tomi secundi.

Apologia ad Constantium,
Apologia de fuga sua.
Epistola ad omnes Orthodoxos.
De sententia Dionysii Alexandrini.
De decretis Nicænæ Synodi contra Eusebium.
Apologia contra Arianos secunda.
Ad Serapionem epistola.
Ad solitariam vitam agentes epistola.
Ad Jovianum Imp. epistola.
De Synodis Arimini et Selvulciæ.
Ad Dracontium Episcopatum fugientem epistola.
Ad Episcopos Africæ epistola.

Observatio in Tomum secundum.

In hoc secundo tomo nihil est, de quo aut ego ambigam, aut alios ambigere sciam. Illud unum admonendum duxi, quod Sanctus Hieronymus in libro de script. Eccles. scribit, extare etiam librum Athanasii contra Valentem et Ursacium, recte accipi posse de libro inscripto, De Synodis Arimini, et Seleuciæ : in illis enim contra Valentem et Ursacium proprie scribitur.

Sunt etiam in hoc tomo duæ breves epistolæ post epistolam ad Jovianum imperatorem, quæ nescio cur indice sint prætermissæ.

Tomi Tertii.

De incarnatione Verbi.
De natura humana suscepta.
De incarnatione Christi.
De salutari adventu Christi contra Apollinarem.
Contra omnes hæreses sermo.
Ad Maximum Philosophum oratio.
In illud, Profecti in pagum, invenietis pullum.
In passionem Salvatoris.
Ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum.
De virginitate, sive de meditatione.
Testimonia ex Scriptura de naturali communione similis essentiæ trium personarum.
Ad omnes ubique per Ægyptum, et Syriam, etc.
Refutatio contra hypocrisim Melitii.
De Sanctissima Deipara Maria.
In passionem et crucem Domini.
Ad Serapionem Episcopum Tmusæos epistola.
In illud, Quicunque dixerit verbum, etc.
Disputatio in Nicæno Concilio contra Arium.
Homilia de semente.
Declaratio Levitici de diversa ejusdem rei nomenclatura.

Observatio in Tomum tertium.

Liber qui hic dicitur, de interpretatione Psalmorum, videtur esse ille, quem Sanctus Hieronymus vocat de titulis Psalmorum, in lib. de script. Eccles. in Athanasio : nam Cassiodorus quoque eumdem librum vocat de titulis Psalmorum, id est, de varia excellentia Psalmorum.

Sermo de Sanctissima Deipara, non videtur esse Sancti Athanasii, sed alicujus posterioris, qui post Concilium tertium, et quartum, imo etiam sextum, floruerit : ita enim accurate disputat de unione divinæ et humanæ naturæ in una hypostasi ; nec non de appellatione Deiparæ, quod Virgini ea appelatio jure conveniat, et denique de duabus voluntatibus, et operationibus unius volentis et operantis Christi ; ut dubitari non possit, quin iste auctor viderit decreta Conciliorum contra Nestorium, Eutychetem, et Monothelitas. Ac (ut recte ratiocinatur Card. Baronius tomo primo Annalium ad annum Christi 58.) si hic sermo esse Athanasii, sine dubio citatus fuisset a Sancto Cyrillo, et a Patribus tertiæ, quartæ, et sextæ Synodi ad convincendos Hæreticos. Videmus autem non citari unquam hunc sermonem, sed libros de incarnatione, ubi non tam aperte Athanasius loquitur. Adde, quod in hoc sermone auctor dicit, attributa Dei non esse ipsam substantiam Dei, sed circa substantiam versari : quod valde improprie dictum est, et alienum a consuetudine Sancti Athanasii, qui valde considerate loqui solet. Adde ultimo, quod in explicatione vocabuli ὁλότης, dicit vocem ἰσότης significare qualitatem : at

Græcis ἰσότης est æqualitas, non ἴσα, et tota illa deductio vocis ὁλότης a voce ἴσος, est levior quam ut Athanasium decere videatur.

Disputatio Athanasii cum Ario, quæ in hoc tomo habetur, non est habita in Concilio Nicæno, ut inscriptio indicare videtur ; sed est habita in monasterio aliquo, ut ex initio disputationis intelligi potest : neque est habita proprie cum ipso Ario, sed cum aliquo ejus discipulo, ut perspicuum est ex illius verbis, « Derepente radice, Christo inimici Arii, bellua sub humana specie ad nos insiluit. » Neque obstat, quod postea, qui disputet dicatur Arius : ponitur enim Arius pro Arianus : quo modo in eadem disputatione, non semel ponitur nomen Sabellii, pro nomine Sabelliani. Utrum hæc fuerit vera disputatio, an dialogus conscriptus in personam Athanasii, et alicujus Ariani ; et utrum sit ab Athanasio, an ab alio scriptus, non facile judicari potest.

Tomi Quarti :

Quæstiones ad Antiochum principem.
De definitionibus theologicis.
Disputatio cum Ario Laodicææ habita.
Exhortatio ad monachos.
De passione imaginis Domini.
Ad Marcum Papam epistola.
Marci Papæ responsio.
Ad Serapionem de sancto Spiritu, epistola.
De unita Deitate Trinitatis, libri septem.
Synopsis totius Scripturæ.

Observatio in tomum quartum.

In hoc tomo nihil fere est, quod vere sit Athanasii.

Quæstiones ad Antiochum, Athanasii esse non possunt : nam quæst. 23. citat auctor magnum Athanasium, et ab eo dissentit. Quæst. 108. dicit, Romanos esse Francorum genus : ex quo apparet, auctorem esse recentem. Franci enim dicuntur omnes occidentales in regnis Turcarum. Quæst. 129. citatur Sanctus Gregorius Theologus, qui tamen posterior est Athanasio. Multo minus Athanasii sunt quæstiones quadraginta sex, quæ in aliis codicibus inveniuntur : nam in iis citantur ut antiqui Patres, Epiphanius, Gregorius Nyssenus, et alii.

Liber de definitionibus theologicis non videtur esse Sancti Athanasii, quia in cap. de actu, citat ad confirmandam suam sententiam sanctum Gregorium Nyssenum, his verbis, Actus, quemadmodum Sanctus Gregorius Nyssenus inquit, « est naturalis cujusque rei », etc. At credibile est Gregorium Nyssenum nondum scribere cœpisse, quando Athanasius obiit : obiit enim Athanasius sub Valente : Gregorius autem sub Theodosio scribere cœpit, ut probabiliter colligitur ex lib. Sancti Hieronymi de script. Eccles. Scripsit enim eum librum Sanctus Hieronymus anno 15. Theodosii, ut ipsemet testatur in extremo libro : et in eodem libro dicit, a Gregorio Nysseno lectum sibi fuisse librum quemdam a se compositum, ante paucos annos. Adde, quod in hoc libro de definitionibus, tam distincte loquitur auctor de duabus naturis Christi in una hypostasi, ut omnino scripsisse videatur post Concilium Chalcedonense.

Disputatio cum Ario Laodicææ habita, non potest esse Athanasii vera disputatio : dicitur enim habita anno secundo Constantini et tamen introducitur Athanasius diaconus disputans cum Ario presbytero : at ex historicis constat, Athanasium factum esse Episcopum Alexandrinum anno 21. Constantini Magni. Præterea Arius obiit morte turpissima anno 31. Constantini, omnium consensu : quomodo ergo disputaturus adducitur anno secundo Constantii ? Denique in hac disputatione mentio fit Photini hæretici, quasi ab ipso Arius hæreses didicisset : at Photinus posterior Ario fuit, ut ex Sancto Hieronymo colligitur lib. de script. Eccles. Denique videtur omnino hæc disputatio, dialogus ille esse, quem a se scriptum fuisse Vigilius Episcopus Tridentinus testatur lib. v. contra Eutychem.

Liber de passione imaginis Domini, citatur in secunda Nicæna Synodo, act. 4. ubi totus hic liber legitur et recipitur sub nomine Sancti Athanasii, sed non videtur esse Sancti Athanasii hujus, de quo nunc agimus, sed alterius multo recentioris. Scribit enim Sigebertus in Chronico, accidisse hoc miraculum anno Domini 766. eo tempore videlicet, quo quæstio agitabatur de cultu sacrarum imaginum : voluit enim hoc tam insigni miraculo Deus confundere Hæreticos Iconoclastas. Illud autem observandum est, illa ultima verba, cap. 7. « Hæc est vera, et vehementer credula ratio de cruore lateris Domini nostri Salvatoris, qui profluxit de sancta imagine ejus, quæ crucifixa est in Syria in Beryto civitate : hic est sanguis ille Domini-

cus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec aliter æstimandum est a vere Catholicis, præter id quod scribitur a nobis, quasi ex carne, et sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur, etc.» Ista, inquam, ultima verba non haberi in codice Græco Concilii Nicæni secundi : neque in versione Anastasii bibliothecarii ; sed esse addita ab aliquo, post disputationem habitam de sanguine Christi coram Pio II. Pontifice Maximo : quod etiam apparet ex varietate styli istius conclusionis a reliqua narratione. Quod autem auctor hujus additionis dicit, a veris Catholicis non debere credi esse alium sanguinem Domini super terram, nisi illum, qui consecratur in altari ; repugnat traditioni Ecclesiæ Mantuanæ, quæ gloriatur habere se, de sanguine illo, qui de latere Domini fluxit ; eumque verum esse Domini sanguinem, declaratum fuisse a Leone III. Pontifice ante annos octogentos. Scribunt enim historici plurimi, ut annales antiqui Francorum, Ado Viennensis, Aimoinus, Rhegino, Abbas Uspergensis, et alii, Leonem Pontificem, Carolo Magno id petente, contulisse se Mantuam, ut de veritate sanguinis Domini miraculis multis ibi coruscante judicaret : atque inde in Franciam ad Carolum perrexisse. Et quamvis historici non explicent qualis fuerit sententia Pontificis, tamen Card. Baronius, tomo IX. Annalium ad annum Domini 804, scribit, Romæ exstare diplomata Pontificia, in quibus veritas illius sanguinis declaratur. Et certe si Pontifex illo tempore secus censuisset, tamdiu sanguis ille conservatus non fuisset. Scribit etiam Matthæus Parisiensis in Henrico III. Angliæ Rege, pag. 713, in meo codice, missum fuisse a Patriarcha Hierosolymitano vasculum cum vero sanguine Christi ad eumdem Regem et susceptum cum incredibili celebritate, Episcopis prædicantibus, et rationem reddentibus de veritate illius sanguinis.

De epistolis Athanasii ad Marcum Papam, et Marci Papæ ad Athanasium, constat ex ratione temporis, eas epistolas esse suppositias, ut dicemus infra in observatione ad Gratianum.

Libri septem de unita Deitate Trinitatis, non mihi videntur Athanasii ; quia Latine scripti videntur non ex Græco versi, ut patet, tum ex stylo, tum quia aliquoties auctor significat, quo modo dicantur apud Græcos quæ ipse Latine scripsit. ut lib. VI. «Maledictus, inquit, qui hanc Dei nativitatem ex nullis exstantibus phantasma esse confitetur, quod Græci ἐξ μὴ ὄντων appellant», et lib. VII. in ultimis verbis : «Ac per hoc, inquit, unita est Patris, et Filii, et Spiritus sancti substantia, quam Græci dicunt ὁμοούσιον. Deinde refellit hic auctor nominatim Urbicum Potentinum, qui Eunomii discipulus fuit. Non videtur autem credibile, Athanasium potuisse confutare discipulum Eunomii cum ipsum Eunomium, non Athanasius, sed Basilius, qui Athanasio junior erat, primus confutaverit.

Præter libros, qui in his quatuor tomis continentur, exstat seorsim vita sancti Antonii, et symbolum, quod incipit, «Quicumque vult salvus esse» ; quæ Sancti Athanasii opera esse vera et germana non dubitamus. Quod enim Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. in Antonio, in Evagrio, et in Athanasio ; testatur etiam Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione in Athanasium, et sanctus Augustinus, lib. VIII. confess. cap. 6. Quod autem ea, quæ nunc exstat, si illa ipsa, cujus meminit Sanctus Hieronymus et Sanctus Augustinus, perspicuum est ex eo quod est revera insigne volumen, ut eam vocat sanctus Hieronymus, et continet magna illa miracula, quorum meminit Sanctus Augustinus ; et habet revelationem illam de anima Ammonis, quam ex vita a sancto Athanasio scripta referunt Palladius in historia Lausiaca cap. 8. et Socrates in hist. lib. IV. cap. 18. Neque potest contra objici, nisi quod in hac vita non fiat mentio Pauli primi Eremitæ, et aliarum rerum, quæ narrantur a Sancto Hieronymo in vita S. Pauli primi Eremitæ. Sed responderi potest, Athanasium, non omnia, quæ ad vitam S. Antonii pertinebant, assecutum fuisse, vel non omnia quæ acceperat, in mentem venisse illi, cum scriberet, vel etiam noluisse omnia scribendo nimis longam orationem suam facere : aliquin si objectio illa vim ullam haberet, possemus de scriptoribus Evangeliorum etiam dubitare : multa enim Matthæus et Marcus omiserunt in vita et rebus gestis Christi referendis, quæ Lucas non omisit : multa quoque omisit Lucas quæ Matthæus et Marcus non omiserunt : multa denique et gravissima Joannes scripsit, quæ tres Evangelistæ prætermiserunt.

De symbolo Athanasii Ecclesia ipsa Catholica testimonium perhibet, dum illud sub

nomine S. Athanasii in divinis officiis recitandum proponit : neque id facit sine veterum Patrum testimonio. Sanctus enim Augustinus tractatu in Psalm. CXX. sic loquitur explicans illud, «Per diem sol non uret te» De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchre locutus est : «Filius, inquit, Dei a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.»

Tribuuntur Sancto Athanasio a nonnullis commentaria in omnes epistolas S. Pauli. Sed ea Theophylacti sunt, non Athanasii.

De Serapione.

Serapion Episcopus Thmuseos a S. Athanasio ordinatus. Vir fuit S. Antonio carus, ut scribit S. Hieron. in lib. de script. Eccl. Scripsit librum contra Manichæos, qui exstat apud Henricum Canisium tomo quinto antiquæ lectionis : scripsit de Psalmorum titulis et epistolas ad diversos, teste Sancto Hieronymo in lib. de script. Eccles. Sed non videntur exstare.

De Julio Materno Firmico. 340.

Julius Maternus Firmicus floruit tempore filiorum Constantini Magni ad quos scripsit egregium librum de mysteriis et erroribus profanarum religionum. Exstat hic liber in bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto.

De Lucifero Calaritano. 350.

Lucifer Episcopus Calaritanus Athanasii æqualis, ita zelo fidei Catholicæ ardens fuit, ut a sanctis Patribus, etiam post schisma factum, et sectam Luciferianam post se relictam, non nisi timide et dubitanter arguatur. Sanctus Ambrosius in oratione de obitu Satyri, «Lucifer, inquit, se a nostra tunc temporis communione sejunxerat, quamquam pro fide exulavit, et fidei suæ reliquit hæredes.» Sanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos prope finem, «Ventum est, inquit, ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem et propositum meum cogor de beato Lucifero secus quicquam, quam et illius meritum, et mea humanitas possit, æstimare, etc.»

Sulpitius lib. II. sacræ historiæ, «Cæterum inquit, Luciferi tum Antiochiæ longe diversa sententia fuit : nam in tantum eos qui Arimini fuerant, condemnavit, ut se etiam ab eorum communione secreverit, qui eos sub satisfactione, vel pœnitentia recepissent.» Id recte an perperam constituerit, dicere non ausim. Sanctus tamen Augustinus liberius schisma Luciferi condemnat, tum in libro de hæresibus, tum in libro de agone Christi, cap. 30.

Vide de Luciferi rebus gestis historicos, Ruffinum lib. I. c. 30. Sulpitium lib. II. sacræ hist. Socratem lib. III. cap. 7. Theodoretum lib. III. cap. 5. Sozomeum lib. III. cap. 14. Nicephorum lib. X. cap. 17. Historiæ trip. lib. VI. cap. 23. Libri Luciferi qui exstant hi sunt :

Ad Constantium imperatorem, lib.	2
De regibus apostaticis,	1
De non conveniendo cum hæreticis,	1
De non parcendo deliquentibus in Deum,	1
Quod moriendum sit pro Filio Dei,	1
Epistola ad Florentium,	1

His additæ sunt Epistolæ Florentii ad Luciferum.

Item epistolæ duæ S. Athanasii ad eumdem Luciferum.

Item epistola Liberii Papæ ad Constantium imp.

Item epistola Athanasii ad servos Dei.

De quibus libris, vel epistolis nulla dubitatio mihi esse videtur, quin sint eorum auctorum, quorum nomina præferunt.

Impressi sunt hi libri Parisiis anno 1568. opera Jo. Tilii Episcopi Meldensis.

De Victorino Afro. 350.

C. Marius Victorinus Afer floruit tempore Constantii imperatoris, anno quadragesimo, ut ipse testatur post Concilium Nicænum. In senectute conversus ad fidem est, teste Sancto Augustino lib. VIII. confess. cap. 2. et post conversionem relictis libris Gentilium scripsit, teste sancto Hieronymo in lib. de scriptorib. Eccles. contra Arianos, et in epistolas B. Pauli : de quo Commentario in epistolas idem Hieronymus scribit in proœmio epistolæ ad Galatas, non esse admodum probandum. Exstant nunc in tomo IV. vel VIII. Bibliothecæ Sanctorum Patrum lib. IV. de Trinitate, Hymni tres, et carmen heroicum de Macchabæis, quæ omnia cante legenda sunt, cum auctor magis arti rhetoricæ, quam theologiæ et sacris litteris operam dederit.

De Sancto Hilario. 353.

Sanctus Hilarius Pictavorum Episcopus, S. Athanasii æqualis fuit, et quamvis jam provectæ ætatis Christianus factus, tamen brevi in Ecclesiastica doctrina ita profecit, ut Doctor maximus, et Ecclesiæ Catholicæ columna merito habitus sit. Ejus opera hæc exstant.

De Trinitate libri	12
Adv. Constantium Augustum,	1
Ad eumdem,	1
Ad eumdem alter.	
Adversus Auxentium Arianum	1
De Synodis adversus Arianos,	1
Ad Apram filiam epistola.	
Ad eamdem hymnus.	
In Matthæum commentaria.	
In Psalmos aliquot explanatio.	
De Patris et Filii unitate,	1
De essentia Patris, et Filii,	1
Ad Augustinum epistolæ,	2
Carmen in Genesim.	

Et quidem de libris de Trinitate; de duobus libris adversus Constantium, de libro contra Auxentium, de libro de Synodis, de commentariis in Matthæum, et in Psalmos, nulla dubitatio est: horum enim et meminit Sanctus Hieronymus in lib. de scriptor. Eccles. et nemo illis contradixit unquam.

De epistola et hymno ad Apram filiam Erasmus non solum dubitavit, sed etiam scripsit, notha esse. Cæterum Fortunatus S. Hilarii successor in vita ipsius disertis verbis scripsit, dedisse Sanctum Hilarium epistolam ad Apram filiam, et totum argumentum epistolæ descripsit, ut non sit dubium, hanc ipsam quæ exstat epistola, vere S. Hilarii esse, ut etiam hymnum adjunctum.

De epistolis ad Augustinum extra controversiam est, eas non esse Hilarii Pictaviensis, sed Hilarii alterius multo recentioris: nam et Pelagiani, de quibus in illis epistolis agitur, post Hilarii obitum exorti sunt, et ipse Augustinus ad quem scribuntur, post Hilarii excessum Christianus factus est.

Pari ratione carmen in Genesim Hilarii esse non potest, cum ad Leonem Papam scriptum sit; sed etsi hoc carmen non sit Hilarii, tamen constat ex Concilio Toletano 4. can. 12. hymnos aliquot S. Hilarii cani in officio Ecclesiastico.

De libris duobus, de Patris et Filii unitate, et de essentia Patris et Filii, non omnino certus sum, Hilariine an alicujus alterius sint: nam S. Hieronymus horum librorum non meminit; et in posteriore invenitur fragmentum valde magnum ex lib. VIII, de Trinitate: quæ sunt argumenta, quod libri isti non sunt Hilarii, sed alterius, qui Hilarium imitari voluerit. Libri certe graves sunt, et docti, et Hilarii spiritu et eloquentia non indigni.

Una superest quæstio, an liber primus adversus Constantium imp. sit scriptus ipso Constantio vivente, an post ejus mortem. Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. dicit, unum librum scriptum esse Constantio vivente, alterum post ejus obitum: et nisi is, qui primus nunc exsat, sit scriptus Constantio mortuo, nullus erit illo mortuo scriptus: nam alii duo citra controversiam scripti sunt vivente Constantio. Erasmus hoc argumento ductus, primum librum existimat scriptum esse post obitum Constantii. Cardinalis Baronius tomo tertio Annalium pag. 714 et 715, contendit omnes tres libros scriptos esse viro adhuc imperatore Constantio, et librum, quem sanctus Hieronymus testatur post obitum Constantii scriptum, non extare: et rationem adducit, quia Sanctus Hilarius in hoc libro scribit se per hanc liberrimam confessionem tendere ad martyrium, et animat alios ad martyrium per eamdem libertatem loquendi. « Ponamus, inquit, animas pro ovibus, quia fures introierunt, et leo sæviens circumit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia Angelus Satanæ transfiguravit se in Angelum lucis. Clament pastores, quia mercenarii fugerunt. » At si jam persecutor erat mortuus, ridicula videtur Hilarii jactantia. Deinde scribit, se ita loqui cum Constantio, ut Jo. Baptista loquebatur cum Herode: At Joannes Baptista Herodi viventi, non *mortuo*, dicebat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Præterea ipse Hilarius describit tempus, quo hunc librum scripsit, et dicit, ante annos quinque missos fuisse in exilium, Paulinum, Eusebium, Lucíferum, Dionysium: at illi in exilium pulsi sunt anno 19. Constantii, tempore Concilii Mediolanensis: ergo scripsit Hilarius librum illum anno Constantii 24, quo anno Constantius vivebat. Obiit enim ad initium 25. Sed fortasse possunt hæ sententiæ conciliari, si dicamus, Hilarium scripsisse librum illum ex Gallia, cum putaret, Constantium adhuc vivere, sed vere mortuus esset, constat enim ex Sulpitio, in secundo de sacra historia, et ex S. Hieronymo in Chronico, et ex ipso Card. Baronio, sanctum Hilarum rediisse in Galliam, paulo antequam Constantius moreretur: et quia res in tam remota regione gestæ continuo resciri non possunt, facile concurrere potuit finis scriptionis Hilarii, cum fine vitæ Constantii. Itaque, immerito Erasmus in annotationibus marginalibus irridet Hilarium, quasi Constantio minetur audacter, sed post mortem ejus.

De Gregorio Bætico, et Sebadio Agennensi.

Gregorius Bæticus in Hispania, et Sebadius, sive Phebadius Agennensis in Gallia, eodem tempore, quo S. Athanasius, et S. Hilarius, adversus Arianos librum quisque suum edidit. Meminit horum auctorum et librorum S. Hieronymus in libro de script. Eccles. et libri ipsi nunc exstant in bibliotheca S. Patrum tomo IV. Phegadii vero miræ laudes exstant apud Sulpitium lib. II. hist.

De Paciano Episcopo Barcinonensi. 360.

Pacianus Episcopus Barcinonensis obiit Theodosio imperante: et scripsit epistolas tres contra Novatianos, quarum meminit S. Hieronymus in libro de scrip. Eccles. Nunc vero in bibliotheca S. Patrum, et seorsim in editione Romana anni Dom. 1564, non solum exstant tres illæ epistolæ, sed etiam paræneses ejusdem Paciani ad pœnitentiam, et libellus de Baptismo. Neque aliquid occurrit, unde de eorum librorum auctoritate dubitari possit.

De Didymo Alexandrino. 361.

Didymus Alexandrinus cæcus a prima ætate dictavit opera plurima, et nobilissima, teste S. Hieronymo in lib. de script. Eccles. Nunc solum exstat liber de Spiritu sancto inter opera S. Hieronymi, quoniam eum librum idem S. Hieronymus latinitate donavit: et expositio in epistolas canonicas in bibliotheca S. Patrum tomo IX. exstat etiam liber contra Manichæos apud Henricum Canisium tomo quinto antiquæ lectionis. Claruit sub Valentiniano et Valente Principibus. In eo reprehenditur ab ipso etiam S. Hieronymo, ejus alioqui admiratore, quod Origenis errores secutus sit. Vide apologiam adversus Ruffinum.

De S. Optato Milevitano. 365.

Sanctus Optatus Milevitanus Episcopus eodem tempore floruit: at egregios septem libros adversus Donatistas edidit. S. Hieronymus in lib. de script. Eccles. sex libros ab Optato scriptos fuisse dicit: sed nunc septem numerantur, neque septimus dissentit a cæteris. Facile fuit in librum S. Hieronymi irrepsisse errorem in numeris.

De Tito Bostreno. 365.

Titus Bostrorum Episcopus vixit imperatore Juliano, sed obiit sub Valente, ut S. Hieronymus testatur in libro de script. Eccles. Scripsit egregios libros contra Manichæos, e quibus tres cum argumento quarti, editi sunt Ingolstadii anno 1604. ab Henrico Canisio, tomo quinto antiquæ lectionis. Exstant etiam ejusdem Titi commentaria in Matthæum, et Lucam, impressa cum aliis quibusdam Ingolstadii apud Sartorium. Observandum est autem Commentaria in Matthæum, et Lucam non posse esse hujus Titi; quoniam auctor horum commentariorum passim citat Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, et Pelusiotam, qui pueri erant cum Titus moreretur.

De S. Cyrillo Hierosolymitano. 365.

Sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus sub Constantio Episcopus factus, ac sæpe de sede ejectus, et sedi restitutus, tandem Theodosio imperante obiit. Scripsit in adolescentia Catecheses, quæ nunc Latine et Græce exstant. Fertur etiam ejus epistola ad Constantium de apparitione Crucis: cujus epistolæ S. Hieronymus in libro de script. Eccles. non meminit; sed nihil est cur improbetur.

De Apollinario. 365.

Apollinarius Laodicenus Episcopus vixit a tempore Constantii imp. usque ad Theodosium seniorem. Vir fuit magis peritus poeticæ, et rhetoricæ, quam theologiæ: ideo in errores gravissimos incidit, atque in eum potissimum, quod in Christo non esset anima rationalis. Scripsit innumerabilia, teste S. Hieronymo, in libro de script. et S. Basilio epist. 72. ubi dicit, Apollinarem fuisse nimis promptum ad scribendum, et mundum to-

tum libris suis replevisse, sed libris parum considerate scriptis. Nunc solum exstant Psalmi Davidis ab ipso carmine heroico descripti, et Parisiis impressi, ann. 1480.

De S. Ephrem Syro. 365.

Sanctus Ephrem Diaconus Edessenus obiit sub Valente Principe, scripsitque plurima opera, quæ teste S. Hieronymo in libro de script. Eccles. in Ecclesiis post lectionem scripturarum publice legi solebant. Editæ sunt Coloniæ anno 1547. Multa opera S. Ephrem, magis pia quam docta. Sed multo plura Romæ a Gerardo Vassio, partim anno 1589, partim anno 1593. Sed non vacavit mihi legere, nisi sermones aliquos de compunctione, et pœnitentia, et de S. Cruce, et passione Domini, et de S. Deipara, et alia quædam; ideo judicare nequeo an sint admixta.

De S. Basilio. 370.

Sanctus Basilius magnus Archiepiscopus Cæsariensis in Cappadocia, Valente imperante floruit, et sub Gratiano obiit, ut S. Hieronymus testatur in lib. de script. Eccles. Opera ejus præclarissima sunt, et quatuor tomis continentur in editione Basileensi anni 1540.

Tomi primi hæc sunt :

In opificium sex dierum homiliæ	11
In Psalmos homiliæ,	17
Variorum argumentorum homiliæ.	28

Tomi Secundi.

De virginitate lib.	2
De paradiso,	1
Contra Eunomium libri,	3
Contra Sabellianos et Arianos lib.	1
De Spiritu sancto,	1
De libero arbitrio,	1
De Baptismate,	2

Tomi Tertii :

Sermones ascetici,	7
De Judicio Dei,	1
De confessione fidei,	1
Moralium summæ,	80
Quæstiones fuse explicatæ.	55
Quæstiones compendio explicatæ,	313
Constitutiones monasticæ,	

Quarti tomi :

Epistolæ Basilii, et Gregorii Theologi,	180
Epistola ad Chilonem de vita solitaria,	
Aliæ ejusdem epistolæ,	
Oratio adversus eos qui calumniantur, quod tres Deos dicimus.	

Observatio in opera S. Basilii.

In primo tomo ponuntur homiliæ undecim de opificio sex dierum : sed novem tantum censentur a nonnullis esse Basilii, quia Sanctus Hieronymus novem tantum meminit. Duæ postremæ tribuuntur Gregorio Nysseno, qui opus Basilii imperfectum perficere studit. Sed falli videntur, qui decimam et undecimam homiliam Gregorio tribuunt, et Basilii esse negant : nam ipse Gregorius in libro suo de opere sex dierum extremo dicit quidem in supplementum operis Basilii composuisse se librum de opificio hominis, sed non duas humilias : et liber ille exstat inter opera Gregorii Nysseni, sed diversus omnino ab illis duabus homiliis Basilii. Scribit S. Hieronymus in libro de script. Eccles. homilias Basilii de opere sex dierum, esse novem : sed hoc dicit quia Basilius novem tantum initio scripsit; sed postea addidit alias duas, quarum initium est. « Veteris debiti solutionem, etc. » Vide infra in observatione in opera Gregorii Nysseni.

In secundo tomo ponitur liber unus de paradiso : sed in editione Antuerpiensi anni 1568. ponuntur homiliæ quatuor.

Item in secundo tomo ponuntur libri tres contra Eunomium : sed in editione Antuerpiensi libri quinque : et quamvis duos ultimos libros Erasmus sustulerit, ut indignos Basilio : alii tamen Basilio non indignos censent.

In tertio tomo sunt quæstiones compendio explicatæ, quæ non sunt indubitatæ. Nicephorus enim lib. IX. cap. 16. et lib. XIII. cap. 29. et Sozomenus lib. V. cap. 13. dicunt, a multis tribui Eustachio Sebasteno ascetica Basilii : id quod de quæstionibus compendio explicatis intelligendum videtur : nam. q. 1. et 95. videtur damnare traditiones, quas Basilius acriter defendit in libro de Spiritu sancto cap. 27. item. q. 4. et 293. videtur tollere de medio discrimen peccati mortalis, et venialis : quod certe S. Basilio tribui non potest. Additur etiam in editione Antuerpiensi Commentarius S. Basilii in XVI. capita Isaiæ Prophetæ : et alia quædam minutiora, tum in ea editione, tum in aliis adduntur.

De Andrea Episcopo Cæsareæ.

Andreas Episcopus Cæsareæ Cappadociæ vir doctus scripsit commentaria in Apocalypsim, quæ exstant in bibliotheca S. Patrum tomo primo editionis secundæ. Quando vixerit non est omnino certum : sed hoc loco eum posuimus, quia post S. Basilium Episcopus Cæsariensis fuit, eumque sæpe citat, et omnium consensu antiquus scriptor habetur: ex quo Arethas Cæsariensis compendium suum decerpsit in Apocalypsim.

De S. Gregorio Nazianzeno. 370.

Sanctus Gregorius Episcopus Nazianzenus, cognomento Theologus, S. Basilii æqualis et studiorum comes, floruit sub Valente, et anno 11. Theodosii obiit, teste Sancto Hieronymo de script. Eccles. Multa scripsit, in quibus sapientiam cum eloquentia mirifice copulavit. Quæ exstant Coloniæ edita, anno Domini 1570. hæc sunt :

Libri scripti soluta Oratione :

Apologetici lib.	4
Orationes ad diversos,	3
Orationes funebres,	7
Oratio in laudem Heronis Philosophi,	1
Orationes de pace,	3
Orationes sive libri de theologia,	5
Orationes in Julianum imp.	2
Ad Clidonium epistolæ,	2
Orationes in dies festos,	7
Tractatus de fide,	1
Tractatu, de fide Nicænæ Synodi,	1
Orationes variorum argumentorum,	17
Ad virginem exhortatio,	1
Metaphrasis in Ecclesiastem,	1
Epistolæ,	80

Carmina :

Tragœdia, Christus patiens,	1
De rebus suis,	2
De variis argumentis veteris et novi Testamenti,	9
De virginitate insigne carmen,	1
De præceptis a virgine servandis,	1
Spiritualia epigrammata,	13
Sententiarum spiritualium carmine scriptarum libri	3

Observatio in opera S. Gregorii.

Oratio in laudem Heronis Philosophi, debet inscribi, in laudem Maximi Philosophi, ut testatur Sanctus Hieronymus in libro de script. Eccles. in Gregorio Nazianzeno, ubi reprehendit eos qui mutaverunt nomen Maximi in nomen Heronis.

Metaphrasis in Ecclesiastem non est Gregorii Nazianzeni, sed Gregorii Thaumaturgi, ut supra ostendimus. Tragœdia, Christus patiens, non videtur habere gravitatem solitam Nazianzeno, præsertim cum describitur ejulatus matris Christi, quæ prudentissima et constantissima erat.

De Sancto Damaso. 367.

Sanctus Damasus Romanus Pontifex anno sexto Theodosii obiit, et scripsit de virginitate, et alia, quorum meminit S. Hieronymus in libro de script. Eccles. Sed vera ejus scripta non exstant, exceptis paucis epistolis, quarum aliquæ sunt inter Epistolas S. Hieronymi, aliquæ in historia Theodoreti lib. II. cap. 22. et lib. V. cap. 10. et 11. Tribuitur Sancto Damaso liber de vitis Pontificum, qui exstat in primo tomo Conciliorum: sed liber ille est Anastasii bibliothecarii, non Damasi ut notum est.

De Faustino Diacono. 367.

Faustinus Diaconus vixit tempore Damasi Pontificis, et bis schismaticus fuit semel in schismate Ursicini contra Damasum; et iterum in schismate Luciferianorum, ut testantur Gennadius de viris illustribus, et Card. Baronius tomo IV. Annalium ad annum Damasi I. et Sirici IV. placuit tamen eum in hoc catalogo ponere, quoniam scripsit ad Flacillam imperatricem libros septem contra

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Arianos satis eruditos, qui exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tom. IV. edit. 2.

De Sancto Epiphanio. 370.

Sanctus Epiphanius Salamiæ Cypri Episcopus floruit sub Valente, Gratiano et Theodosio Augustis. Scribit Sanctus Hieronymus in libro de script. Eccles. Epiphanium anno quartodecimo Theodosii adhuc superfuisse, et in extrema etiam senectute libros scripsisse.

Opera ejus hæc exstant :

Opus panarium contra omnes hæreses, quæ tunc ad octoginta numerabantur.

Liber inscriptus Ancoratus.

Anacephalæosis, sive summa panarii.

De mensuris et ponderibus liber.

Historia brevis de Prophetarum vita.

Ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum epistola, a Sancto Hieronymo latinitate donata.

De his operibus nulla dubitatio est.

Dicitur Epiphanius scripsisse vitam S. Hilarionis : sed ea non exstat.

Ad finem epistolæ ad Joannem Hierosolymitanum videtur aliquid additum ad Iconoclastis : de quare vide controversias nostras lib. II. de sanctis cap. 9.

De Philone Carpathio. 374.

Philo Carpathius a S. Epiphanio Episcopus ordinatus est, ut in vita S. Epiphanii legitur. Scripsit commentaria in cantica canticorum, quæ exstant in primo tomo bibliothecæ sanctorum Patrum, secundæ editionis. Sed videntur multa inserta ex commentario S. Gregorii Papæ in cantica, quæ cum reliqua explicatione non multum cohærent.

De Sancto Ambrosio Mediolanensi. 374.

Sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, vir plane sanctissimus, et doctissimus, Gratiano et Theodosio imperatoribus floruit. Obiit anno tertio post excessum Theodosii, qui erat trecentesimus monagesimus septimus ab adventu Salvatoris ; ex Card. Baronio.

Opera ejus in editione Parisiensi, anni Domini 1549. qua ego utebar cum hæc scriberem, hæc sunt :

Tomi primi :

De officiis. lib.	3
De virginibus,	3
Ad virgines exhortatio.	1
Institutio virginis,	1
Ad virginem devotam,	1
Ad virginem lapsam,	1
De viduis,	1
De pœnitentia,	2
Exhortatio ad pœnitentiam,	1
De fuga sæculi,	1
De bono mortis,	1

Tomi secundi :

De vocatione gentium. lib.	2
De fide ad Gratianum,	5
De Spiritu sancto ad eumdem,	3
De fide contra Arianos,	1
De incarnationis Sacramento,	1
De mysterio Paschæ,	1

Tomi tertii :

Oratio funebris de obitu Valentiniani.	
Alia de obitu Satyri.	
De fide resurrectionis oratio.	
Alia de obitu Theodosii.	
Epistolarum ad diversos lib.	10
Conciones ad populum.	92

Tomi quarti :

Hexameron, lib.	6
De paradiso	1
De Cain, et Abel,	2
De Noe, et Arca,	2
De Abraham Patriarcha,	2
De Isaac, et anima,	1
De Jacob, et beata vita,	2
De Joseph Patriarcha,	1
De benedictionibus Patriarcharum,	1
De Nabute Israelita,	1
De Elia, et Jejunio,	1
De Tobia,	1
De interpellatione Job, et David,	3
Apologia David,	1
De Salomone,	1
De iis qui mysteriis initiantur,	1
De Sacramentis,	6
De dignitate sacerdotali,	1
Precationes ante Missam,	2

Commentarii in Psalm. I. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLIII. XLV. XLVII. XLVIII. LXI et CXVIII.

Alia David Apologia.

De interpellatione David.

Tomi quinti :

In Evangelium Lucæ, lib.	10

In omnes epistolas Sancti Pauli commentaria.

De fide resurrectionis acephalus.

Precationes piæ.

Hymni sacri.

Canticum Sanctorum Ambrosii et Augustini, quod incipit, Te Deum laudamus.

Observatio in opera S. Ambrosii.

In primo tomo, liber ad virginem lapsam non videtur esse S. Ambrosii : nam cap. 8. sic loquitur auctor, « Inhære pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die posse veniam dari : quia decepit te, qui hoc tibi polliceri voluerit : quæ enim proprie contra Dominum peccasti, ab illo solo te convenit in die judicii expectare remedium. Atqui hæc sententia Novatianum errorem continet, et contra eam disputat S. Ambrosius in duobus libris de pœnitentia : quos libros indicat ipse cap. 8. lib. II. a se fuisse compositos, dum describit, quo pacto a forensi negotio ad sacerdotium repente vocatus fuerat. Petrus quidem a Soto lect. 2. de necessitate confessionis libros duos de pœnitentia non audet affirmare esse S. Ambrosii : sed communiter S. Ambrosio adscribuntur.

In secundo tomo, libri de vocatione gentium, falso tribuuntur S. Ambrosio, cum manifeste S. Prosperi sint. Certe Ambrosii esse non possunt, cum lib. I. cap. 7. et lib. II. cap. 8. disputet auctor adversus Pelagianos, qui post mortem S. Ambrosii exorti sunt.

In tertio tomo certum est aliquas epistolas et aliquos sermones non posse esse Ambrosii. Nam in epist. 84. quæ est ad Demetriadem, mentio fit Pelagianorum, qui (ut paulo ante dixi) Ambrosio noti non fuerunt. Sunt etiam, qui epistolam 82. ad Vercellenses, S. Ambrosii esse negent, quod in ea fiat mentio Venetiarum, quæ tempore S. Ambrosii nondum conditæ erant. Sed falluntur, nam per Venetias eo loco non intelligitur civitas Venetiarum, sed regio : conjunguntur enim Venetiæ cum Liguria, et Æmilia : sic enim loquitur auctor in principio epistolæ : « Ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque vel cæteris finitimis Italiæ partibus, etc. »

Sermones, nonus, tricesimus septimus, et septuagesimus secundus inveniuntur etiam inter sermones S. Augustini. Item sermo sexagesimus nonus, qui est de sancto Eusebio Vercellensi Episcopo, et sermo septuagesimus tertius, qui est de Sancto Cypriano, inveniuntur etiam inter sermones S. Maximi, sed verbis alicubi mutatis.

Sermones vero sequentes nempe 3. 14. 30. 31. 32. 44. 47. 50. 51. 52. 53. 54. 56. 57. 58. 60. 61. 62. 66. 74. 77. 78. et 82. sunt ad verbum inter sermones S. Maximi, ut plane judicari non possit, utrum Ambrosio, vel Maximo tribui debeant. Sed cujuscumque sint, antiqui et sancti auctoris sunt.

Sermo nonagesimus de passione B. Agnetis dubius redditur, quoniam Sanctus Ambrosius lib. I. de virginibus significat, Beatæ Agneti cervicem gladio amputatam. « Stetit, inquit, oravit, cervicem inflexit ». At illius sermonis auctor scribit, B. Agneti ad palum alligatæ, ut combureretur, cum flamma divinitus extincta esset, jussu Aspasii judicis gladio guttur fuisse perfossum.

Sermo quoque nonagesimus secundus de baptismo S. Augustini, longissime distat a stylo et gravitate Ambrosii ; neque ullo modo credibile est, quod in eo sermone dicitur Ambrosium sæpe Deum orasse, ut eum a captionibus Augustini liberaret. Augustinus enim non disputando cum Ambrosio, sed eum concionantem audiendo, ad fidem Catholicam conversus est, ut ipse idem testatur lib. V. confess. cap. 14. et lib. VI. cap. 4.

In quarto tomo apologia David posterior, et liber etiam posterior de interpellatione David, non videtur esse Ambrosii tum quia stylus diversus est, et jam antea scripserat Ambrosius apologiam David, et libros tres de interpellatione, quorum tertius est de interpellatione David : tum quia auctor posterioris apologiæ negat, adulterium David fuisse verum *adulterium*, et allegorice interpretandum censuit ; Ambrosius autem in vera apologia sua peccatum adulterii confitetur, sed laudat pœnitentiam.

In quinto tomo, sunt commentaria in epistolas S. Pauli, quæ a multis non creduntur Ambrosii ; nec sine causa.

Primo, quia S. Augustinus, qui libenter

et frequenter Ambrosii testimoniis utitur contra Pelagianos, ex his commentariis nulla testimonia petit.

Secundo, quia Pelagius ipse, qui Ambrosii testimonia S. Augustino objicere solet, ex his commentariis nihil objicit; cum tamen in his commentariis sint non pauca quæ Pelagii errores continere videntur, ut perspicuum est commentariis in epistolam ad Romanos.

Tertio, quia auctor horum commentariorum multa exponit contra sententiam S. Ambrosii, quod plane perspiciet, qui conferre voluerit illud Philip. II. *Qui cum in forma Dei esset* : explicatum in commentario hujus auctoris, cum explicatione Ambrosiana in epist. 47. et lib. 2. de fide cap. 4. et illud 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali* : explicatum in commentario hujus auctoris, cum expositione Ambrosiana lib. II. de fide cap. 1. et 3. et lib. III. cap. 2.

Quarto, quia S. Augustinus lib. IV. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. citat S. Hilarium in expositione illorum verborum ad Rom. V. *in quo omnes peccaverunt* : et sententia, quam Sanctus Augustinus citat, habetur eodidem verbis in commentario hujus auctoris : non igitur auctor hujus commentarii, est Ambrosius, sed Hilarius aliquis, non est autem auctor hujus operis S. Hilarius Pictaviensis aut Hilarius Arelatensis : nam iste auctor vixit tempore Damasi, ut ipse testatur in Commentario ad caput III. prioris ad Timotheum : tempore autem Damasi Hilarius Arelatensis, aut natus non erat, aut adolescens erat : sanctus autem Hilarius Pictaviensis obiit anno quinto Valentiniani imp. ex Hieronymo in Chronico : annus autem quintus Valentiani erat secundus Damasi : non est autem credibile, in extrema ætate tam ingens opus cudisse Hilarium; et stylus Hilarii cum stylo hujus auctoris nihil simile habet : Hilarius vero Arelatensis post Damasi tempora floruit. Credibile igitur est auctorem horum commentariorum esse Hilarium Diaconum Romanum, qui Luciferi schisma propagavit, et libros etiam non paucos scipsit, ut Sanctus Hieronymus testatur in dialogo contra Luciferianos extremo. Neque mirum est, hunc Hilarium a Sancto Augustino, sanctum Hilarium vocari, cum nuncupatio sancti, tunc satis communis fuerit Christianis, præsertim Ecclesiasticis.

Postremo accedit, quod idem videtur esse auctor horum commentariorum, et quæstionum veteris et novi Testamenti, quæ exstant inter libros Sancti Augustini : doctrina enim horum Commentariorum et illarum quæstionum, simillima est, ut notaverunt Censores Lovanienses in notis ad Augustinum : stylus videtur etiam esse idem, et ætas mirifice consentit : auctor enim illarum quæstionum quæst. 44. scribit, ab excidio Hierosol. usque ad sua tempora fluxisse annos trecentos : quibus si addas annos a Nativitate Christi usque ad excidium Hierosol. erunt omnes anni 372. vel 373. ut ex chronico S. Hieronymi apparet. Hoc eodem tempore sedisse Damasum Pontificem, sub quo auctor horum commentariorum scripsisse se memorat in explicatione capitis primi epistolæ prioris ad Timoth. notissimum est.

Quod si auctor horum commentariorum idem sit cum auctore illarum quæstionum, plane efficietur auctorem horum commentariorum non esse Ambrosium. Ambrosius enim nihil scripsit antequam Episcopus fieret, neque factus est Episcopus ante annum Dom. 364. ut Card. Baronius in Annalibus docet. Ille autem auctor cum scriberet, numerabat annum Dom. 372. vel 373. ut supra diximus.

In eodem tomo sunt hymni sacri ex quibus aliqui certo sunt Ambrosii, ut ille, « Deus creator omnium, polique rector vestiens, etc., » cujus meminit S. Augustinus lib. IX. confess. cap. 12. et ille, « Æterne rerum conditor, noctem diemque qui regis, etc., » cujus meminit idem Augustinus lib. 1. retract. cap. 21. Aliqui certo non sunt Ambrosii, ut ille, « Vexilla Regis prodeunt » ; qui est Fortunati, et alii quidam, in quibus non servatur ratio metrica, quæ Ambrosio notissima erat, ejusmodi est ille, « Optatus votis omnium Sacratus illuxit dies, quo Christus mundi spes Deus conscendit cœlos arduos, » et ille, « Christe, qui lux es, et dies, noctis tenebras detegis, etc. » Isti enim indigni videntur qui Ambrosio tribuantur. Canticum, « Te Deum laudamus, » Ecclesiæ in divinis officiis, Ambrosii et Augustini canticum vocat : et exstat Chronicum S. Dacii Episcopi Mediolanensis, qui Justino imperante floruit, in cujus Chronici libro primo cap. 10. scribitur, completo baptismo S. Augustini, tota obstupescente populo, repente canticum illud a sanctis Ambrosio et Augustino alternatim fuisse cantatum.

Præter opera supra scripta, in editione Romana anni 1585, adduntur opera quædam S. Ambrosio adscripta, quamvis ejus non sint, ut commentarius in Apocalypsim, et alia quædam : et recte dicuntur ea opera non esse S. Ambrosii; ac præsertim explicatio Apocalypsis, cum auctor mentionem faciat Longebardorum Italiam invadentium invasio diu post mortem S. Ambrosii contigit.

De S. Philastrio Brixiensi. 380.

Sanctus Philastrius Episcopus Brixiæ, tempore S. Ambrosii vixit, ut S. Augustinus testatur initio libri de hæresibus ad Quod vult Deus : scripsit librum de hæresibus usque ad sua tempora; qui liber exstat in bibliotheca S. Patrum secundo edita, tomo IV. Sed illud est observandum, multa a Philastrio inter hæreses numerari, quæ vere hæreses non sunt : proindre cum prudentia legendus est. Quod autem in hæresi 65. meminit anni Dom. 430. mendum est typographorum : nam ad eum annum hic auctor non pervenit.

De Idacio Claro. 380.

Idacius, sive Ithacius Clarus, Episcopus Hispanus, de quo multa Sulpitius in historia sacra, cum de Priscilliano agit, scripsit libros tres adversus Varimandum Arianum, qui exstant in bibliotheca S. Patrum t. IV. edit. 2.; scripsit etiam Apologeticum adversus Priscilliani hæreses, teste Isidoro de viris illustribus cap. 15. quem librum exstare non puto. Vixit circa annum Dom. 380. et in eo repreheasus, et punitus ab episcopis fuit, quod Priscillianum apud seculares judices accusaverit, et occidi curaverit.

De S. Gregorio Nysseno. 380.

Sanctus Gregorius Nyssenus Episcopus, S. Basilii frater, vivebat adhuc, et scribebat anno 14. Theodosii, teste S. Hieronymo lib. de script. Eccles. Interfuit Concilio primo Constantinopolitano, et scripsit symbolum fidei in ea Synodo editum, ut refert Nicephorus lib. XII. hist. cap. 13.

Ejus opera ex editione Basileensi anni 1562, hæc sunt :

Epistola de nomine Christiani.
De oratione Dominica lib.
De octo beatitudinibus in cap. V. Matth. 1.
Sermones, de Nativitate.
De S. Stephano.
In sextum Psalmum.
De octava.
De Pascha.
De Christi assumptione.
De Trinitate, et quod Spiritus sanctus si Deus.
De eo, quod non sint tres dii.
De differentia essentiæ, et hypostaseos.
De fide Trinitatis.
In dictum Apostoli, tunc ipse Filius sub jicitur ei.
De dormientibus.
De infantibus præmature raptis.
De resurrectione orationes 4.
De assumptione Domini.
In dictum Domini *Quatenus fecistis uni ex minimis his, mihi fecistis.*
De anima et resurrectione disputatio.
De Trinitate contra Judæos.
De sancto baptismate.
Orationes laudatoriæ in Basilium.
In 40. Martyres.
In Pulcheriam.
In Placillam.
In Gregorium Neocæsariensem.
In Theodorum Matyrem.
In Meletium.
De imagine, sive de creatione hominis, supplementum hexameron Basilii.
De philosophia, lib. 8
De vita Mosis, 1

Prima observatio in opera S. Gregorii Nysseni.

Deesse videntur in hoc librorum catalogo libri in Eunomium, quorum meminit Sanctus Hieronymus in libro de script. Ecclesiast. Negue dici potest, contra Eunomium scriptum esse librum de Trinitate, et, quod Spiritus Sanctus sit Deus : nam hic est libellus, non libri plures : et in hoc libello Eunomius ne nominatur quidem. Audio, ex Bavarica bibliotheca depromptos Græce libros duodecim contra Eunomium, eosque latinitate donatos a Patre Jacobo Gretsero nostro, de litteris, et quod est longe amplius de Ecclesia Catholica optime merito. Hi sunt igitur libri, quos commemorat S. Hieronymus, et sibi ab ipso Gregorio lectos fuisse dicit.

Secunda observatio.

Præter libros supra numeratos exstant ex editione Parisiensi anni 1573.
In Ecclesiasten conciones octo.
In Cantica canticorum explanatio.
De perfecti hominis Christiani forma.
Catechetica oratio, quæ dicitur magna.
In eos, qui differunt baptisma.
De fugienda fornicatione.
In eos qui ægre ferunt reprehensiones.
In mulierem peccatricem.
De pauperibus amandis.
De vera virginitate.
Ad Flavianum epistola.

Tertia observatio.

Libri octo de philosophia non videntur esse S. Gregorii Nysseni : nam in lib. II. docet, animam non creari in corpore, sed ante corpus fuisse creatam, qui est error Origenis : et præterea totum hoc opus philosophicum est, et sapit Pelagianismum. Adde quod hoc idem opus invenitur in bibliotheca sanctorum Patrum tomo nono, ex editione secunda, sub nomine cujusdam Nemesii Philosophi Christiani : eo solum excepto, quod apud Nyssenum dividitur in octo libros, apud Nemesium est unus liber divisus in capita 45. et inscribitur, de homine sive de anima. Hic autem Nemesius, quando scripserit, ignoratur, sed quia nominatim refellit Manichæos, Apollinarem, et Eunomium, videtur vixisse, et scripsisse tempore S. Gregorii Nysseni, aut certe non antea.

Quarta observatio.

Posset ab aliquo quæri, cur Gregorius scripserit de creatione hominis ad supplendum hexaméron Basilii, cum ipse Basilius supplevérit opus suum, addens decimam et undecimam homiliam, in quibus creationem hominis satis copiose explicat. Respondemus, Basilium in duabus illis postremis homiliis absolvisse explanationem divinæ Scripturæ de opere sex dierum : sed non accurate disputasse de tota structura corporis humani, imo vero solum attigisse ea quæ ad oculos pertinent, ut ex illis cætera colligerentur. Itaque in homilia postrema aperte indicat, se non omnia dixisse, quæ dici potuissent, cum ait : « Si mihi tantum superesset otii, ut tibi hominis structuram demonstrare possem, ex te ipso sane disceres sapientiam Dei circa te. » Gregorius igitur ex his et aliis Basilii verbis occasionem accepit scribendi libri de creatione hominis, libri, inquam, longissimi, in quo suppleret ea quæ Basilius omisit, de voce, de auribus, de manibus, de aliis denique membris, vel sensibus, quæ structuram humani corporis admirabilem reddunt.

Quinta observatio.

Hæretici, qui peregrinationes ad loca sancta reprehendunt, nituntur maxime Oratione quadam valde prolixa Sancti Gregorii Nysseni, quam totam referunt Magdeburgenses centuria quarta cap. 10. Sed eam orationem non invenimus hactenus inter opera S. Gregorii Nysseni. Neque argumenta, quæ inde colligunt Hæretici, aliquid probant, ut nos aperte ostendimus in controversiis lib. III. de sanctis cap. 8.

De Amphilochio. 380.

Amphilochius Iconii Episcopus S. Gregorii æqualis, quem S. Hieronymus in epistola ad Magnum parem doctrina sacra et profana facere videtur Basilio, et Gregorio Nazianzeno, cum de his tribus viris dicit, non facile judicari posse, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum.

Scripsit librum de Spiritu sancto, et homilias non paucas : de priore libro testis est Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. De homiliis testis est Theodoretus, qui eas in dialogis frequenter citat.

An hoc tempore exstent liber de Spiritu sancto, et homiliæ, quas Theodoretus citat, equidem certo scire non potui.

Exstat quidem sub nomine Amphilochii vita S. Basilii Magni, sed haud dubio falsa, vel supposititia. Primum enim narrat ille auctor Basilium factum Episcopum ante mortem Juliani. Quod repugnat historiis, et ipsi S. Gregorio Nazianzeno in oratione de S. Basilio. Deinde narrat auctor, Sanctum Basilium ostensum fuisse per revelationem Eusebio Cæsariensi, cum antea cum non posset. Quod etiam falsum esse certum est, ex eo, quod Nazianzenus scribit, Eusebium cum Basilio de episcopatu contendisse, et ea de causa inimicum Basilio factum. Tertio constat, sanctum Basilium obiisse anno ultimo

Valentis imper. et octo annis Episcopatum administrasse : ex Gregorio Nazianzeno, et aliis : proinde Episcopum factum anno sexto Valentis : at juxta suppositítium Amphilochium, Basilius, vel sedisset annis quindecim, vel ante mortuus esset, quam Episcopus fieret, si vivente Juliano jam Episcopus erat.

Omitto multa alia, quæ perperam narrantur in illa vita tum de Libanio, tum de aliis.

De S. Hieronymo 390.

Sanctus Hieronymus Presbyter et Ecclesiæ doctor floruit anno quarto decimo Theodosii, ut ipse de se testatur in libro de script. Eccles. extremo. Obiit Honorio imperante anno Domini 422., ætatis suæ anno 91., ex chronico S. Prosperi, vel anno Dom. 420 ætatis anno 78. ex annalibus Card. Baronii. Opera sancti Hieronymi novem tomis continentur in editione Lugdunensi anni 1530. In editione vero Romana anni 1565 et 1572. Mariani Victorii, idem est tomorum numerus, sed quæ prior editio conjecerat in quartum tomum, editio posterior conjecit in octavum et nonum : et quæ editio prior collocaverat in tomis quinto, sexto, septimo, octavo, et nono, posterior collocat in quarto quinto, sexto et septimo. Nos sequemur ordinem editionis posterioris, quæ ab erroribus Erasmi purgata est.

Igitur in primo tomo hæc opera insunt:

Primi tomi.

Epistolæ hortatoriæ, ut plurimum, 42.
Ad Heliodorum.
Ad Rusticum.
Ad Lætam.
Ad Salvinam.
Ad Ageruchiam duæ.
Ad Paulinum.
Ad Paulam et Eustochium nomine Marcellæ.
Ad Marcellam tres.
Ad Paulum Concordiensem.
Ad Theophilum Alex.
Ad Castrutium.
Ad Exuperantium.
Ad Julianum Diaconum.
Ad virgines Hermonenses.
Ad Ruffinum.
Ad Chromatium et alios.
Ad Antonium.
De vitando suspecto conturbernio.
Ad Sabinianum Diaconum.
Ad Nepotianum.
Ad Florentium duæ.
Ad Demetriadem.
Ad Furiam.
Ad Gaudentium.
Ad Celantium.
Ad Eustochium duæ.
Ad Lucinium.
Ad Abiganm.
Ad Julianum.
Ad Castorinam.
Ad Theodosium Monachum.
Ad Augustinum.
Ad Nicæam Diaconum.
Ad Chrysogonum.
Ad Rusticum.

In eodem tomo sunt Epistolæ laudatoriæ, sive funebres, num. 12.
In Nepotianum.
In Marcellam.
In Blesillam.
In Asellam.
In Leam.
In Paulam.
In Lucinium.
In S. Paulum.
In Malchum.
In S. Hilariorem.
In mulierem septies ictam.

Denique ad finem primi tomi est liber de script. Ecclesiast. sive de viris illustribus.

Observatio in primum tomum.

In hoc primo tomo nihil est, de quo merito dubitari possit.

Secundi tomi.

In II. tomo libri sunt contra hæreticos, vel calumniatores.
Adversus Helvidium, liber 1.
Adversus Jovinianum, lib. 2.
Apologia pro libris in Jovinianum.
Apologeticum ad Domnionem.
Ad Pammachium pro iisdem libris.
Adversus Vigilantium ad Riparium epistola.
Adversus Vigilantium, liber 1.
Ad Marcellam adversus Montanum epistola.
Adversus Luciferianos dialogus.
Ad Avitum contra Origenem.

Ad Joannem Hierosolymitanum Origenistam.
Ad Pammachium de erroribus Jo. Hierosol.
Ad Theophilum contra eumdem Joannem.
Apologiæ adversus Ruffinum, lib. 3.
Ad Ctesiphontem adversus Pelagium.
Adversus Pelagianos, lib. 3.
Ad diversos diversorum argumentorum epistolæ triginta : necnon epistolæ Epiphanii, Theophili, et Augustini.
Ad Hieronymum epistolæ octo.

Observatio in secundum tomum.

In hoc etiam tomo nihil est dubium, vel supposititium

Tertii tomi.

In tomo tertio sunt præfationes, et quæstionum explicationes.
Ad Paulinum de libris Scripturæ.
Præfationes in Pentateuchum
In Josue.
In libros Regum.
In librum Paralip. 2.
In Esdram.
In Tobiam.
In Judith.
In Esther.
In Job.
In Proverbia.
In Ecclesiastem.
In Cantica.
In Isaiam.
In Hieremiam.
In Ezechielem.
In Danielem.
In 12. Prophetas.
In quatuor Evangelia.
Sequuntur in eodem tomo explicationes quæstionum a diversis propositarum.
A Damaso.
A Dardano.
A Vitali.
Ab Amando.
A Minerio, et ab Alexandro.
A Cypriano.
A Paula Urbica.
Ab Evagrio.
A Marcella.
A Sophronio.
Ab Hedibia.
A Principia virgine.
A Fabiola.
A Ruffino.
A Sunia, et Fretella.
Ab Algasia.
A Paulino.
A Desiderio.

Denique sunt in eodem tomo :

Traditiones, sive quæstiones Hebraicæ.
In Genesim.
In libros Regum.
In libros Paralipomenon.
Item libri, de locis Hebraicis, et de nominibus Hebraicis, quæ in omnibus libris Testamenti veteris et novi occurrunt.

Observatio in tomum tertium.

In hoc tomo nihil est, de quo dubitetur, exceptis quæstionibus in libros Regum, et in libros Paralip. Sanctus enim Hieronymus in lib. de script. Eccles. extremo, testatur, se scripsisse traditiones sive quæstiones Hebraicas in Genesim, loca Hebraica, et nomina Hebraica : et de traditionibus, sive quæstionibus Hebraicis in libros Regnum, et in libros Paralip. nihil dicit : præterea in quæstionibus Hebraicis in Genesim adscribit idem Hieronymus passim verba Hebraica ; in quæstionibus autem in libros Regum, et Paralip. nonnisi semel, aut iterum id facit. Denique gravior videtur scriptio illa in Genesim, quam ista in libros Regum, et Paralipomenon, sed cujuscumque sit hoc opus, non magni refert.

Quarti tomi.

In IV. tomo sunt commentaria in quatuor Prophetas majores, et Threnos Hierem.

Quinti tomi.

In quinto tomo sunt commentaria in Ecclesiastem : et in duodecim Prophetas minores.

Sexti tomi.

In tomo sexto commentaria in Matthæum, in epistolas ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem. Liber Didymi de Spiritu sancto a Hieronymo Latinus factus.

Observatio.

In his tribus tomis omnia sunt legitima, et certa quod attinet ad auctorem, excepto commentario in threnos Hieremiæ, qui videtur esse potius Rabani, quam Hieronymi : habetur enim inter opera Rabani et inveniuntur in eo sententiæ aliquæ ex sancto Gregorio decerptæ.

Post commentarium in Matthæum, sequebatur Commentarium in Marcum ; quod Marianus prudenter omisit, quia auctor ostendit, se neque Græcæ linguæ neque Hebraicæ fuisse peritum : et in explicatione cap. 14. et 15. multa scribit inepta et falsa

Septimi tomi.

In tomo septimo commentaria in Psalmos omnes.
Versio S. Hieronymi ex Hebræo.

Observatio.

De commentariis in Psalmos obscura quæstio est : scripsit Sanctus Hieronymus in Psalmos septem, videlicet in Psal. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. et XX. ut ipse testatur in lib. de script. Eccles. Deinde scripsit in Psalm. XLIV. LXXXIX, et XCIII. ut notum est ex Epistolis ejus ad Principiam, ad Cyprianum, et ad Marcellam. Scripsit denique commentariolos in omnes Psalmos, ut ipse idem testatur in apologia prima contra Ruffinum. Certum est primos tractatus in Psalmos septem, perlisse : non minus certum est, explicationem trium Psalmorum, esse Sancti Hieronymi, et exstare inter epistolas. De commentariolis quæstio est, an sint ista commentaria, quæ sub nomine sancti Hieronymi exstant in hoc septimo tomo. Quod enim sint ista ipsa commentaria, quæ nunc exstant, probari potest, primo ex eo, quod Sanctus Hieronymus in apologia prima contra Ruffinum, scribit, se in commentariolis illis vertisse verba Hebraica, « nasse-cubar » quæ habentur in secundo Psalmo, «adorare Filium » : eadem autem verba in interpretatione Psalterii de Hebræo in Latinum, vertisse « adorate pure » : et utramque lectionem defendit. Atqui in istis commentariis, de quibus agitur, invenitur « adorate Filium » : et in interpretatione ex Hebræo invenitur « adorate pure » : igitur sicut interpretatio psalterii ex Hebræo, quæ exstat est Sancti Hieronymi ; ita et commentariia quæ exstant, ejusdem sunt Hieronymi. Deinde probari potest alio simili argumento ex Sancto Augustino : Sanctus enim Augustinus in epistola ad Fortunatianum citat verba Sancti Hieronymi exponentis Psalmum nonagesimum tertium : et verba illa omnia inveniuntur in commentario isto, ut non videatur posse esse dubium, quin sanctus Augustinus citaverit Commentaria ista sub nomine Sancti Hieronymi. Accedit tertium argumentum ex testimonio Sancti Gregorii, qui explicans verba illa Psal. quarti pœnitentialis *Cor contritum, et humiliatum Deus non despicies*, allegat Sanctum Hieronymum exponentem eumdem locum : et expositio illa in his commentaris invenitur : proinde testimonio Sancti Gregorii, hæc ipsa commentaria Sancti Hieronymi esse videntur. Contra tamen sunt argumenta non minus probabilia. Nam hic auctor in explicatione Psal. sexti decimi, disertis verbis citat Eucherium : Eucherium autem, qui ex scriptis notus est, multis annis Sanctus Hieronymus præcessit : neque in libro de script Eccles. ullius Eucherii Sanctus Hieronymus meminit, cum tamen nullum fere prætereat ex majoribus vel æqualibus suis. Deinde hic idem auctor in explicatione Psal. CVIII. scribit, suo tempore fuisse annum quadragentesimum ab excidio Hierusalem, in quo cœpit ultima captivitas Judæorum : excidium autem Hierusalem contigit anno quadragesimo secundo post passionem Domini, ut idem auctor ibidem affirmat : quibus annis si addamus annos triginta tres vitæ Christi, erunt omnes simul anni 475. Igitur auctor horum commentariorum vivebat anno Domini 475. Atqui Sanctus Hieronymus obiit anno Domini 422. ut supra dictum est. Accedit tertium argumentum, quod hic auctor in explicatione Psal. LXXXVI. dicit. illa verba, *Numquid Sion dicet homo*, esse ex Hebraica veritate : et tamen in translatione psalterii ex Hebræo Sanctus Hieronymus vertit, *Ad Sion dicetur homo* : et vere sic est in Hebræo, ut videatur auctor horum commentariorum non calluisse linguam Hebraicam, ac per hoc non esse Hieronymus, qui ejus linguæ, sine controversia, peritissimus erat. Ac (ut omittam alia multa) S. Hieronymus in apologia prima contra Ruffinum scribit, se commentariolos confecisse in Psalmos : auctor autem horum commentariorum in quorumdam Psalmorum explicatione longissimas disputationes vel

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cohortationes adjungit. Vide commentaria in Psal. LXXXI. LXXXVI. XXXII. CXXXIII. et secundam expositionem Psal. CXIX. quæ habetur ad finem ultimi tomi : isti enim Psalmi brevissimi sunt et commentaria habent fusissima. Ego igitur (si mihi liceat sententiam meam exponere) existimo, commentaria, de quibus agimus, vere esse Sancti Hieronymi, sed non pura. Videtur enim aliquis longe posterior scriptor adjunxisse multa de suo : quod idem accidit versioni Scripturarum ex Hebræo, quam habemus in editione vulgata : est enim versio ipsa Sancti Hieronymi, exceptis Psalmis, in editione vulgata, sed multis additis, ut ostendi in controversiis, 1., 2., de Verbo Dei. c. 9. extremo : sic igitur commentaria ista Hieronymi sunt, sed aucta ab aliquo, qui multa inseruit ex Hilario, ex Ambrosio, ex Ruffino et Augustino ; et quia etiam adjecit cohortationes, sive conciunculas, quæ habentur interdum ad finem : et qui ista adjecit, videtur vixisse anno Domini 475. ut etiam facile Eucherium citare potuerit. Atque ex hac observatione solventur omnia argumenta, quæ nos paulo ante adduximus, quæque ab aliis scriptoribus adducontur. Illud unum videtur solvi non posse, quod hic auctor dicat, secundum Hebraicam veritatem haberi in Psal. LXXXVI. *Numquid Sion dicet homo.* Respondemus tamen, vocem illam «Hebraicam » irrepsisse in textum, scioli alicujus temeritate, et omnino abradendam esse : auctor enim dixerat, alicubi legi, *Mater Sion*, alicubi, *Numquit Sion :* et addidit, in textu Græco haberi μήτι, id est, *numquid* sed ab aliquo mutatum est in μήτηρ, id «est mater » : et se velle utroque modo exponere : et cum exposuisset, *Mater Sion*, addit, exponamus nunc secundum Hebraicam veritatem, quæ habet, *Numquid Sion ;* ubi illud, Hebraicam, supervacaneum est : et legendum videtur, exponamus nunc secundum veritatem, quæ habet, *Numquid Sion*. Illud enim *mater Sion* non est secundum veritatem Græci textus, sed secundum corruptionem : in illis enim commentariis Sanctus Hieronymus exponit psalterium secundum versionem græcam 70. Interpretum, non secundum versionem ex Hebraico.

Octavi tomi.

In tomo octavo hæc sunt :
In Job commentaria Bedæ.
In proverbia commentaria Bedæ.
In Cantica homiliæ Origenis.
In omnes Pauli epistolas commentaria falso attributa Hieronymo.

Observatio.

Recte Marianus Victorius commentaria in Job non tribuit Sancto Hieronymo, sed Bedæ : nam in extremo volumine scribit auctor, se scripsisse in gratiam Vecterii : Vecterium autem Episcopum fuisse in Anglia tempore Bedæ, ex historia ejusdem Bedæ manifeste colligitur.

Recte quoque commentaria in Proverbia tribuuntur Bedæ, non autem Hieronymo : siquidem in caput 21. et 31. citatur Sanctus Gregorius Papa : et in capite 30. citatur nominatim Sanctus Hieronymus.

Commentaria in omnes Epistolas, non solum non Hieronymi, sed, quod magis mirum est, Pelagii hæresiarchæ sunt. Nam Sanctus Augustinus, lib. III. de peccatorum meritis et remiss. cap. 1. dicit se legisse commentaria Pelagii brevia in omnes epistolas Pauli : et infra cap. 12. allegat quædam ex commentario in caput VII. prioris ad Corinth. quæ in his commentariis inveniuntur. Vide auctorem horum commentariorum, in caput V. VI. VII. et VIII et XI. ad Romanos ; item I. Cor. IV. Philipp. I. et III. et in caput VI. prioris ad Timoth., et invenies sententias manifeste Pelagianas.

Noni tomi.

In tomo nono sunt multa aliorum, ut Eusebii Cæsariensis, Ruffini, Augustini, Gennadii, et aliorum, de quibus nullum est dubium.

Plurimi etiam libri, vel epistolæ ponuntur, quas Erasmus tamquam supposititias in tomum quartum conjecerat. Vere enim nihil horum est, quod Hieronymi doctrina vel fide sit dignum. Ego solum ea commemorabo, quæ manifeste comperi ad Hieronymum non pertinere.

Epistola ad Demedriadem Virginem, quæ incipit : « Si summo ingenio » Pelagiana est, et a Sancto Augustino tribuitur ipsi Pelagio, et confutatur in lib. de gratia Christi, cap. 22. 27. 37. 38. et 40.

Epistola ad Geruntii filias, similiter Pelagiana est : sicut etiam

Epistola ad amicum de cognitione divinæ legis.

Epistola de scriptoribus Ecclesiasticis ad

Desiderium ponit inter lumina Ecclesiæ Origenem, Jovinianum, Pelagium, Hæreticos : numerat etiam Hilarium Pontificem, qui Sancto Leoni successit, qui diu post mortem Sancti Hieronymi clarere cœpit.

Epistola de filio luxorioso, et frugi, Pelagiana est : et multum omnino discrepans a vera epistola sancti Hieronymi, de eodem argumento.

Symbolum ad Damasum, quod incipit : « Credimus in Deum Patrem, » et clauditur illis verbis, se imperitum, et malevolum vel non Catholicum, non me Hæreticum comprobabit, non est Hieronymi ad Damasum, sed Pelagii ad Innocentium. Id ostendit Sanctus Augustinus in lib. de gratia Christi, cap. 30. 31. 32. et 33. ubi dicit Pelagium misisse ad Innocentium Papam libellum fidei suæ : et ibidem refert verba ejus libelli, quæ sunt illa ipsa, quæ in hoc symbolo continentur.

Epistolæ Sancti Augustini ad Cyrillum Hierosolymæ Episcopum de obitu Sancti Hieronymi, sine dubio falsæ et supposititicæ sunt. Constat enim Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum obiisse diu antequam Sanctus Hieronymus moreretur, scribit enim Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccl. in Cyrillo, Cyrillum sepius expulsum, et revocatum, tandem octo annis pacifice sedisse. Adde quod epistolæ istæ, ut etiam epistola Eusebii ad Damasum de morte Sancti Hieronymi novitatem suam manifeste produnt. Nec solum novitatem, sed etiam imperitiam, et imposturas : scribit enim fictitius Cyrillus ad Augustinum hæresiarcha, quemdam Sylvanum docuisse, duas in Christo esse voluntates : sed miraculis Sancti Hieronymi hunc hæresiarcham fuisse confutatum. At hæresis Monothelitarum ducentis annis post tempora Cyrilli et Hieronymi exorta est : et non est hæresiarcha dicendus, qui duas voluntates in Christo confitetur, sed qui unam tantum, ut ex Concilio sexto generali intelligi potest. Itaque auctor harum epistolarum confundit tempora, hæresim monothelitarum pro fide Catholica vendit, Cyrillum, Augustinum, et Hieronymum pro magna laude Hæreticos monothelitas facit.

Tribuitur ad ultimum Sancto Hieronymo liber de vitis sanctorum Patrum : sed sciendum est, eum librum non esse unius auctoris : nam in prima parte ponuntur vitæ Monachorum, quas scripsit Evagrius Ponticus, de quo scribit Sanctus Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem ; ex illis vitis solam primam esse veram, quæ est Joannis Abbatis : eidem Evagrio tribuit vitas Patrum Gennadius in suo catalogo scriptorum. Vitis illis ab Evagrio scriptis adjunctæ sunt vitæ Pauli primi Eremitæ, Hilarionis, et Malchi, a Sancto Hieronymo scriptæ : item vita Sancti Antonii scripta ab Athanasio : item vita Mariæ Ægyptiacæ a Zozimo edita : item multa ex collationibus Cassiani : denique vita Sancti Hieronymi parum fideliter conscripta.

De Theophilo Alexandrino. 390.

Theophilus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Sancti Hieronymi æqualis, ut epistolæ utriusque invicem scriptæ testantur, scripsit epistolas tres Paschales, quas Sanctus Hieronymus Latinas fecit. Atque epistolæ istæ satis utiles et doctæ exstant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo III ; scripsit præterea adversus Origenem et alia quorum meminit Gennadius in lib. de viris illustribus, sed hæc non exstant.

De Joanne Episcopo Hierosolymitano. 390.

Joannes Episcopus Hierosolymitanus vixit tempore Sancti Hieronymi, ut notum est ex contentionibus inter eos non semel excitatis, scripsit, teste Gennadio, librum in obtrectatores studii sui, ostendens se non esse Origenistam. Tribuitur eidem Joanni liber ad Caprasium de institutione Monachi, qui habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo IX. edit. 2. sed hic liber videtur scriptus ab aliquo longe posteriore : siquidem eo in libro dicit auctor se esse ordinis Carmelitarum, et describit habitum Carmelitarum : at illis temporibus nomen Carmelitarum religiosorum erat plane inauditum, ut etiam Card. Baronius affirmat, tomo VI. Annalium, ad annum 444. Adde quod stylus est hominis Latini, et temporum posteriorum.

De Diadocho. 390.

Diadochus Episcopus Photices scripsit insignem librum de perfectione, continentem capita centum : hic liber exstat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto, edit. 2.

De Dorotheo Archimandrita.

Dorotheus Archimandrita scripsit sermo-

nes viginti quatuor, qui exstant in bibliotheca sanctorum Patrum, tomo II. edit. 2. Hi duo quando vixerint, non compertum habeo, quamvis antiquos fuisse satis constet.

De Ruffino Presbytero. 390.

Ruffinus Presbyter Aquileiensis, Sancti Hieronymi quondam amicissimus, deinde æmulus factus, scripsit libros duos historiæ Ecclesiasticæ, quos addidit ad historiam Eusebii Cæsariensis a se conversam ex Græco : scripsit etiam explicationem symboli Apostoloci : item in Psalmos aliquot commentaria ; invectivas duas in Sanctum Hieronymum ; et apologiam pro Origene, in qua multa mentitur, ipso Hieronymo teste in secunda apologia : scripsit quoque multas epistolas. Hæc omnia exstant, partim inter opera Sancti Hieronymi, partim in historia Eusebii, partim etiam seorsim. Vertit quasdam sententias Sixti Philosophi Pythagorici, easque tribuit Sancto Sixto Pontifici et Martyri, ut testatur Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem. Sanctus etiam Augustinus ex versione Ruffini deceptus, eas sententias esse putavit Sancti Sixti Martyris ; quod retractat, lib. II. retract. cap. 46. Hæ sententiæ exstant in tomo quinto bibliothecæ sanctorum Patrum, editionis secundæ. Vertit præterea in Latinam linguam recognitiones Clementis, ut Gennadius testatur in lib. de Viris illustribus. Sed sicut ipsæ recognitiones falso fortasse tribuuntur Clementi, ita etiam non est incredibile, falso adjunctam illis fuisse præfationem Ruffini, quasi interpretis ; denique Ruffinus merito notatur erroris a Gelasio Papa, cap. Sancta Romana, distinct. 15.

De Palladio Galata. 390.

Palladius Galata, Ruffini æqualis et amicus fuit : ut ex operibus ejus intelligi potest. Scripsit historiam Lausiacam, et Paradisum Heraclidis, in quibus describuntur breviter multorum sanctorum vitæ, quæ non modicam præstare possunt legentibus utilitatem. Ipse tamen reprehenditur, ut Origenista, a S. Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem, et a S. Epiphanio in epistola ad Joannem Hierosolymitanum, quæ exstat in secundo tomo S. Hieronymi. Exstat etiam dialogus quidam sub nomine Palladii in tomo primo operum S. Joannis Chrysostomi, editionis Parisiensis.

De S. Gaudentio Brixiensi. 390.

Sanctus Gaudentius successor Philastrii in Episcopatum Brixiæ, scripsit utilissimos tractatus de variis argumentis, qui exstant in tomo II. bibliothecæ S. Patrum editionis II.

De dedicatione Basilicæ, tractatus	1
De Pascha in Exodum,	7
De lectione Evangelii,	2
De Exodo iterum,	1
De paralytico,	1
In illud, nunc judicium est mundi,	1
De promissione Paracleti,	1
De Machabæis Martyribus,	1
De Villico iniquitatis ad Germinium,	1
In illud, Pater major me est,	1

De Aurelio Prudentio. 390.

Aurelius Prudentius poeta Christianus, floruit sub Theodosio seniore, et filiis ejus : scripsit egregia carmina, psychomachiam, de pugna fidei, et idololatriæ : pudicitiæ, et libidinis ; patientiæ, et iræ : superbiæ, et humilitatis : luxuriæ, et sobrietatis : avaritiæ, et largitatis : concordiæ, et discordiæ.

Scripsit librum Cathemerinon, id est, rerum diurnarum, in quo continentur hymni a Matutino ad Vespertinum.

Scripsit librum Peristephanon, id est, de coronis, in quo sunt laudes multorum Martyrum, S. Laurentii, S. Vincentii, S. Eulaliæ, SS. Petri et Pauli, S. Agnetis, S. Cypriani, S. Cassiani, et aliorum.

Scripsit Apotheosim, id est, de divinitate, ubi sunt hymni in infideles, in Hæreticos Sabellianos, in Judæos ; item de natura animæ, et de resurrectione carnis.

Scripsit Amartingenia, id est, de origine peccatorum ; contra Marcionem.

Scripsit libros duos contra Symmachum.

Addit Gennadius in libro de viris illustribus, scripta quoque fuisse ab eo, enchiridion veteris et novi Testamenti, et de opere sex dierum.

De S. Chromatio Episcopo Aquileiensi. 399.

Sanctus Chromatius Episcopus sanctissimus et doctissimus fuit testimonio S. Hieronymi, præfatione in librum Paralip. Scripsisse fertur commentaria in Matthæum ; sed nunc exstant solum homiliæ de octo beatitudinibus in cap. V. Matthæi, et tractatus in illud, « Ego a te debeo baptizari. » Vide in bibliotheca S. Patrum tomo 2.

Exstat in quarto tomo operum S. Hieronymi epistola sub nomine Chromatii, et Heliodori ad Hieronymum, et responsio Hieronymi, in quibus agitur de nativitate Beatissimæ Virginis : sed utraque falsa et supposititia est : ut etiam falsam esse convincit Card. Baronius epistolam eorumdem Chromatii et Heliodori ad Hieronymum circa martyrologium. Vide præfationem Card. Baronii ad martyrologium Romanum, cap. 5. et 7.

De S. Joanne Chrysostomo. 398.

Sanctus Joannes Chrysostomus, magnus Ecclesiæ Doctor, primum in foro versatus est magna cum laude : deinde monasticam vitam exercuit, atque ab eremo ad clerum vocatus, Presbyter Antiochenus ordinatus est anno 11. Valentiniani junioris et 8. Theodosii senioris : anno deinde 4. Arcadii et Honorii Episcopus Constantinopolitanus factus ; tandem anno 13. eorumdem imperatorum, et episcopatus sui nono, mortem obiit circa annum Domini 407. Opera, quæ exstant, quinque tomis comprehenduntur, in editione Veneta anni Domini 1574 ; hac enim editione utebar dum scriberem.

Tomi primi :

In Genesim homiliæ,	67
In Psalmos homiliæ,	26
In varia loca Testamenti veteris,	52
Ex quibus quinque sunt de visione Isaiæ.	

Secundi tomi :

In Matthæum homiliæ,	89
In eumdem operis imperfecti hom.	54
In varia loca Matthæi hom.	26
In Marcum hom.	14
In varia loca Lucæ hom.	7

Tertii tomi :

In Joannem hom.	78
In varia loca Joannis hom.	6
In Acta Apostolorum hom.	51
Conciones de sacris feriis,	32
In varia loca Pauli hom.	14

In quibus sunt multæ de laudibus Pauli.

Quarti tomi :

Commentaria per homilias in omnes epistolas B. Pauli.

Quinti tomi :

Ad Populum Antiochenum hom.	80
De sacerdotio dialogi, sive libri,	6
De compunctione cordis, lib.	2
De providentia Dei, lib.	6
De orando Deo, lib.	2
De comparatione regis et monachi.	1
Contra vituperatores vitæ monasticæ,	3
Contra Gentiles, sive in Babylam martyrem,	1
De pœnitentia sermones.	12
Adversus Judæos, et Hæreticos serm.	15
Contra Concubinarios serm.	2
Variorum argumentorum serm.	48
Epistolæ.	8
Ad Innocentium Papam.	2
Ad Cyriacum.	1
Ad Episcopos et Presbyteros ob pietatem in carcere inclusos,	1
Ad Theodorum lapsum,	2
Ad Eutropium,	1
Ad Olympiam illustrem feminam,	1
Liturgia, sive Missa S. Jo. Chrysostomi.	

Observatio.

In primo tomo ex homiliis in diversa loca Testamenti veteris est homilia in cap. II. Gen. quæ incipit, « Deus institutor mundi » : quæ homilia non videtur posse esse Chrysostomi, cum in ea inserta sint duo integra capita ex libro Latino de Ecclesiasticis dogmatibus, videlicet tricesimum primum, et tricesimum secundum. Liber autem iste habet auctorem Chrysostomo posteriorem, ut infra dicemus. Aliæ quoque nonnullæ sunt, quæ dubiæ fidei videri possunt. Sed homiliæ in Genesim, et in Psalmos, et de visione Isaiæ, et aliæ plurimæ indubitatæ sunt.

In secundo tomo Commentaria in Matthæum sine dubio Chrysostomi sunt. Sed opus imperfectum non videtur esse Chrysostomi : non enim erat ulla ratio, cur bis de argumento eodem tam multa idem auctor scriberet. Sed cujuscumque sit opus, aut ab

hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum, quamvis alioqui liber sit doctus, et minime spernendus. Hom. 4. dicit « Spiritum sanctum esse ministrum Filii » : et hom. 48. homousianos numerat inter Hæreticos : quæ duæ sententiæ Arianorum sunt. Contra tamen hom. 28. et 44. dicit, Hæreticos esse, qui affirmant, Filium esse minorem patre : quæ superioribus dictis contraria sunt ; proinde credibile est auctorem fuisse Catholicum, sed opus illius ab Arianis esse depravatum.

In eodem tomo sunt commentaria in Marcum, quæ sine dubio Chrysostomi non sunt, sed alicujus simplicis Monachi, qui fratribus suis Evangelium explicabat, ut constat ex hom. 3. 4. 8. 9. et ex aliis. Ex aliis, quæ in eodem tomo habentur, quædam sunt manifeste Chrysost. ut homilia de proditione Judæ ; item de divite, et Lazaro ; hom. 4. et alia de Publicano, et Pharisæo, et alia de cruce, et latrone. Reliqua videntur excerpta partim ex Comm. Chrys. in Mat. partim ex opere imperfecto, partim ex ho. in Marc.

In tertio tomo hom. 87. in Joannem omnium consensu Chrysostomi sunt. Idem omnino sentiendum existimo de hom. 55. in Acta Apostolorum, quamvis ab Erasmo revocentur in dubium. Certe hom. 9. auctor Episcopum se esse dicit, et hom. 11. addit Episcopum se esse Urbis amplissimæ, et hom. 41. dicit, se vixisse tempore Juliani apostatæ, et hom. 52. nomen suum dicit esse Joannem : neque est aliquid alicujus momenti, unde suspicio supposititii operis colligi possit. Adde quod Joannes Damascenus lib. III. de fide, et Œcumenius in catena explanationis in Acta, testimonia petunt ex his homiliis sub nomine S. Jo. Chrysostomi. De sex homiliis interpositis inter Commentaria in Joannem, et in Acta, non est omnino certum, an sint Chrysostomi, excepta tertia, quæ incipit, « Hirundinum pulli. » Reliqua omnia creduntur esse Chrysostomi, ac præsertim homiliæ de laudibus Pauli.

In quarto tomo nihil est, quod jure revocari possit in dubium

In quinto tomo omnia fere sunt certa, et indubitata, exceptis homiliis ad populum Antiochenum, ex quibus viginti et una tantum reperiri dicuntur manuscriptæ in antiquis bibliothecis : et aperte colligitur ex contextu ipsarum, permultas earum esse fragmenta homiliarum Chrysostomi in Matthæum, vel in Joannem, vel in Acta Apostolorum, vel in epistolas Pauli, ut exempli gratia, homilia ad populum Antiochenum vicesima septima decerpta est partim ex hom. 10. partim ex 11. partim ex 12 in Acta, et hom. 60. et 61. ad populum decerptæ sunt ex hom. 83. in Matthæum, et 45. in Joannem. Sed hoc non multum refert, cum sententiæ ejusdem auctoris sint.

De Severiano Gabalensi. 398.

Severianus Episcopus Gabalensis, vir eloquentissimus dicitur fuisse : et Gennadius in lib. de viris illustr. scribit se legisse hujus Severiani expositionem in Epistolam ad Galatas, et alia quædam ; addit etiam, illum sæpe invitari solitum a S. Joanne Chrysostomo, et ab Arcadio Imperatore ad sermones habendos in Ecclesia Constantinopolitana. Exstat hujus Severiani sermo unus in quinto tomo operum S. Joannis Chrysostomi.

SECULUM QUINTUM AB ANNO 400. AD 500.

De S. Augustino. 400.

Sanctus Augustinus Episcopus Hipponensis florebat circa annum Dom. 420. cujus anni ipse meminit in epistola ad Isychium, quæ est octogesima. Obiit autem anno ætatis suæ septuagesimo sexto, teste Possidio in ejus vita, et a natali Domini ann. 433. ut Prosper testatur in Chronico. Ac ut ex catalogo librorum ipsius possit lector intelligere, quæ sint opera ejus indubitata, adscribam locum retractationum, in quo ipseme operis sui mentionem facit, vel adscribam indic. quod significat, eum librum esse in indiculo Possidii, qui diligentissime in indiculum redegit omnes libros S. Augustini. Ubicumque igitur invenietur notatus liber retract. vel indic. is liber sine dubio erit S. Augustini : ubi nihil erit ignotatum, de eo libro dicemus in observatione, quam subjiciemus.

Primi tomi hæc sunt :

Retractationum libri	2	*Lib.* 2. *retr. c.* 67.
Confessionum,	13	2. *retr. cap.* 6.
De grammatica	1	1. *retr. cap.* 6.
De dialectica,	1	1. *retr. cap.* 6.
Categoriæ decem	1	1. *retr. cap.* 6.

Principia rhetorices,	1	1. *retr. cap.* 6.
De musica,	6	1. *retr. cap.* 11.
Contra academicos,	3	1. *retr.* 1.
De ordine,	1	1. *retr.* 1.
De vita beata,	1	2. *retr.* 2.
Soliloquiorum,	2	1. *retr.* 4.
De Magistro,	1	1. *retr.* 12.
De immortalitate animæ,	1	1. *retr.* 5.
De quantitate animæ,	1	1. *retr.* 8.
De libero arbitrio,	3	1. *retr.* 9.
De vera religione	1	1. *retr.* 15.
De moribus Ecclesiæ,	1	1. *retr.* 7.
De moribus Manichæorum,	1	1. *retr.* 7.
De Genesi contra Manichæos,	2	1. *retr.* 10.
Regulæ monasticæ,	3	
De vita Eremitica ad sororem,	1	

Observatio.

In hoc tomo, ut notum est ex libris retractationum, sola duo opera dubia esse possunt, regulæ, et de vita eremitica, quorum non fit mentio in lib. retract. et quidem ex tribus regulis, sola tertia est certa S. Augustini, sed feminis data, non viris : habetur enim in epistola 109. Reliquæ duæ non videntur Augustini. Liber de vita eremitica non potest esse Augustini, cum in eo nominentur SS. Patres Benedictus et Gregorius.

Tomi secundi hæc sunt :

Epistolæ S. Augustini cum iis quæ ad ipsum scribuntur numero 222.

Observatio.

Ex his inveniuntur in retractationibus septem.

Epistolæ duæ ad Januarium, id est, 118 et 119.	2. *retract.*	20
Epistola ad Deo gratias	49 2. *retract.*	31
Epistola ad Honoratum,	110 2. *retract.*	36
Epistola ad Paulinum,	112 2. *retract.*	41
Epistola ad Bonifacium,	50 2. *retract.*	48
Epistola ad Dardanum,	57 2. *retract.*	49

Admonet tamen ipse idem in extremo libro secundo retractationum, a se epistolas, et sermones omnes, non fuisse in retractationibus comprehensos.

Epistolæ sexdecim Augustini ad Bonifacium, et Bonifacii ad Augustinum, quæ interseruntur inter epistolam ad Honoratum de fuga in persecutione, et epistolam ad Ediciam de voto continentiæ, non videntur esse Augustini, sed brevissimæ sunt, et non multum refert cujus tandem sint.

Epistolæ Augustini ad Cyrillum, et Cyrilli ad Augustinum, de obitu et miraculis S. Hieronymi, falsæ sunt, ut notavimus supra in observatione ad tomum nonum S. Hieronymi.

Tomi tertii hæc sunt :

De doctrina Christiana lib.	4	2. *retr.* 4.
Locutionum sacræ Scripturæ,	7	2. *retr.* 54.
De fide, et symbolo,	1	1. *retr.* 17.
Enchiridion,	1	2. *retr.* 63.
De Trinitate,	15	2. *retr.* 15.
De Genesi imperfectus,	1	1. *retr.* 18.
De Genesi ad litteram,	12	2. *retr.* 24.
De mirabilibus sacræ Scripturæ,	3	
De agone Christiano,	1	2. *retr.* 3.
De opere Monachorum,	1	2. *retr.* 21.
De spiritu et littera,	1	2. *retr.* 37.
De divinatione dæmonum	1	2. *retr.* 36.
De Ecclesiasticis dogmatibus,	1	
De spiritu, et anima,	1	
De fide ad Petrum,	1	
Speculum,	1	*Indic.*
Quæstiunculæ de Trinitate,	1	
De benedictionibus Patriarcharum,	1	
Sententiæ.	1	

Observatio.

Liber de mirabilibus sacræ Scripturæ non sine causa non invenitur in retractationibus, neque in indiculo Possidii, quoniam liber est indignus ingenio et gravitate S. Augustini, quem etiam non magnificit, et S. Augustini esse negavit S. Thomas. 3. p. q. 45. art. 3. ad secundum.

Liber de Ecclesiasticis dogmatibus non videtur esse S. Augustini, cum præcipue conflatus sit ex sententiis Concilii Arausicani, et summorum Pontificum Innocentii, Zozimi, Cœlestini ; et maxima ex parte ex operibus S. Augustini : atqui Concilium Arausicanum, et epistolam Cœlestini, scripta esse constat post obitum S. Augustini. Ha-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

drianus Papa in epistola ad Carolum Magnum tomo III. epistolarum summorum Pontificum, citat de reliquiarum veneratione cap. 73. libri de Ecclesiasticis dogmatibus, sub nomine Gennadii Massiliensis Episcopi. Algerus, qui floruit anno Dom. 1100. tribuit eumdem librum Gennadio, scribens de corpore et sanguine Domini lib. I. cap. 22; quod etiam facit Platina in vita Symmachi, ubi dicit, tempore hujus Pontificis scriptum fuisse a Gennadio Massiliensi librum de Ecclesiasticis dogmatibus.

Liber de spiritu et anima non est S. Augustini, sed alicujus multo recentioris, cum cap. 37. citet Boetium, qui fere centum annis fuit Augustino posterior, et cap. 48. multa proferat ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus : est tamen liber doctus, et pius.

Liber de fide ad Petrum, non videtur esse S. Augustini, cum non fiat ejus mentio, nec in retractationibus, nec in indiculo. Tribuitur a multis Sancto Fulgentio, tum quod Petrus quidam Diaconus ejus amicissimus fuerit, et hic liber scribatur ad Petrum Diaconum : tum etiam, quia stylus conformis sit stylo Sancti Fulgentii. Denique Bertramus Presbyter, qui circa annum Dom. 1010. scripsit de corpore, et sanguine Christi, hunc librum sub nomine Sancti Fulgentii citavit et (quod majus est) in Brevario Romano recognito, in festo sanctissimæ Trinitatis assignantur lectiones secundi nocturni ex libro de fide ad Petrum sub nomine S. Fulgentii.

Liber, qui inscribitur, Speculum, quamvis de ejus auctor aliqui dubitaverint, vere S. Augustini est : nam et habetur in indiculo Possidii, et ipse idem Possidius, in vita S. Augustini, tradit hunc librum ab Augustino fuisse conscriptum.

Quæstiunculæ de Trinitate, videntur excerptæ ex libris Augustini de Trinitate, incertum a quo.

Liber de benedictionibus Patriarcharum similiter excerptus videtur ex quæstionibus Hebraicis S. Hieronymi. Uterque parvus libellus est, ut non multum referat, quis eorum sit auctor.

Sententiæ sine dubio Augustini sunt, sed collectæ a Sancto Prospero, nec solum soluta oratione, sed etiam carmine descriptæ, ut in ejus operibus videre licet.

Tomi quarti hæc sunt :

De mendacio, lib.	1	1. *retract.* 27.
Contra mendacium,	1	2. *retract.* 60.
De fide, et operibus,	1	2. *retract.* 38.
Quæstionum in heptateuchum,	7	2. *retract.* 55.
Quæstionum Evangelicarum,	2	2. *retract.* 12.
Quæstionum ex Matthæo,	1	*Indiculum.*
De consensu Evangelistarum,	4	2. *retract.* 16.
Octoginta trium quæstionum.	1	1. *retract.* 26.
Sententiarum viginti et unius,	1	
Quæstionum ad Simplicianum.	2	2. *retract.* 1.
Quæstionum ad Dulcitium, lib.	1	2. *retract.* 65.
Quæstionum sexaginta quinque.		
Quæstionum veteris et novi Testamenti.		
De cura pro mortuis,	1	2. *retract.* 64.
De catechizandis rudibus,	1	2. *retract.* 14.
De Incarnatione Verbi,	2	
De Trinitate et unitate Dei.	1	
De essentia divinitatis,	1	
De fide rerum invisibilium,	1	
De substantia dilectionis,	1	
De continentia,	1	*Indic.*
De patientia,	1	*Indic.*
De bono viduitatis,	1	*Indic.*
De vera et falsa pœnitentia,	1	
De salutaribus documentis,	1	
De amicitia,	1	
De sermone Domini in monte,	2	1. *retract.* 19.
Expositio inchoata in epist. ad Rom.		1. *retract.* 23.
Expositio quarumdam propositionum epistolæ ad Romanos.		1. *retract.* 23.
Expositio epistolæ ad Galatas.		1. *retract.* 24.
Annotationes in Job.		1. *retract.* 13.

Observatio.

Ex libris, quos Augustinus pro suis agnoscit in retractationibus, nemo jure dubitare potest, nisi forte de libro annotationum in Job. Ipse enim Augustinus dicit, eum librum ita se depravatum invenisse vitio librariorum, ut vix audeat illum pro suo agnoscere.

Liber sententiarum viginti unius : et liber

quæstionum sexaginta quinque non videntur esse S. Augustini, non solum quia non habentur in retractationibus, neque in indiculo, sed etiam quia nihil habent grave, et dignum Augustino.

Liber quæstionum veteris et novi Testamenti, non est Augustini, sed alicujus Hæretici : nam quæst. 2. dicit, mundum factum fuisse propter Diaboli præsumptionem ; quæst. 13. dicit, parvulos filios, qui una cum parentibus perierunt in subversione Sodomæ, liberos esse a gehenna : ac per hoc negat iste auctor peccatum originis. Quæst. 21. dicit, mulierem non esse creatam ad imaginem Dei. Quæst. 43. dicit Jephte nullum habere testimonium justitiæ : et tamen exstat clarissime ad Heb. XI. Quæst. 80. dicit, homines non nasci filios Diaboli. Quæst. 109. dicit, Melchisedech esse Spiritum sanctum, et esse Sacerdotem, sed non summum; ut in oblatione, inquit, præsumunt Antistites. Ubi reprehendit canonem Missæ, ubi legitur, « Summus sacerdos tuus Melchisedech. »

Hunc locum videtur notare Sanctus Hieronymus in epistola ad Evagrium, ubi dicit, auctorem cujusdam operis, in quo asseritur, Melchisedech esse Spiritum sanctum, esse imperitum sermone, et scientia. Quæst. 44. dicit, ab excidio Hierusalem usque ad sua tempora fluxisse annos trecentos : ex quo plane colligitur, hunc auctorem esse antiquiorem Augustino : nam anni trecenti ab excidio Hierusalem sunt anni trecenti septuaginta tres a nativitate Domini : eo autem tempore Sanctus Augustinus erat adolescens annorum sexdecim. Obiit enim anno Domini 433. cum esset ætatis annorum 76. ut supra diximus : proinde nascit debuit anno Domini 357. ex quo usque ad 373. sunt anni sexdecim, nec scribere cœpit libros Ecclesiasticos, nisi post baptismum, quem suscepit post annum tricesimum : quis autem credatur fuisse auctor harum quæstionum diximus supra, dum S. Ambrosii libros recenseremus.

Libri de Incarnatione Verbi, de Trinitate, et unitate Dei, de essentia divinitatis, de fide rerum invisibilium, de substantia dilectionis, non videntur esse S. Augustini, cum non inveniantur in retractationibus, nec in indiculo Possidii, qui diligentissimus fuit in libris Magistri sui colligendis, neque etiam sapiunt phrasim et doctrinam S. Augustini.

Libri de continentia, de patientia, et de bono viduitatis, S. Augustini sunt, etiamsi Erasmus reclamet : nam inveniuntur in indiculo Possidii et citantur a venerabili Beda sub nomine S. Augustini in commentario ad cap. VIII. ad Rom. et in cap. I et VII. prioris ad Corinth. in cap. IV. ad Philipp. et in cap. V. prioris ad Timoth. et alibi : denique nulla est probabilis ratio in contrarium.

Liber de vera et falsa pœnitentia non est S. Augustini : nam præterquam quod non fit ejus mentio in retractationibus, nec in indiculo, cap. 17, hic auctor adducit sententiam quamdam Sancti Augustini, et ab ea dissentit.

Liber de salutaribus documentis, et liber de amicitia, non videntur esse S. Augustini, tum quia eorum non facit mentionem Possidius in indiculo, tum quia stylus humilior est, et oratio ipsa magis jejuna, quam soleat S. Augustini : libri tamen pii sunt, et non inutiles.

Tomi quinti sunt :

Libri viginti duo de civitate Dei, quos et Sanctus Augustinus pro suis agnoscit in lib. II. retract. cap. 43. et grande opus appellat, ut revera est, et tempus etiam et occasionem scribendi fuisse dicit, eversionem Urbis Romæ, sub Alarico Rege Gothorum.

Tomi sexti hæc sunt :

De hæresibus ad quod vult Deus lib.	1	*Indic.*
De quinque hæresibus oratio.		*Indic.*
Concio ad catechumenos.		*Indic.*
Oratio adversus Judæos.		*Indic.*
De altercatione Ecclesiæ, et Synagogæ.		
De utilitate credendi, liber	1	1. *retract.* 14.
Contra epistolam fundamenti.	1	2. *retract.* 2.
De duabus animabus contra Manichæos,	1	1. *retract.* 15.
Contra Fortunatum Manichæum,	1	1. *retract.* 16.
Contra Adimentum Manichæum,	1	1. *retract.* 22.
Contra Faustum Manichæum,	33	2. *retract.* 7.
De actis cum Felice Manichæo,	2	2. *retract.* 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Contra Secundinum Manichæum, 1 2. *retract.* 10.
De natura boni contra Manichæos, 1 2. *retract.* 9.
De fide contra Manichæos, 1
Contra adversarium legis, et Prophetarum, 2 2. *retract.* 38.
Contra Priscillianistas, et Origenistas, 1 2. *retract.* 44.
Contra sermonem Arianorum, 1 2. *retract.* 52.
Contra Maximinum Episcopum Arianorum, 3 *Indic.*
Contra Felicianum Arianum, 1 *Indic.*
De bono conjugali contra Jovianum, 1 2. *retract.* 22.
De sancta Virginitate, 1 2. *retract.* 23.
De adulterinis conjugiis ad Pollentium, 2 2. *retract.* 37.
De Stoicis et Epicureis tractatus, 1
De eo quod dictum est, ego sum, qui sum, tract. 1

Observatio.

Liber de hæresibus, S. Augustini est; nam et est in indiculo, et citatur a Sancto Gregorio lib. VI. epist. 179. Sed duæ postremæ hæreses Nestorii et Eutychetis adjectæ sunt ab aliquo alio post obitum S. Augustini: ipse enim recentissimam esse scripsit hæresim Pelagianorum.

Libellus, sive oratio de quinque hæresibus, quicquid Erasmus dicat, vere est Sancti Augustini, cum sit in indiculo, et citetur a Beda in comment. ad cap. primum ad Romanos.

Idem judicium esse debet de concione ad catechumenos, et de oratione adversus Judæos.

Liber de altercatione Ecclesiæ et Synagogæ non videtur Augustini, cum nec sit in retractationibus, nec ab ullo bono auctore testimonium habeat, neque phrasim S. Augustini sapiat.

Liber de fide contra Manichæos, non videtur esse S. Augustini, quia non fit ejus mentio in retractationibus, nec in indiculo Possidii, et quia utitur phrasibus insolitis Augustino, ut est illa cap. 18: « Si Deus incorruptibilis est, vel omnis natura summi boni inviolabilis, immaculabilis, inadibilis, incoinquinabilis, etc. » Alioqui liber est doctus, et hominis in scriptis Manichæi versatissimi.

Libri tres contra Maximinum tametsi non habentur in libris retractationum, tamen sine dubio S. Augustini sunt, quia habentur in indiculo Possidii, et citantur a Beda in cap. VIII. ad Roman. et in sexta Synodo generali Act. IV. ex epistola Agathonis Papæ.

Idem judicium fieri debet de libro contra Felicianum, etiam si Erasmus nolit: nam et habetur in indiculo, et citatur a Beda in primum caput prioris ad Corinth.

Tractatus de Stoicis, et Epicureis, et tractatus in illud, « Ego sum, qui sum, » pulcherrimi sunt, et Augustino dignissimi, et posterior citatur a Beda in primum caput prioris ad Corinthios. Neque mirum est, non haberi hos tractatus in retractationibus, aut in indiculo: debuissent enim hi tractatus collocari in tomo decimo cum sermonibus, non in sexto cum libris: tractatus enim et sermones, sive homilias Sanctus Augustinus testatur, se non recognovisse, fortasse ob nimiam multitudinem, et varietatem. Possidius quoque non singulos tractatus in indicem redegit.

Tomi septimi hæc sunt:

Psalmus contra partem Donati. 1. *retract* 30.
Contra epistolam Parmeniani, lib. 3 2. *retract.* 17.
Contra litteras Petitiani, 3 2. *retract.* 25.
Contra Cresconium grammaticum, 4 2. *retract.* 26.
Contra epistolam Gaudentii, 2 2. *retract.* 59.
De Baptismo contra Donatistas, 7 2. *retract.* 18.
De unico Baptismo contra Petilianum, 1 2. *retract.* 34.
De unitate Ecclesiæ contra Petilianum, 1 *Indic.*
Opus breviculi collationis contra Donatistas, 1
Post collationem contra Donatistas, lib. 1 2. *retract.* 40.
Sermo super gestis cum Emerito. *Indic.*
De gestis cum Emerito Donatista, 1 2. *retract.* 51.
Contra Fulgentium Donatistam, 1
De peccatorum meritis et remissione. 3 2. *retract.* 33.

De natura, et gratia, 1 2. *retract.* 42.
De gratia Christi, et peccato originali contra Pelagianos, 2
De nuptiis et concupiscentia, 2 2. *retract.* 53.
Contra duas epistolas Pelagianorum, 4 2. *retract.* 61.
Contra Julianum Pelagianum, 6 2. *retract.* 66.
De anima, et ejus origine, 4 2. *retract.* 56.
De prædestinatione et gratia, 1
Prosperi et Hilarii espistolæ ad Augustinum.
De prædestinatione sanctorum et bono perseverantiæ, 2
De prædestinatione Dei, 1
De gratia, et libero arbitrio, 1 2. *retract.* 66.
De correptione et gratia, 1 2. *retract.* 67.
Ad articulos sibi falso impositos, 1
Hypognosticon contra Pelagianos, 6
De perfectione justitiæ contra Cœlestium, 1 *Indiculum.*
De gestis Pelagii. 1 2. *retract.* 47.

Observatio.

Omissis libris, quorum mentio fit in retractationibus, vel indiculo, de quibus dubitatio esse non potest, de reliquis dicemus.

Liber contra Fulgentium Donatistam, dialogus est, *in quo primum introducuntur interlocutores, Donatista, et Catholicus, deinde* Fulgentius, et Augustinus, et certe nihil est in hoc dialogo, unde probari possit, auctorem ejus non esse Augustinum, nisi quod ejus mentio non habetur in retractationibus, neque in indiculo. Sed fieri potest, ut in tanto numero librorum, tum ipse Augustinus, tum Possidius unius libelli oblitus fuerit: si hoc non placet, non habeo quod dicam, nisi librum *alicujus esse, qui* Augustinum *in dialogo* loquentem introduxit, quo modo M. Tullius Lælium, et Catonem, Antonium, et Crassum in dialogis loquentes facit.

Liber de prædestinatione, et gratia, non videtur esse Augustini: nam discrepat a phrasi, et a doctrina Augustini: si quidem cap. 16. dicit hic auctor, hominem potuisse juste a Deo damnari, etiamsi non peccasset. Contrarium docet sanctus Augustinus in epist. 105. et 106. et libro secundo de peccatorum meritis, et remiss. cap. 16. et alibi: deinde nulla erat ratio cur hunc librum scriberet, qui tam copiose scripserat de prædestinatione sanctorum. Denique liber hic neque a Possidio, neque a Beda, neque ab alio veteri testimonium habet.

Libellus de prædestinatione Dei non est S. Augustini, cum in extremo libro doceat, prædestinationem esse ex prævisione operum, quam sententiam ubique Sanctus Augustinus oppugnat.

Responsio ad articulos sibi falso impositos, S. Prosperi est, et inter ejus opera habetur.

Libri, qui inscribuntur, Hypognosticon, eruditi sunt, et utiles, et vetusti auctoris, sed phrasim non habent Augustini, neque a Possidio, vel Beda, vel alio vetere citantur sub nomine Augustini.

Liber de perfectione justitiæ, S. Augustini est: non enim solum est in indiculo, sed etiam citatur sub nomine Augustini in libro contra Collatorem extremo a Sancto Prospero, et a venerabili Beda passim.

Liber de gestis contra Pelagium non exstat in tomis S. Augustini, sed cum addidimus, quia nuper inventus, et typis mandatus est.

Tomi octavi hæc sunt:

Tractatus in omnes Psalmos Davidis: cujus operis mentio fit in indiculo Possidii, et omnium consensu Augustini sunt illi tractatus; sed eos partim concionando in populis, partim dictando confecit, ut ipse testatur in præfatione Psalm. 118.

Tomi noni hæc sunt:

In Evangelium S. Joannis tractatus, 124 *Indic.*
In Epistolam primam Joannis tract. 10 *Indic.*
In Apocalypsim Joannis hom. 18
Meditationum liber 1
De diligendo Deo, 1
Soliloquiorum, 1
Manuale, 1
De triplici habitaculo, 1
De scala paradisi, 1
De 12. gradibus abusionum, 1
De contritione cordis, 1
De cognitione veræ vitæ, 1
De speculo, 1
De vita Christiana, 1
De Assumptione B. Mariæ, 1
De disciplina Christiana, 1 *Indic.*

De decem chordis, 1 *Indic.*
De cantico novo, 1
De contemptu mundi, 1
De vanitate sæculi, 1
De obedientia et humilitate, 1
De bono disciplinæ, 1
De visitatione infirmorum, 1
De consolatione mortuorum, 1
De quarta feria, 1
De cataclysmo,
De tempore barbarico.
De sobrietate.
Speculum peccatoris.
De pœnitentiæ medicina.
De utilitate pœnitentiæ.
De conflictu virtutum et vitiorum.
De quatuor virtutibus charitatis.
De laudibus charitatis.
De honestate mulierum.
De pastoribus, et de ovibus, lib. *Indic.*
De symbolo fidei, 1
De convenientia decem præceptorum, et decem plagarum. *Indic.*
De rectitudine Catholicæ conversationis.
De utilitate jejunii.
De Urbis excidio.
De creatione primi hominis.
De arbore scientiæ boni et mali.
De pugna animæ.
De Antichristo.
Psalterium Matri suæ.
Expositio super Magnificat.

Observatio prima.

Ex tot libris indubitati sunt, expositio Evangelii, et Epistolæ S. Joannis : de his enim nulla unquam controversia fuit, et habentur in indiculo Possidii.

Item liber de disciplina Christiana, et liber de decem chordis, et de utilitate pœnitentiæ, et de Pastoribus, et de ovibus, et de convenientia decem præceptorum, et decem plagarum. Hi enim omnes sunt in indiculo Possidii. His accedunt liber de quatuor virtutibus charitatis, quem citat Beda in cap. 13. prioris ad Corinth. et liber de Urbis excidio, quem citat Beda in cap. 10. prioris ad Corinth. et liber de pœnitentiæ medicina, quem etiam citat Beda non raro.

Observatio secunda.

Manifeste supposititii hi sunt, liber de speculo : nam cap. 3. citantur versus Boetii.

Liber de conflictu virtutum et vitiorum, qui tribui solet etiam Sancto Leoni : nam in extremo libro commendatur regula Sancti Benedicti, qui utroque posterior fuit, et stylum habet omnino diversum a stylo SS. Augustini et Leonis.

Liber explicationis Apocalypsis, quoniam exponit caput 21. de statu præsentis Ecclesiæ, quod impudentiæ nimiæ esse dicit Sanctus Augustinus lib. xx. de Civit. Dei cap. 17.

Liber de Antichristo ; nam mentionem facit imperii translati a Græcis ad Francos : quod contigit 400. annis post Augustini tempora.

Observatio tertia.

De reliquis libris nihil certi habemus. Nam nec possumus certo astruere eos esse Augustini, cum diligentissimus collector Possidius eos prætererit, neque inveniamus a Beda citatos, qui ex operibus Augustini Commentaria in epistolas B. Pauli confecit : neque audeamus plerosque horum librorum, negare esse Augustini, cum pii sint, et docti et Augustini ingenio non indigni.

Tomi decimi hæc sunt :

De verbis Domini hom. 64
De verbis Apostoli hom. 35
Liber quinquaginta homiliarum
De tempore hom. 256
De sanctis hom. 51
Ad fratres in Eremo hom. 76
De communi vita clericorum serm. 2
Sermones nuper excusi ex Carthusia Parisiensi.
Sermones novi, id est, recens inventi et excusi, num. 128.

Homiliæ, sive sermones de verbis Domini, et de verbis Apostoli, aut omnes, aut fere omnes S. Augustini sunt : multi enim habentur in indiculo Possidii, et qui non habentur similes sunt aliis, sive gravitatem sententiarum, sive stylum et verbo considerres.

Liber quinquaginta homiliarum totus, aut fere totus Augustini est eadem ratione.

De homiliis de tempore, et de sanctis non eadem certitudo haberi potest : credibile tamen est, magna ex parte Augustini esse.

Sermones ad fratres in Eremo videntur magna ex parte conficti : dicit enim auctor illorum sermonum Augustinum degisse in solitudine cum Monachis, ibique ad eos sermones istos habuisse. At constat ex Possidio in vita S. Augustini, Augustinum post Baptismum Mediolani susceptum rediisse in Patriam, ad propriam domum, et agros, ibique tres annos cum paucis amicis suis in commune vixisse : deinde factum Presbyterum Hipponensem, monasterium habuisse intra ipsam Ecclesiam, ibique cum nonnullis vitam Apostolicam duxisse, non utique in eremo, sed intra urbem. Denique factum Episcopum, cum clericis suis in domo episcopali vitam communem egisse de qua re exstant duo sermones ejus de communi vita clericorum, qui sunt inter sermones ad fratres in eremo, quinquagesimus secundus, et quinquagesimus tertius : qui duo sermones sine judicio collocati inter sermones ad fratres in eremo, arguunt reliquos fictitios esse : inde enim intelligi potest, sanctum Augustinum, monachum quidem fuisse, sed non in solitudine cum Eremitis, sed in civitate et Episcopali domo, cum clericis suis monasticam vitam duxisse. Addo quod inter sermones ad fratres in Eremo multi sunt leves, et fabulosi, ut est sermo vicesimus quartus, in quo narratur, Sanctum Hieronymum Cardinalem fuisse in Ecclesia Sancti Laurentii, et veste muliebri indutum irrisum a Romanis, quæ sunt omnia falsa et conficta. Addo denique quod phrasis horum sermonum, exceptis duobus de communi vita clericorum, qui vere sunt Augustini, est inepta, impropria, lutulenta, ut mirum sit, potuisse ejusmodi sermones Sancto Augustino ab aliquo viro prudente tribui.

Sermones recens excusi, præsertim opera Lovaniensium Doctorum, sunt omnes Augustini : nam vel habentur, in indiculo, vel citantur a Beda, et sunt omnes graves, et docti, et Sancto Augustino (mea saltem opinione) dignissimi.

De Sancto Maximo. 420.

Sanctus Maximus Episcopus Taurinensis, floruit, et obiit sub Honorio, et Theodosio juniore. impp., teste Gennadio in lib. de viris illustribus. Exstant hujus Maximi homiliæ Romæ editæ anno 1654 :

De adventu Domini, 2
In vigilia natalis Domini, 1
In natali Domini, 6
In circumcisione Domini, 1
In Theophania, 8
In quadragesima, 17
In solemnitate Paschali, 5
In litaniis de jejunio, 1
In solemnitate Pentecostes, 3
In natali S. Stephani, 1
In natali S. Agnetis. 1
In nativitate S. Jo. Baptistæ, 3
In natali Apostolorum Petri et Pauli, 5
In natali S. Laurentii, 3
In natali S. Eusebii Vercellensis, 2
In natali S. Cypriani, 2
In feriis S. Michaelis, 1
In natali SS. Martyrum Tauricorum, 1
In communi Martyrum, 1
Item de expositione symboli, 1
De non metuendis carnalibus hostibus, 2
De avaritia vitanda, 2
De eleemosynis largiendis, 2
De hospitalitate, 1
De defectu lunæ, 1
In dictum Isaiæ, Caupones tui miscent aquam vino.

Observatio.

Diximus in Ambrosio multos sermones tribui simul et S. Ambrosio, et S. Maximo, sed credibilius est, S. Maximi esse illos etiam qui tribuuntur Ambrosio. Gennadius enim enumerat fere omnes sermones S. Maximi, et inter illos sunt aliqui, qui tribuuntur Ambrosio : quamvis non magnus sit error, cum uterque auctor sit doctus, antiquus, et sanctus.

De Ausonio Poeta. 420.

Ausonius Poeta, S. Maximi æqualis, scripsit multa prophana ; scripsit etiam epistolas aliquas carmine ad S. Paulinum Nolanum : et exstat sub ejus nomine apud Paulinum precatio matutina ad Deum, et inter opera Ausonii egregium carmen de Resurrectione dominica : ex quo Christianus fuisse intelligitur ; quamvis de diis gentium nonnulla scripserit, more poetarum.

De Synesio Episcopo. 420.

Sanctus Synesius Episcopus Ptolemaidis, vir admirandæ sanctitatis, et doctrinæ : floruit tempore Theodosii junioris ad quem scripsit librum, ut Evagrius testatur lib. 1. hist. cap. 15. Scripsit etiam plurimas et ele-

gantissimas epistolas. Exstant etiam in VIII. tomo bibliothecæ SS. Patrum editionis secundæ Synesii hymni decem, sed anno 1612, prodierunt opera omnia Synesii Parisiis.

De S. Paulino Nolano. 420.

Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus æqualis fuit Ausonii, vel potius aliquanto junior : notus fuit opinione sanctitatis, Ambrosio, Martino, Hieronymo, Augustino, Sulpitio : obiit anno Dom. 431. ex Card. Baronio tomo v. Annalium. Scripsit Epistolas elegantes, et pias.

Ad Sulpitium Severum	14
Ad Delphinum Episcopum,	5
Ad Amandum Episcopum,	6
Ad Victricium,	2
Ad Aprum,	3
Ad Florentium,	1
Ad Alithium Episcopum,	1
Ad incertos de gazophylacio,	1
Ad Desiderium,	1
Ad Macarium,	1
Ad Pammachium,	1
Ad Jovium,	1
Ad militem quemdam,	1
Ad Sebastianum Eremitam,	1
Ad Augustinum,	3
Ad Alpium,	1
Ad Romanianium.	1

Scripsit etiam poemata:

Ad Jovium epistola carmine scripta,	
Ad Ausonium epistolæ quatuor carmine scriptæ,	
Ad Citherium de naufragio,	1
De natali Celsi pueri,	1
De natali S. Felicis Nolani,	10
De reditu Nicetæ in Daciam,	1

Psalmi tres Davidis metrice decantati.

Exstant præterea in bibliotheca S. Patrum tomo VIII. secundæ editionis :

Libri sex de vita S. Martini carmine conscripti.

Observatio.

Tribuitur a *nonnullis* S. Paulino Nolano vita S. Ambrosii, sed vita illa Paulini est, sed non hujus Nolani, ut non solum stylus ipse diversissimus docet, sed etiam quia ille Paulinus S. Ambrosio, ut administer assistebat, etiam tempore mortis ejus : imo ut clericus sub cura Casti Diaconi, amanuensis fungebatur officio, ut ipse indicat in vita B. Ambrosii. Sanctus autem Paulinus nunquam astitit S. Ambrosio, ut minister, sed multo ante mortem ejus presbyter erat, et a B. Ambrosio in numero sacerdotum Ecclesiæ suæ habebatur, ut ipse scribit in epistola ad Alpium.

Porro inter opera S. Paulini fertur etiam carmen Eucharisticum de vita sua : sed non est ejus; ille enim auctor scribit res gestas suas usque ad annum vitæ octogesimum tertium. At S. Paulinus non excessit annum septuagesimum octavum, ut ex Card. Baronio, constat. Denique tribuit Gennadius S. Paulino librum de pœnitentia, et alium de laudibus Martyrum, qui non exstant.

De Severo Sulpitio. 420.

Severus Sulpitius æqualis et amicissimus fuit S. Paulini, ut notum est ex epistolis invicem scriptis.

Scripsit libros duos de sacra historia.

Item vitam S. Martini Episcopi Turonensis.

Item dialogum de conversatione orientalium Monachorum, in quo interlocutores sunt Gallus, et Postumianus; cujus dialogi meminit S. Hieronymus lib. XI. in Ezechielem cap. 36.

Item epistolas multas, quarum meminit Gennadius in libro de viris illustribus, qui etiam Gennadius addit, hunc Severum in senectute a Pelagianis deceptum, agnovisse cito errorem suum, et silentium usque ad mortem tenuisse, ut vitium loquacitatis taciturnitate deleret.

Observatio.

Severi Sulpitii libri de sacra historia, et dialogi de conversatione orientalium cante legendi sunt.

In libro primo de sacra historia dicit, filios Dei, qui filias hominum adamaverunt, fuisse Angelos : quod refellitur a Chrysostomo in cap. VI. Genesis, et ab Augustino lib. XV de Civit. Dei cap. 23. et aliis probatis auctoribus. Dicit, Sacerdotes qui habent possessiones, immemores esse præcepti dominici dati quondam Levitis. At Levitæ possessiones habebant, quin etiam oppida et suburbana eorum, Levit XXV. : quare Hieremias ex genere Sacerdotum agrum vendidisse legitur, Hierem. XXXII., et Barnabas

Levites agrum similiter quem possidebat vendidit, Act. IV. Dicit præterea templum fundatum fuisse anno 588, ab egressu filiorum Israel de Ægypto. At Scriptura III. Reg. VI. notat annos 480.

In dialogo dicit, Ecclesiam auro non strui, sed destrui, reprehendit Episcopos qui libros Origenis damnaverunt. Scribit conjugium ad veniam pertinere, virginitatem ad gloriam, fornicationem ad pœnam. Dicit, ex sententia sancti Martini, Neronem simul cum Antichristo venturum, et Antichristum ex malo spiritu concipiendum. Denique notatur a S. Hieronymo in cap. tricesimum sextum Ezechielis, erroris eorum qui novam Hierusalem auream et gemmatam expectant.

De S. Luciano. 420.

Sanctus Lucianus Presbyter vixit tempore Honorii et Theodosii junioris imp.; scripsit librum de inventione corporum Sancti Stephani, et aliorum, quæ ipse divina revelatione invenit : hic liber exstat apud Lipomanum, et Surium, die tertio Augusti. Eodem tempore scripti sunt libri duo de miraculis S. Stephani ad Evodium Uzalensem Episcopum : sed quia nomen auctoris ignoratur, dicuntur libri Evodii.

De Paulo Orosio. 425.

Paulus Orosius Presbyter Hispanus, S. Augustini discipulus, scripsit ad ipsum S. Augustinum libros septem historiarum ab orbe condito, in quibus potissimum clades Romanorum describit, quas dum idola colerent, acceperunt.

De Sedulio. 430.

Cælius Sedulius presbyter Scotus Theodosio juniore scripsit explanationem in omnes epistolas S. Pauli, ex Origene, Ambrosio, Hieronymo, et Augustino excerptas; ex quo intelligimus errare illos, qui Sedulium floruisse scribunt tempore Constantii filii Constantini Magni : et verius sentire Trithemium, qui ponit Sedulium anno Domini 430.

Scripsit præterea Sedulius libros quinque mirabilibus operibus Dei : et hymnos duos de Christo, quorum alter alphabeticus est, et in Ecclesia canitur in festis Natalis et Epiphaniæ : incipit autem « A solis ortus cardine ».

De S. Cyrillo. 430.

Sanctus Cyrillus Episcopus Alexandrinus vir sanctissimus, et doctissimus, ac præsertim circa mysterium incarnationis Dominicæ a Deo doctus, imperante Theodosio juniore præfuit Concilio Ephesino primo nomine S. Cœlestini Papæ, Nestoriumque hæresiarcham primum scriptis egregiis, deinde etiam auctoritate damnavit; ejus opera in editione Parisiensi anni 1605. duobus tomis comprehenduntur.

Tomi primi :

In Genesim ad litteram, et mystice, explanationum lib.	11
In Leviticum.	16
In Isaiam.	5
In Evangelium Sancti Joannis.	12

Dicta veteris Testamenti anagogice explicata, collecta ex Cyrillo, Maximo, et aliis.

Liber adversus Judæos cum quæstionibus.

Breves anagogæ de iis qui floruerunt ante legem.

Tomi secundi :

Epistolæ Sancti Cyrilli ad diversos, et diversorum ad Sanctum Cyrillum, numero.	39
Homiliæ præsertim de incarnatione,	10
Apologia ad Theodosium imperatorem.	1
Declaratio 12, anathomatismorum	1

Liber apologeticus pro suis anathematismis.

Alius apologeticus liber ad Evoptium pro iisdem capitibus contra Theodoretum.

Expositio symboli Nicæni.

Scholia de incarnatione Unigeniti.

Epistolæ duæ ad Successum Episcopum.

Synodales epistolæ duodecim.

Dogmata Nestorii ex ipsius libris excerpta.

Oratio de exitu animæ, et secundo adventu.

Opus insigne, Thesaurus, inscriptum, libros continens quatuordecim.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dialogorum cum Hermia libri 7
De adoratione in spiritu et veritate libri 17
Contra Julianum apostatam, 10
De recta fide ad Theodosium, et Reginas, 3
Adversus anthropomorphitas, 1
De sacrosancta Trinitate, 1

Præter hos libros exstant commentaria in Prophetas minores Græce et Latine excus. Ingolstadii in-folio.

Observatio prima.

Exstare dicuntur Græce explanationes in totum Pentateuchum, sed latine non exstant, nisi libri undecim in Genesim.

Observatio secunda.

Libri sexdecim in Leviticum Cyrilli sunt, sed Origenis, ut supra diximus in Origene, et manifestum hoc est, tum quia auctor ubique sensum litteralem destruit, tum quia habentur isti ipsi libri inter opera Origenis: ut mirum sit cur impressores in omnibus editionibus ista opera auctori non suo attribuant.

Observatio tertia.

Scripsisse dicitur Cyrillus in alios etiam Prophetas, sed non exstant commentaria ejus nisi in Isaiam.

Observatio quarta.

Scripsit Cyrillus libros duodecim in Joannem, sed quatuor intermedii perierunt. Sed Jodocus Clictoveus ad imitationem Cyrilli addidit quatuor libros intermedios. Itaque Cyrilli non sunt nisi primi quatuor, et quatuor postremi.

Observatio quinta.

Liber adversus Judæos, et breves illæ anagogæ, haud scio an Cyrilli sint. Sed res parvi momenti est, cum sint libelli brevissimi, et leves.

Observatio sexta.

Thesaurus creditur esse imperfectus: multa enim citantur a S. Thoma in opusculo de erroribus Græcorum ex thesauro Cyrilli, quæ in his libris non inveniuntur.

Observatio septima.

Liber de sacrosancta Trinitate non videtur esse Cyrilli, sed alicujus posterioris: auctor enim copiose disputat de duabus naturis in Christo, et de duabus voluntatibus, et operationibus; et reddit rationem, cur non repugnent istis dogmatibus, qui aliquando dixerunt, in Christo esse operationem theandricam, et unam verbi naturam esse incarnatam. Itaque videtur auctor scripsisse post sextam Synodum.

De Theodoreto episcopo Syriæ. 430.

Theodoretus æqualis Sancti Cyrilli, et aliquando etiam adversarius, ut notum est ex Concilio Ephesino. Quamvis autem Nestorio favorit initio controversiæ, tamen postea resipuit: et Nestorium inter hæreticos numeravit in lib. IV. De fabulis hæreticorum, et in Concilio Chalcedonensi admissus inter Catholicos fuit. Opera Theodoreti ex editione Coloniensi anni 1573. duobus tomis comprehensa hæc sunt.

Tomi primi:

De obscuris quæstionibus in Genesim, Exodum Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, et Judices; accesserunt in librum Ruth, in libros Regum, et Paralipomenon.
Commentaria in omnes Psalmos Davidis.
Commentaria in Cantica Canticorum Salomonis.
Commentaria in omnes Prophetas excepto Isaia.
Commentaria in Cantica Mosis, Annæ Habacuc, Isaiæ, Ezechiæ, trium Puerorum, Virginis Mariæ, Zachariæ, et Simeonis.

Tomi secundi:

Commentaria in omnes epistolas B. Pauli.
Historiæ Ecclesiasticæ a Constantino usque ad Theodosium juniorem libri quinque.
Addit Gennadius continuasse historiam usque ad Leonem imperatorem quinque aliis libris adjunctis: sed hi posteriores libri non exstant.
Dialogorum libri tres.
De hæreticis fabulis, libri quatuor; quibus addidit epitomen divinorum decretorum.

Historia sanctorum Patrum, quam religiosum vocat.
De providentia, sermones decem.
De curandis Græcorum affectionibus lib. 12.
Denique Epistola ad Sanctum Leonem Papam, et altera ad Sixtum Presbyterum Romanum: et Oratio de dilectione valde insignis.

Observatio.

Multo plura scripsit Theodoretus, vir plane doctissimus, atque inter alia meminit Gennadius in lib. de viris illustribus librorum Theodoreti fortissimorum contra Eutychem et Dioscorum. Scripsit etiam nonnulla contra Sanctum Cyrillum, quæ exstant inter opera Sancti Cyrilli, sed in quinta Synodo Generali damnata sunt, una cum scriptis Theodori Mopsuesteni, quem idem Theodoretus mirifice laudat libro quinto extremo suæ historiæ; exstat denique in quinta Synodo Act. 5. epistola Theodoreti ad Joannem Antiochenum de obitu Cyrilli: sed ea epistola, non solum falsitatis arguitur, quia constat Joannem Antiochenum obiisse ante Cyrillum, sed etiam indigna est, quæ Theodoreto, aut cuivis Christiano attribuatur.

De Proclo Episcopo Constantinopolitano. 430.

Proclus Episcopus Constantinopolitanus Sancti Cyrilli æqualis, cujus magno cum honore meminit idem Sanctus Cyrillus in expositione symboli Nicæni, et in epist. 31. ad Joannem Antiochenum scripsit epistolam valde celebrem de fide ad Armenos, quæ exstat in bibliotheca sanctorum Patrum, tomo III. et nuper excusa est Græce et Latine, in primo tomo Conciliorum Generalium Romæ typis mandatorum: et fragmentum inde recitatur in quinta Synodo generali, Act. V.; scripsit etiam de traditione divinæ liturgiæ. Vide de Proclo, quæ scribit Socrates lib. VII. cap. 40. 41 et 42.

De Eusebio Emeseno. 430.

Eusebii Emeseni nomine circumferuntur homiliæ in Evangelia totius anni, et rursus homiliæ quinquaginta variorum argumentorum disertissimæ. Eusebii Emeseni cujusdam meminit Sanctus Hieronymus in lib. de script. Eccles. quem dicit scripsisse plurimos libros, et vixisse tempore Constantii imperatoris filii Constantini Magni. Sed illius opera non exstant, ideo non posuimus eum suo loco. Hic autem vel est alius Eusebius Emesenus undecumque hoc nomen acceperit, vel sub nomine supposititio homiliæ istæ sunt editæ, cum verus auctor ignoraretur. Neque videntur homiliæ illæ breves in omnia Evangelia ejusdem esse auctoris cujus sunt quinquaginta homiliæ de variis argumentis: stylus enim valde diversus est.

Illud certum est auctorem quinquaginta homiliarum, fuisse Latinum, et Monachum in Monasterio Lirinensi: nam homilia quinta ad Monachos indicat, se fuisse Abbatem monasterii in Insula constituti. Idem homilia de Sancto Maximo, eam insulam Lirinensem vocat. Videtur etiam ex Abbate Lirinensi factus Episcopus, ut ipse subindicat in homilia de Sancta Blandina. Disputat etiam contra Pelagianos in homilia de feria quinta in cœna Domini: unde manifestum est, eum non esse Eusebium Emesenum, qui floruit sub Constantio. Sunt qui has homilias tribuant Eucherio Episcopo Lugdunensi; nec desunt qui auctorem nominent Cæsarium Arelatensem; vidi unam ex his homiliis prænotatam nomine Fausti Episcopi Rhegiensis: neque est improbabile, esse omnes ejusdem Fausti qui Abbas fuit monasterii Lirinensis, et ex Abbate Episcopus creatus, teste Gennadio in libro de viris illustribus.

Non definio, cujus sint, sed hoc loco placuit auctorem earum homiliarum constituere, quoniam sive sit Eucherius, sive Faustus, sive etiam Cæsarius, ante hoc tempus non vixit.

De Sancto Eucherio Episcopo Lugdunensi. 440.

Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis vixit temporibus Theodosii junioris, et Valentiniani: sub Valentiniano et Martiano imperatoribus obiit circa annum Domini 433. ut scribunt Gennadius, de viris Illustribus, et Ado Viennensis, in Chronico. Existimat tamen Card. Baronius tomo V. Annalium, hos auctores falli, et Eucherium vixisse ultra annum Domini 463. quia invenitur Eucherii nomen in subscriptionibus Episcoporum Concilii Arausicani secundi, et Arelatensis tertii. Sed ego suspicor pervenisse etiam ad annum 499. Nam in vita sancti Cæsarii Episcopi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Arelatensis dicitur Eucherius Episcopus Lugdunensis aliquando iter fecisse cum ipso Cæsario Arelatensi : Cæsarium autem fuisse in vivis tempore Symmachi Papæ, qui sedere cœpit anno 499. aperte constat ex eadem vita Sancti Cæsarii, apud Surium, die 27 Augusti. Itaque vel oportet librum Gennadii esse corruptum, vel fuisse duos Eucherios Lugdunenses Episcopos.

Sed quicquid de hoc sit, scripsit S. Eucherius varia opuscula, quæ Gennadius enumerat, nec satis novi an adhuc exstent. Scripsit etiam teste Claudiano Episcopo Viennensi in lib. de statu animæ, eloquentissimas conciones, quæ fortasse sunt, illæ quæ sub nomine Eusebii Emeseni nunc exstant. Tribuuntur Eucherio libri explanationum in Genesim, et in libros Regum. Sed Eucherii esse non possunt, cum auctor sæpe Sanctum Gregorium citet, et ad finem expositionis libri primi Regum lectorem invitet ad moralia Sancti Gregorii perlegenda : Sanctus autem Gregorius plus centum annis fuerit Eucherio posterior. Fortasse qui hos libros Eucherio tribuerunt, ex eo permoti sunt, quod Gennadios testatur scripsisse Eucherium ad Salonium, et Uranium, de obscuris sanctarum Scripturarum capitulis.

Porro auctor hujus operis in Genesim, et in libros Regum, videtur fuisse Angelus : nam in tertio libro Commentariorum in libros Regum cap. XXII, sic loquitur : « Nostris, inquit, nuper temporibus Sanctus Gregorius Papa Evangelicis roboratus eloquiis Romanam rexit Ecclesiam, et Reverendissimi Patres Augustinus, Paulus, et alii socii eorum jubente illo venerunt in Britanniam, etc. » Atque ab hoc auctore multa iisdem pene verbis descripsit Beda in suis quæstionibus super libros Regum.

De Claudiano Episcopo Viennensi. 440.

Claudianus Mamertus Episcopus Viennensis æqualis Sancti Eucherii : scripsit insigne opus de statu animæ, in quo Eucherii mentionem facit, ut supra diximus. Habetur hoc opus tribus libris comprehensum in bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto.

De Sidonio Apollinari. 440.

Sidonius Apollinaris vir nobilissimus eodem tempore floruit. Fuit autem Episcopus Arvernensis. Scripsit varia opera soluta oratione, et carmine, ut Gennadius refert in libro de viris illustribus. Nunc exstant libri epistolarum ejus ad diversos, et carmina ejusdem simul edita.

De Joanne Cassiano. 440.

Joannes Cassianus Sancti Joannis Chrysostomi olim Diaconus, et postea ad Gallias accedens, ibique sedem figens apud Massiliam Presbyter ordinatus, scripsit Latino idiomate.

De habitu Monachorum, et de canonico orationum et Psalmorum modo lib.	3
Institutionum,	1
De origine, et remedio octo principalium vitiorum,	8
Collationes Patrum	24
De incarnatione Verbi,	7

Et hoc opere expleto ad petitionem Leonis, postea summi Pontificis, finem vivendi fecit Theodosio juniore et Valentiniano regnantibus, ut testatur Gennadius in libro de viris illustribus. Hæc omnia exstant, et utiliter legi possunt, excepta collatione tertia decima, et paucis aliis quæ in editione Romana notata sunt.

De Vincentio Lirinensi. 440.

Vincentius monasterii Lirinensis Presbyter æqualis Cassiani fuit, quippe qui paulo post Concilium Ephesinum se scripsisse testatur, id est, tribus annis post Concilium celebratum. Scripsit opusculum parvum mole, sed virtute maximum, de prophanis vocum novitatibus. Libellus exstat, et usitissime legitur.

De Locrote, et Sozomeno. 440.

Socrates et Sozomenus historiam Ecclesiasticam scripserunt ab eo tempore in quo desinit historia Eusebii Cæsariensis, usque ad tempora Theodosii junioris. Eodem tempore ipsi vixerunt, et quod dolendum est, uterque Novatianis erroribus favisse dignoscitur.

De Sixto tertio. 442.

Sixtus III. Papa sedit Romæ tempore Valentiniani tertii imperatoris. Scripsit insignem epistolam ad Joannem Antiochenum : cujus fragmentum exstat in libro Vincentii Lirinensis. Scripsit etiam alteram ad omnes Orientales, quæ exstat in tomo primo Conciliorum. Exstant etiam duæ in tertia parte Concilii Ephesini, editionis Romæ. Exstat præterea in bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto secundæ editionis sub nomine Sixti tertii Pontificis liber de divitiis : et alter de castitate, et epistola de malis doctoribus : quæ tria volumina falso adscribuntur Sixto Pontifici, cum sint plena erroribus Pelagianorum. Sixtus enim, cum adhuc Presbyter esset, primus damnavit Pelagium, unde est epistola 105. Augustini ad Sixtum : ac deinde magno zelo Pelagianos insecutus est, ut testatur Prosper.

De Isidoro Pelusiota. 442.

Isidorus Pelusiota Monachus doctissimus floruit tempore Theodosii junioris, ad quem exstat ejus epistola apud Card. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Dom. 431. Scripsit epistolas plurimas quas Græce et Latine impressas habes Parisiis opera Billii anno 1585.

De S. Petro Chrysologo. 440.

Sanctus Petrus Chrysologus Episcopus Ravennas a Sixto III Papa Episcopus creatus scripsit homilias 122. breves, sed disertas. Scripsit etiam insignem epistolam ad Eutychetem hæresiarcham, exhortans illum ad obedientiam Sancto Leoni præstandam in materia fidei potissimum. « Hortamur, inquit, te, ut iis, quæ a beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas : quoniam B. Petrus, qui in propria sede vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem ». Habetur alia epistola, inter epistolas quæ præcedunt Chalcedonense Concilium.

De Sancto Leone Papa. 440.

Sanctus Leo primus Papa, jure magnus appellatus, sedit in Apostolica sede tempore Theodosii junioris, Martiani, et Leonis imp. anno Dom. 441, usque ad 461. Scripsit homilias eloquentissimas de præcipuis solemnitatibus Domini, et sanctorum, necnon epistolas ad diversos de rebus gravissimis numero nonaginta octo. Ex quibus illa ad Flavianum, quæ incipit : « Lectis dilectionis tuæ litteris », magna veneratione recepta fuit in Synodo Chalcedonensi Act. IV. ab omnibus, et singulis Patribus : et Gelasius Papa in decreto de libris Doctorum, dicit anathema iis, qui Epistolam hanc Sancti Leonis integram, et usque ad unum iota non recipiunt.

Tribui solet Sancto Leoni liber de conflictu virtutum, et vitiorum. Sed (ut supra in Augustino diximus) S. Leonis is liber esse non potest cum in eo fiat mentio regulæ S. Benedicti.

De Sancto Nilo. 445.

Sanctus Nilus, Constantinopolitanus Monachus, S. Joannis Chrysostomi discipulus, vixit tempore Theodosii junioris, et multa scripsit de institutione Monachorum, ut refert Nicephorus lib. hist. XIV. cap. 53. Nunc exstant in Biblioth. SS. Patrum tomo quinto edit. 2. capita parænetica : item asceticus : item adversus vitia : item de Oratione centum quadraginta octo capita. Exstant etiam separatim liber S. Nili de Christiana philosophia, quo nomine monasticem significat. Citantur etiam epistolæ Nili in septima Synodo, Act. IV. Sed loci quidam ab Hæreticis depravati esse dicuntur.

De Sancto Simeone Stylita. 457.

Sanctus Simeon, cognomento stylita, quia stetit in columna annis 81, floruit tempore S. Leonis imperatoris. Scripsit librum de morte assidue cogitanda, qui exstat in bibliotheca sanctorum Patrum, secundæ editionis tomo secundo. Idem scripsit epistolas pro Concilio Chalcedonensi ; quæ an exstent, ignoro : sed earum meminit Card. Baronius tomo quinto Annalium ad annum Dom. 458. Fuit etiam alius Simeon Stylita junior, tempore Justiniani imp. cujus una epistola recitatur actione quinta Concilii Nicæni secundi : de quo vide Evagrium lib. VI. Historiæ cap. 22.

De Hilario Arelatensi. 458.

Hilarius Arelatensis Episcopus vixit tempore S. Leonis Papæ : ad quem scripsit heroico carmine historiam Geneseos usque ad septimum caput. Scripsisse dicitur præterea epistolam unam ad Sanctum Augustinum, de prædestinatione : cujus occasione Sanctus Augustinus scripsit libros de prædesti-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

natione sanctorum, et de bono perseverantiæ.

Sed ea epistola non videtur esse hujus Hilarii, sed alicujus alterius : nam sanctus Prosper, in epistola quam scripsit cum Hilario ad Sanctum Augustinum de eadem re, dicit, Hilarium Arelatensem tunc fuisse Episcopum : et tamen iste Hilarius, qui scribit ad Augustinum, significat, se tunc fuisse laicum ; quod etiam confirmatur ex primo capite libri de prædest. sanctorum, ubi Augustinus vocat Filios, Prosperum et Hilarium : quod certe non faceret si hic Hilarius Episcopus Arelatensis fuisset.

Scripsit denique vitam S. Honorati decessoris sui et aliqua alia brevia opuscula teste Gennadio in libro de viris illustribus. Sed opera superiora scripsit ante Episcopatum : in Episcopatu enim ob nimiam superbiam reprehenditur a Sancto Leone Papa in epistola ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos : postea tamen resipuit, et multis virtutibus clarus sancto fine quievit.

De Sancto Prospero Aquitano. 460.

Sanctus Prosper Aquitanus Hilarii æqualis, et S. Leonis quondam notarius, Episcopus fuit Rhegiensis in Italia, vel in Gallia. Scio passim existimari Sanctum Prosperum fuisse Episcopum Rhegii in Æmilia provincia Italiæ : sed ego suspicor, Episcopum fuisse Rhegiensem in provincia Provinciæ suffraganeum Archiepiscopi Aquensis : nam video Sanctum Prosperum subscripsisse in Concilio provinciali Vasensi, et Carpentoratensi : quod argumentum est, illum fuisse Episcopum in provincia Galliæ. Præterea Sancto Prospero successit in Episcopatu Faustus Rhegiensis : omnes autem Faustum, Episcopum Gallum faciunt, non Italum, ac dicunt metropolitano Aquensi subjectum, non Ravennatensi, cui subjectus est Episcopus Rhegii in Æmilia. Sed quicquid de hac re sit (nihil enim definio) Sanctus Prosper multa præclare scripsit pro gratia Christi contra Pelagianos, seque S. Augustini discipulum, et defensorem acerrimum demonstravit.

Scripsit libros tres de prædictionibus, et promissionibus Dei.
De vita contemplativa alios tres.
De vocatione gentium duos.
De gratia et libero arbitrio ad Ruffinum.
Responsiones ad capitula objectionum Gallicarum, Vincentianarum, et Genuensium.
De gratia Dei contra Collatorem, 1
Librum sententiarum S. Augustini, 1.
Librum de providentia Dei, 1
Epistolam unam ad Sanctum Augustinum de prædestinatione.
Commentaria in Psalmos a centesimo usque ad centesimum quinquagesimum.
Librum epigrammatum inter quæ est carmen contra ingratos.
Chronicum Eusebii et S. Hieronymi continuavit.

Observatio.

Gennadius in lib. de viris illustribus scribit, epistolam illam celebre S. Leonis ad Flavianum contra Eutychem, existimari a Sancto Prospero fuisse scriptam. At certe si ulla epistola Sancti Leonis est, illa omnino est, sive stylum, sive doctrinam Leonis attendas.

Libri de vocatione gentium tribuuntur etiam sancto Ambrosio, sed vere Prosperi sunt, non Ambrosii, ut supra demonstravimus, cum de libris Ambrosii ageremus.

Liber de providentia Dei, non videtur Prosperi, sed alicujus ex factione Gallorum, qui Semipelagiani sunt appellati. Legat prudens Lector, et judicet.

De Arnobio juniore. 445.

Arnobius, non ille qui scripsit contra gentes, et sub Diocletiano floruit, sed alius junior, qui paulo post Sanctum Leonem Papam vixisse videtur, scripsit librum titulo, Conflictus Catholici cum Serapione de Deo trino, et uno. Item de duabus in Christo substantiis in unitate personæ : item de gratia, et libero arbitrii concordia : qui libri editi sunt Coloniæ anno 1596. Neque est improbabile hujus Arnobii junioris esse Commentarios in Psalmos, qui sub Arnobii nomine circumferuntur : de quibus vide quæ diximus supra in Arnobio.

De Theodoro Presbytero in Raytu. 450.

Theodorus Presbyter in monasterio Raytu, qui a Gennadio dicitur, Theodorus Presbyter Antiochenus, scripsit quindecim libros de incarnatione Domini : nunc exstat Commentarium de incarnatione Domini contra Nestorium et Eutychetem in bibliotheca SS. Patrum tomo I. edit.

De Salviano Episcopo Massiliensi. 460.

Salvianus Presbyter, ac postea Episcopus Massiliensis, æqualis fuit S. Eucherii Lugdunensis, quippe qui filiorum Eucherii (habuit enim Eucherius ex legitimo conjugio ante sacerdotium duos filios, qui ipsi quoque Episcopi fuerunt), Veranii et Salonii Episcoporum, magister fuit, teste Gennadio in lib. de viris illustr.

Porro Salvianus plurima opere scripsisse fertur. Sed nunc exstant solum, quod ego sciam, libri octo de providentia, et judicio Dei, et libri quatuor de Ecclesia, sub nomine Timothei, in quibus ita exaggerat vitia Christianorum, et maxime clericorum sui temporis, ut nimius videri posset, nisi ex vero zelo gloriæ Dei, et salutis animarum, oratio ejus proficisceretur.

De Salonio Episcopo. 470.

Salonius Sancti Eucherii filius, et Salviani discipulus, scripsit in Proverbia, et Ecclesiastem Salomonis, dialogum, qui exstat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo I. editionis secundæ. An Episcopus fuerit Viennensis, nec ne, disputat Card. Baronius tomo VI. Annalium, ad annum Domini 441.

De Fausto Rhegiensi. 480.

Faustus ex Monacho Lirinensi factus Episcopus Rhegiensis in Gallia, vixit medio tempore inter Sanctum Prosperum et Sanctum Fulgentium : scripsit de Spiritu sancto et contra Arianos, et Macedonianos, quæ non exstant : scripsit præterea libros duos de gratia et libero arbitrio, qui exstant, et quos Gennadius in lib. de viris illust. miris laudibus effert : sed Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis omnino rejicit : ut etiam rejiciunt et refellunt Sanctus Fulgentius, Petrus Diaconus, Alcimus Avitus, et alii. Ado Viennensis in Chronico ad annum 492. sic loquitur, « Faustus ex Abbate monasterii Lirinensis apud Regium Galliæ Episcopus factus, Pelagianorum dogma destruere conatus, in errorem labitur : unde qui ejus sensus in hac parte Catholicos prædicant, sicut Gennadius de viris illustribus scribens, omnino errant ». Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quam cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio, virtus, et salus illi a Christo, per Christum, et in Christo sit. Faustus vero iste ita liberum Christianorum arbitrium docere conatur, ut illuminatio, virtus, et salus non a Christo, sed a natura sit : contra hunc scribit Beatissimus Avitus Viennensis Episcopus lucidissima fide, ejus redarguens errorem. Similiter et Joannes vir eruditissimus Antiochenus Presbyter.

Isidorus de viris illustribus, in Fulgentio, dicit, a Fulgentio scriptos libros septem contra Faustum, qui mira calliditate Catholicus videri volebat, cum Pelagianus esset. Auctor quoque vitæ Sancti Fulgentii cap. 28. testatur a Sancto Fulgentio refutatos libros duos Fausti de gratia et libero arbitrio. Et Petrus Diaconus in libro de incarnatione et gratia Christi, cap. ultimo, anathema dicit libris Fausti. Hæc admonere volui propter aliquos qui nostro tempore Faustum Catholicum fuisse contendunt.

De Ænea Gazo. 490.

Æneas Gazus vir doctissimus scripsit dialogum insignem de animæ immortalitate, et corporum resurrectione, quem inscripsit Theophrastum, quia persona principalis in dialogo nominatur Theophrastus : ætatem suam ipse aperit in extremo dialogo, ubi dicit, se vidisse sanctos illos, qui in persecutione Vandalica abscissis linguis optime loquebantur : hoc autem contigisse imperante Zenone, notum est ex Victore Uticensi de persecutione Vandalica.

De Cerrali. 490.

Cerealis Episcopus Africanus, scripsit contra Maximinum Episcopum Arianum, librum de fide, qui exstat in bibliotheca sanctorum Patrum, tomo IV editionis secundæ, cujus meminit Gennadius Massiliensis.

De Sancto Victore Uticensi. 490.

Sanctus Victor Uticensis Episcopus scripsit libros tres de persecutione Vandalica lectu dignissimos ob insignium Martyrum fortitudinem, qui in ea persecutione claruc-

runt. Vixit autem ipse regnante Zenone imperatore, ut ipse testatur lib. III. de persecutione Vandalica, id est, circa annum Domini 490.

De Gennadio Massiliensi. 490.

Gennadius Massiliensis Presbyter, et postea Episcopus, vixit tempore Gelasii Papæ, circa annum Domini 490. nam ad ipsum Gelasium misisse librum suum de fide testatur ipse Gennadius in extremo lib. suo de viris illustribus, quamvis non in omnibus codicibus liber Gennadii inveniatur completus.

Scripsit librum de Ecclesiasticis dogmatibus, qui exstat inter libros Sancti Augustini; et hic esse creditur liber, quem ipse misit ad Gelasium.

Scripsit etiam librum de viris illustribus, in quo suspicionem non parvam reliquit suæ non rectæ fidei. Laudavit enim Cassianum, et Faustum, qui Semipelagiani fuerunt, et Sanctum Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortissime dimicavit.

Scripsit præterea multa alia, quæ ipse commemorat in extremo libro de viris illustribus, sed ea non exstant, aut certe ad manus meas non venerunt.

De Pomerio. 490.

Pomerius, alias Julianus Pomerius, Presbyter, vivebat cum Gennadius catalogum suum scriberet; scripsit autem per modum dialogi libros octo de natura animæ, qui videntur excerpti ex libris octo Gregorii Nysseni, de Philosophia, sive potius Nemesii Philosophi, de anima : scripsit etiam prognosticon tribus libris comprehensum, sed diversum ab eo, quod diu postea scripsit Sanctus Julianus Archiepiscopus Toletanus, vide Card. Baronium in notis martyrologii, die 8. Martii

De S. Gelasio Papa. 492.

Sanctus Gelasius Papa primus sedit in Apostolica Sede ab anno Domini 492. usque ad annum 496. scripsit epistolas aliquot insignes ad imp. et alios, quæ exstant. Scripsit tomum de vinculo anathematis, qui exstat inter epistolas ejus decretales. Scripsit etiam librum contra Pelagianos, qui exstat inter quintam et sextam epistolam, in editione Romana. Scripsit etiam hymnos Ecclesiasticos ad imitationem S. Ambrosii, et libros quinque contra Nestorium, et Eutychetem, teste Anastasio bibliothecario, in vita S. Gelasii. De hoc opere dubitatio existit, an exstet, vel perierit : circumfertur enim liber sub nomine Gelasii Papæ de duabus naturis Christi contra Eutychetem ; sed non videtur hic liber esse Gelasii Papæ, et multo minus esse ille, de quo loquitur Anastasius, et de quo etiam loquitur Gennadius Massiliensis in lib. de viris illustribus. Non esse hunc librum Gelasii Papæ, videtur manifestum, quia in hoc libro citatur tamquam unus ex catholicis et S. Patribus Eusebius Cæsariensis, quem tamen hæreticum Arianum fuisse, et Origenis acerrimum defensorem, notum erat S. Gelasio, qui hac de causa reprobavit opera Eusebii Cæsariensis in decreto de libris apocryphis ; adde quod iste auctor, Græcus fuit, non Latinus, cum inter S. Patres non posuerit Hieronymum, Augustinum Leonem, etc. Non esse hunc eumdem librum eum cujus mentio est apud Anastasium, et Gennadium, ex eo colligitur, quod Anastasius dicit opus illud Gelasii divisum fuisse in quinque libros ; Gennadius autem dicit fuisse grande volumen : hic vero unius est, et non magnus liber. Non desunt, qui hunc librum velint esse Gelasii Cæsariensis, cujus meminit S. Hieronymus in lib. de script. Eccles. in Gelasio. Sed iste Gelasius ad tempora Eutychetis non pervenit, cum post ipsum defunctum fuerit Episcopus Cæsareæ Paulus, et post Paulum Eulogius, antequam hæresis Eutychetis appareret, ut Card. Baronius demonstrat tomo VI. ad annum Christi 496. Præterea ab eo tempore, quo scripsit S. Hieronymus librum de Script. Eccles. quod erat annus 14. Theodosii senioris, usque ad exortam hæresim Eutychetis, qui primum apparuit anno 42. Theodosii junioris, sunt anni paulo minus sexaginta : nam Theodosius senior supervixit tribus annis, quibus si addas annos Arcadii tredecim, et annos Theodosii junioris quadraginta duos, fient anni quinquaginta octo : neque credibile est Gelasium scripsisse contra Eutychetem ipso primo anno, quo errorem suum manifestare cœpit, sed post ejus hæresim jam promulgatam, et fortasse etiam damnatam : quare credibile est, eum, aut non supervixisse usque ad hæresim Eutychetis, aut plane decrepitum fuisse, et ineptum ad scribendum, quando hæresis

Eutychiana confutanda erat : non enim verisimile est, eum fuisse adolescentem, aut puerum, quando a S. Hieronymo inter scriptores Ecclesiasticos numeratus est. Alii sunt, qui librum istum Gennadii esse credunt, eo quod facile fuerit Gelasium pro Gennadio scribere. Sed neque hoc verisimile est, cum ipse Gennadius Catalogum librorum suorum scripserit, et hoc opus inter alios non numeravit. Card. Baronius tomo VI. Annalium ad annum Christi 496. probat satis apertis conjecturis, auctorem libri fuisse Gelasium Cyzicenum, de quo nunc dicemus.

De Gelasio Cyziceno. 495.

Gelasius Cyzicenus vixit tempore Basilici imperatoris, sive potius Tyranni, circa annum Domini 476. ut ipse testatur in præfatione librorum de actis Nicænæ Synodi. Scripsit historiam de actis Nicænæ Synodi tribus libris comprehensam, quæ nuper excusa est in primo tomo Conciliorum generalium Græce et Latine Romæ editorum. Scripsisse etiam creditur librum de duabus naturis Christi contra Eutychetem, qui liber hactenus est editus sub nomine Gelasii Papæ. Conjecturæ, cur auctor hujus libri existimari possit Gelasius iste Cyzicenus, hæ sunt :

Prima, quod non inveniatur alius Gelasius, cui liber ille tribui possit.

Secunda, quia in hoc auctore conveniunt nomen, et tempus, ut notum est.

Tertia, quia in præfatione historiæ de Actis Nicænæ Synodi, scribit, se disputasse cum Eutychianis.

Quarta, quia sicut Gelasius in historia Nicænæ Synodi, lib. II. mirifice laudat Eusebium Cæsariensem, cumque affirmat nunquam adhæsisse Arianis : sic etiam auctor libri de duabus naturis Christi, ponit eumdem Eusebium Cæsariensem inter sanctos, et probatissimos Patres, Athanasium, Nazianzenum, et alium ejusdem gloriæ.

Quinta, quia stylus est omnino similis, simplex, et nudus omnibus ornamentis. Quomodo autem intelligi debeat, quod iste auctor dicit in libris de duabus naturis Christi, remanere in Eucharistia, panis et vini naturam, diximus in controversiis lib. II. de Eucharist. cap. 27.

De Gilda sapiente. 495.

Gilda cognomine sapiens scripsit de excidio Britanniæ, quod incidit in annum Dom. 445. Scripsit etiam reprehensionem acrem in clerum Britanniæ : nam propter peccata populi, et maxime propter peccata cleri iratus Deus immittit flagella hujusmodi. Exstant hæc opera in bibliotheca S. Patrum tomo quinto editionis secundæ.

De Vigilio. 495.

Vigilius scripsit libros quinque valde eruditos contra Nestorium, et Eutychetem, pro defensione espistolæ S. Leonis, et Concilii Chalcedonensis : ex quo conjectura est, eum vixisse tempore Zenonis, et Anastasii impp. quo tempore Concilium Chalcedonense graviter oppugnabatur. Quis fuerit iste Vigilius, non satis constat ; non enim potest esse S. Vigilius Episcopus Tridentinus, et Martyr : ille enim vixit tempore S. Ambrosii : ad quem etiam est epistola ejusdem Ambrosii ; et ex vita ejus quæ exstat apud Lipomanum, et Surium, constat eum martyrio coronatum sub Stilicone Honorii imperatoris Duce. Vide de hac re Card. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Dom. 400. accuratissime disserentem.

De Paschasio Diacono Cardinali. 469.

Paschasius Diaconus Card. Rom. Ecclesiæ, floruit sub Gelasio, Anastasio, et Symmacho Pontificibus Romanis. Vir fuit magnæ sanctitatis, et doctrinæ, et scripsit libros duos de Spiritu sancto, rectissimos, et valde luculentos : sic enim loquitur S. Gregorius lib. IV. dialog. cap. 40. Hi libri exstant in bibliotheca S. Patrum tomo IX. edit. secundæ.

De S. Cæsario Arelatensi. 499.

Sanctus Cæsarius Episcopus Arelatensi vixit tempore Symmachi Papæ, et Theodorici regis Italiæ, ut in ejus vita scribit Cyrianus ejus discipulus, apud Surium die 27. Augusti : itaque falsum esse videtur, quod Concilium Arelatense tertium, cui præfuit S. Cæsarius, celebratum sit æra 461. id est, anno Dom. 423. Sed (ut habet alia lectio) æra 492. id est anno 454. Falsum quoque est, quod Trithemius scripsit, hunc S. Cæsarium floruisse anno 670. et veritas est in medio ; pervenit enim ad annum 499. Ex-

stant ejus homiliæ 46. in bibliotheca S. Patrum tomo II. edit. secundæ.

SECULUM SEXTUM AB ANNO 500. AD 600.

De S. Fulgentio.

Sanctus Fulgentius Carthaginiensis, Episcopus Ruspensis, vir sanctissimus et doctissimus, floruit tempore Thrasymundi Regis, ad quem scripsit libros. Obiit anno Dom. 529. vitæ suæ anno 65. Episcopatus autem 25. ut Card. Baronius annotat tom. VI. Annalium. Scripsit plura teste Isidoro in lib. de viris illustr. quorum multa perierunt. Exstant nunc in editione Antuerpiana anni 1574.

Ad Thrasymundum regem. lib.	3
De incarnatione et gratia Christi,	1
Ad Monimum,	3
Contra objectiones Arianorum,	1
Ad Donatum,	1
Ad Euthymium,	2
Ad Ferrandi quæstiones,	2
De fide ad Petrum, qui inter libros Augustini habetur, de quo diximus supra,	1
Epistolæ septem satis prolixæ instar librorum,	7

Denique sermones decem variorum argumentorum, *qui* soli supersunt, ex multis, quos scripsisse et habuisse dicitur.

De Ennodio. 503.

Ennodius Diaconus, et postea Episcopus Ticinensis, claruit tempore Symmachi et Hormisdæ Pontificum Romanorum, scripsit anno 503. Apologeticum librum pro quarta Synodo sub Symmacho, qui receptus fuit, et probatus a quinta Synodo sub Symmacho: scripsit etiam epistolas, et alia, quæ exstant excusa Parisiis in 8.

De Petro Diacono. 503.

Petrus Diaconus æqualis S. Fulgentii fuit, ut notum est ex libris invicem scriptis. Scripsit enim Petrus hic librum de incarnatione et gratia Christi, ad S. Fulgentium, et alios Episcopos Africanos : qui liber exstat inter opera S. Fulgentii proxime ante librum S. Fulgentii de eodem argumento.

De Ferrando Diacono. 504.

Ferrandus Diaconus Carthaginiensis eodem tempore scripsit parænæticum ad Reginum Comitem, qui exstat in bibliotheca sanctorum Patrum, tomo quinto edit. secundæ. Scripsit etiam epistolas, quæ exstant Romæ impressæ. Scripsit denique breve compendium sacrorum canonum.

De Eugippio Abbate. 510.

Eugippius Abbas Africanus vixit tempore Sancti Fulgentii, et composuit magno labore tomos duos thesaurorum sancti Augustini : in quorum priore posuit quæcumque Sanctus Augustinus scripserat de rebus obscurissimis ut de anima, de charitate, de resurrectione, de judicio, de vita ac morte æterna. In posteriore collocavit, quæ Sanctus Augustinus disputat contra Arianos, Donatistas, Manichæos, et Pelagianos. Editum est hoc opus Basileæ anno Dom. 1542. et Venetiis anno 1543. Sed cavendæ sunt insidiæ hæreticorum, qui hoc opus in lucem miserunt.

De Marcellino Comite. 520.

Marcellinus Comes vixit tempore Justiniani : nam anno Justiniani nono, et salutis 535. finem imposuit chronico suo, quod a Cassiodoro valde laudatur libro de divinis lectionibus cap. 17. exstat hoc chronicum in bibliotheca sanctorum Patrum tomo VII. edit. 2. Scripsit idem Marcellinus, teste Cassiodoro, quatuor libros de Urbe Constantinopolitana et Hierosolymitana : qui libri (ut opinor) non exstant.

De Joanne Maxentio. 520.

Joannes Maxentius Monachus, *et*, ut creditur, presbyter Antiochenus, vixit tempore Hormisdæ Papæ ; contra cujus epistolam scripsit. Ejus opera exstant in quarto tomo bibliothecæ sanctorum Patrum. Scripsit autem Catholicæ fidei professionem, item libellum contra Acephalos, item dialogorum contra Nestorianos libros duos, item responsionem ad epistolam Papæ Hormisdæ, in quibus disputat adversus Nestorianos, et adversus Faustum Regiensem Semipelagianum. Et quidem Faustum, et Pelagianos egregie refellit, ex libris S. Augustini : ad Nestorianos ita refellit scribens contra Possessorem

Episcopum Africanum, ut ad Eutychianos declinare videatur. Certe S. Hormisdas Papa Possessorem defendit. et Joannem cum suis Monachis acriter insectatus est. Vide epistolam Possessoris ad Hormisdam, et responsionem Hormisdæ in ipso opere Joannis Maxentii. Scripsit autem Maxentius contra epistolam Hormisdæ, negans illam esse Hormisdæ, ne videretur contra summum Pontificem scribere ; sed revera negari non potest, epistolam illam vere esse Hormisdæ.

De S. Avito Alcimo. 520.

Avitus Alcimus Episcopus Viennensis vir nobilissimus, sanctissimus, et doctissimus, floruit temporibus Papæ Hormisdæ, a quo Vicarius in Galliis constitutus est, ut constat ex epistola Hormisdæ ad ipsum. Multa scripsit et versu et soluta oratione, ut docent Gregorius Turronicus lib. II. cap. 34. et Ado Viennensis in Chronico. Ego solum legi libros quinque metrice scriptos in Genesim, et Exodum, et librum de castitate, ad sororem plane gravissimos, et venustissimos, qui exstant in bibliotheca sanctorum Patrum edit. 2. tomo VIII.

De Boëtio Severino. 520.

Boëtio Severinus, vir clarissimus, Senator et Consularis, floruit tempore Theodorici Regis Italiæ, nam ad ipsum Boëtium exstat epistola Regis Theodorici, quæ est quadragesima quinta libri primi apud Cassiodorum. Scripsit multa de re philosophica, et theologica ; ac ut philosophica omittam, scripsit librum unum de Trinitate ad Symmachum socerum suum.

Item librum de unitate Trinitatis.

Item librum unum de duabus naturis Christi adversus Eutychetem.

Item librum unum de fide, ad Joannem Diaconum.

Item de consolatione philosophiæ libros quinque, partim carmine, partim prosa, eruditissimos. Obiit capite obtruncato jussu Theodorici Regis anno Dom. 521. Papiæ.

De Dionysio Exiguo. 525.

Dionysius Exiguus natione Scytha, sed moribus Romanus, quemadmodum cognomento Exiguus, sed doctrina et sanctitate maximus, vixit tempore Theodorici regis Italiæ et successorum ejus : nam anno 527. scripsit cyclum Paschalem, et omissa profana numeratione annorum ab imperio Diocletiani impii persecutoris, numerare cœpit ab incarnatione Domini Jesu Christi. Scripsit præterea collectionem sacrorum canonum ex Conciliis Ecclesiæ Catholicæ : quem postea imitati sunt Martinus Bracarensis et Cresconius.

De Victore Episcopo Africano. 530.

Victor Episcopus scripsit de ratione fidei Catholicæ ad Hunericum regem Vandalorum circa annum Dom. 530. Exstat ejus liber bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto editionis secundæ.

De Aurelio Cassiodoro. 530.

Aurelius Cassiodorus senator, et regi Theodorico ab epistolis fuit. Scripsit eo tempore libros XII. epistolarum variarum, et Chronicum breve ab initio mundi usque ad tempora Theodorici regis Italiæ, quæ simul excusa exstant. Scripsit etiam libros XII. de rebus gestis Gothorum, cujus operis compendium fecit Jordanus Episcopus Ravennæ, quod compendium cum libris epistolarum excusum invenitur. Deinde mundo valedicens, et monachus effectus, se rebus divinis addixit, et tum scripsit :

De institutionibus divinarum lectionum lib. duos.

In omnes Psalmos, et in Cantica canticorum Commentaria.

Historiam tripartitam ex libris Socratis, Theodoreti, et Sozomeni, per Epiphanium scholasticum in Latinam linguam conversis, confecit.

Atque hæc omnia exstant. Dicitur præterea a Trithemio Cassiodorus scripsisse in Acta Apostolorum, in epistolas canonicas, et in Apocalypsim commentaria : præterea, summam divinæ Scripturæ, quam memoriale Scripturarum appellavit, quæ an exstent ignoro.

De Leontio Byzantino. 540.

Leontius Bysantinus Monachus paulo ante quintam Synodum floruisse videtur. Scripsit libros tres contra Nestorianos, et Eutychianos : nec non contra fraudes Apollinaristarum ; et contra Severum : quæ omnia ex-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stant apud Henricum Canisium tomo IV. antiquæ lectionis.

De S. Victore Capuano. 540.

Sanctus Victor Capuanus Episcopus vir sanctus, et doctus, tempore Justiani imp. circa annum Dom. 545. scripsit de cyclo Paschali, teste Beda, de sex ætatibus, et de ratione temporum cap. 48. Scripsit etiam præfationem in Harmoniam Tatiani, qua ex quatuor Evangeliis unum fecit. Sed recte Cardin. Baronius monet, tomo secundo Annalium ad annum Christi 174. a Victore Capuano erratum esse in nomine : Ammonii enim, non Tatiani ea Harmonia est. Vide bibliothecam sanctorum Patrum tomo quarto edit. 2.

De S. Justo Orgelitano.

Sanctus Justus Orgelitanus Episcopus vixit tempore Justiniani imperatoris : scripsit in Cantica canticorum. Exstat hoc opus in bibliotheca sanctorum Patrum tomo I. edit. secundæ. Vide de hoc auctore Isidorum de scriptor. Ecclesiast. cap. 14. et de viris illustribus, cap. 34.

De Anastasio Sinaita. 544.

Anastasius Sinaita Episcopus Antiochenus vixit tempore Justiniani Imp. ut scripsit Evagrius lib. 4. hist. c. 39. scripsit multa, sed solum exstat ὁδηγός, id est, dux viæ, contra Acephalos, impresssus Ingolstadii anno 1606. et præterea exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo I. edit. 2. Anagogicarum contemplationum in exameron libri undecim : et de fidei dogmatibus libri quinque.

De Aratore. 545.

Arator Subdiaconus. S. R. E. scripsit duos libros carminum, quibus Acta Apostolorum complexus est : eos libros Vigilio Papæ obtulit, et publice eodem Papa annuente recitavit : exstant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo octavo.

De Junilio. 545.

Junilius Episcopus Africanus, scripsit ad Primasium item Episcopum Africanum libros duos de partibus divinæ legis, qui exstant in bibliotheca sanctorum Patrum editionis 2. tomo I. Tribuitur etiam Junilio commentariolus in prima capita Geneseos : sed ille non est Junilii, sed Bedæ, citat enim sanctum Gregorium, et habetur inter opera Bedæ.

De Primasio. 545.

Primasius Episcopus Africanus [tempore Vigilii Papæ Constantinopoli fuit, cum quinta Synodus generalis celebraretur, ut constat ex collatione secunda ejusdem Synodi : scripsit in epistolas Sancti Pauli, et in Apocalypsim non contemnenda commentaria.

De Martino Dumiensi, alias Bracarensi.

Martinus Dumiensis monasterii Abbas, ac deinde Ecclesiæ Bracarensis Episcopus : vixit circa annum Domini 572., nam præfuit Concilio secundo Bracarensi, quod habitum est Era 610. id est, anno Domini 572. sed videtur anno sequente obiisse, ut notat Card. Baronius : scripsit collectionem Canonum ex Græcis Synodis, qui exstant in tomis Conciliorum post secundam Synodum Bracarensem. Scripsit etiam de quatuor virtutum Cardinalium differentia, et alia, quæ exstant in tomo quinto bibliothecæ sanctorum Patrum edit. II. Meminit hujus Martini S. Isidorus in catalogo script. Eccles. cap. 22, et in lib. de viris illustribus cap. 35.

De Procopio Gazæo. 560.

Procopius Gazæus sophista, cujus meminit Photius in sua bibliotheca, scripsit in octateuchum commentaria magis ex aliorum libris, quam ex proprio ingenio : scripsit etiam in Isaiam, quæ exstant excusa Parisiis Græce et Latine, dicitur etiam scripsisse in libros Regum et Paralipomenon ; quæ opera utrum exstent, ignoro : quando vixerit, non certum est : sed posuimus eum post annum quingentesimum, quia nec Sanctus Hieronymus, nec Gennadius, neque alii qui scripserunt ante annum quingentesimum, hunc auctorem nominaverunt.

De Joanne Climaco. 560.

Joannes Climacus Monachus religiosissimus, scripsit librum tringinta graduum, quibus ascenditur ad perfectionem, unde ipse nomen Climaci invenit. Existimant aliqui recentiores illum floruisse anno Domini 340. sed non putamus id esse verum, tum quia nemo veterum hoc dicit. neque ex ipsius libro colligi potest ; tum quia in eo libro fit mentio sancti Abbatis Sabbæ qui tempore Justiniani imp. obiit anno Domini 562., ut refert Card. Baronius tom. VI. Annalium.

De Sancto Dacio Mediolanensi. 560.

Sanctus Dacius Episcopus Mediolanensis vixit tempore Justini imp., teste sancto Gregorio lib. III. dialog. cap. 4. et scripsit chronicum, in cujus Chronici lib. I. cap. 10. tradit, Canticum, « Te Deum laudamus, » compositum fuisse a Sanctis Ambrosio et Augustino.

De Liberto. 560.

Libertus Archidiaconus Carthaginiensis vixit paulo post quintam Synodum ut ex ejus breviario intelligi potest, scripsit enim breviarium de causa Nestorii et Eutychetis : quod breviarium exstat in II. tomo Conciliorum, et caute legendum est : sive enim ad aliquo depravatum fuerit, sive ipse auctor non bene assecutus sit historiæ veritatem, non pauca in eo videntur esse perperam scripta.

De Venantio Fortunato. 570.

Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis, floruit doctrina et sanctitate tempore Justini junioris ; scripsit vitam Sancti Hilarii, quæ exstat apud Surium die 14. Januarii : scripsit plurima carmina sacra, quæ exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo VIII. edit. 2., sed in Ecclesia celebrantur maxime illa de Sancta Cruce, « Vexilla Regis prodeunt » : et, « Pange lingua gloriosi. »

De Evagrio. 596.

Evagrius Scholasticus scripsit historiam Ecclesiasticam libris sex, ab eo tempore in quo desiit Sozomenus usque ad annum duodecimum Mauritii imperatoris, id est, ad annum Domini 597.

De Sancto Gregorio Turonico. 596.

Gregorius Turonensis Episcopus floruit imperante Mauritio, et Sancto Gregorio Papa aliquanto senior fuit : siquidem anno septimo decimo inchoante Episcopatus Gregorij Turonici, Gregorius Papa creatus est : et anno vicesimo primo completo in episcopatu suo Gregorius Turonicus obiit : cui supervixit Gregorius Papa annis octo. Itaque Gregorius Turonicus obiit anno Dom. 596. Gregorius autem Papa anno Dom. 604. Hæc est Breviario vitæ S. Gregorii Turonici, et ex vita S. Gregorii Papæ decerpta sunt. Scrisit Sanctus Gregorius Turonicus :

De historia Francorum, lib.	10
De gloria Martyrum,	1
De gloria Confessorum,	2
De miraculis sancti Juliani,	1
De miraculis sancti Martini,	4
Epitomen historiæ Francorum,	1

Alia præterea scripsisse dicitur, quæ vel non exstant, vel certe ad notitiam meam non pervenerunt.

SÆCULUM SEPTIMUM AB ANNO 600 AD. 700.

De Sancto Gregorio Papa.

Sanctus Gregorius Papa sanctissimus, et Doctor eximius, et merito magnus appellatus, floruit, Justini, Mauritii, et Phocæ temporibus, et anno quarto decimo pontificatus sui, salutis autem 604. obiit. Scripsit :

Moralis expositionis in Job lib.	38
De cura pastorali partes tres,	1
Dialogorum cum Petro,	4
Expositionis in Cantica,	1
Expositionis in Ezechielem, hom.	22
In Evangelia, homil.	40
Expositionem in septem Psalmos pœnitentiales	
In primum librum Regum, lib.	6
Epistolarum libros duodecim.	
Decreta nonnulla.	
Responsiones ad undecim interrogationes Justini Episcopi Anglorum.	

De Hesycho, sive Hisychio. 601.

Hesychius, sive Hisychius, Episcopus Hierosolymitanus, tempore S. Gregorii vixit : nam ad eum est epistola 40. libri IX. ex registro S. Gregorii. Neque alius invenitur Episcopus Hierosolymæ, qui dicatur Hesychius, vel Hisychius, ante istum, hic igitur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scripsit in Leviticum libros septem, et exponit versionem S. Hieronymi, quod est argumentum, auctorem hunc esse posteriorem Hieronymo, et Augustino, et aliis veteribus: non enim cœpit versio Sancti Hieronymi esse in usu Ecclesiarum, nisi satis diu post obitum S. Hieronymi.

De S. Sophronio Episcopo. 630.

Sanctus Sophronius Episcopus Hierosolymitanus vixit tempore Honorii Papæ primi, et Heraclii imperatoris, et initio hæresis Monothelitarum insignis fuit defensor fidei Catholicæ. Exstat epistola ipsius ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum in sexta Synodo, Act. XI. Exstant etiam in bibliotheca sanctorum Patrum tomo II. edit. 2. duo sermones ejus, unus de natali Domini, alter de Angelis. Obiit anno Dom. 631. ex Card. Baronio, tomo octavo Annalium.

De Joanne Mosco. 630.

Joannes Moschus, alias Eviratus, scripsit ad Sanctum Sophronium Episcopum Hierosolymitanum, librum, qui dicitur Pratum spirituale: atque hinc fortasse factum est, ut ipsi Sophronio, a multis hic liber tribuatur. Exstat in tomo septimo bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ. Et quidem liber est magna ex parte utilis, et citatur in septima Synodo.

De Leontio. 630.

Leontinus tempore Heraclii imperatoris vixit, et sancti Joannis Episcopi cognomento Eleemosynarii æqualis sui, admirabilem vitam litteris mandavit. Obiit Sanctus Joannes anno 11. Heraclii, qui fuit annus Dom. 920. Hic liber testimonium habet a Synodo secunda Nicæna, et vere lectu dignissimus est.

De Jona. 630.

Jonas Anglus, sive Hibernus, tempore ejusdem Heraclii, scripsit vitam et res gestas Sancti Columbani (ut est apud Bedam lib. v. hist. gentis suæ cap. 17.), qui ut novus quidam Apostolus Angliam, Gallias, et Italiam mirifice illustravit. Obiit anno sexto Heraclii, qui erat annus Dom. 615. Exstat hæc vita apud Surium die 21. Novembris.

De Antiocho Monacho. 630.

Antiochus Monachus vixit Heraclii tempore, et centum viginti novem homiliis (quæ exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo edit. 2.) deploravit ingentem illam calamitatem, quæ contigit anno quarto decimo Heraclii, cum Hierusalem a Persis capta, et lignum Sanctæ Crucis in Persidem asportatum fuit: quo tempore Christiani plurimi, ad nonaginta millia, Judæis vilissimo pretio divenditi, atque ab eis crudeliter morte necati dicuntur.

De S. Isidoro Hispalensi. 630.

Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus sedere cœpit in episcopali sede, anno 596, et anno 637. migravit in cœlum, ut ex chronicis Hispaniensibus intelligitur: scripsit multa, quorum catalogum his verbis texit Sanctus Hildefonsus in libro de viris illustribus.

Scripsit, inquit, opera eximia, et non pauca, id est:

Librum de genere officiorum.
Librum proœmiorum.
Librum de ortu, vel obitu Patrum.
Librum commentariorum, quem Synonyma vocitavit.
Libellos duos ad Florentinam contra nequitias Judæorum.
Librum de natura rerum ad Sisebutum Principem.
Librum differentiarum.
Librum Sententiarum.
Librum quæstionum, sive expositionis Sacramentorum.
Librum Etymologiarum, quem non complevit.
Hæc ille. Sed in edit. Parisiensi anni 1601. adduntur isti libri:
De contemptu mundi.
Norma vivendi.
Exhortatio ad pœnitentiam.
Lamentum pœnitentiæ, versu, et alphabetice editum.
Oratio S. Isidori prolixa, ad peccata defienda.
Oratio brevior contra insidias Diaboli.
Epist. ad Massonum de lapsu, et reparatione Sacerdotis.
Chronicum ad initium mundi usque ad annum quintum Suinthiliani regis Gothorum.

Chronicum Gothorum.
Historia Vandalorum.
Historia Suevorum.
De Antiocho rege, et martyrio Macchabæorum.
De scriptoribus Ecclesiasticis.
De nativitate Domini, passione, resurrectione, regno, et judicio ad Florentinam sororem.
De vocatione gentium ad eamdem.
Epistola ad Ludifredum de Episcopi et aliorum Clericorum in Ecclesia officio.
Sententiarum, sive de summo bono libri tres.
Regula Monachorum.
De conflictu vitiorum, et virtutum.
Expositio in Cantica canticorum.
Liber de viris illustribus.
Glossarium ex diversis, quæ nomine Isidori Hispalensis circumferuntur, collectum.

Observatio.

Mirum est, unde tot opera Sancti Isidori prodierint, quorum non meminit Sanctus Hildephonsus, qui eadem ætate vixit, qua Isidorus ipse. Ideo suspicor, hæc non esse ab ipso Sancto Isidoro scripta, sed ab aliquo alio superaddita. Certe liber de contemptu mundi, et norma vivendi, decerpta sunt ex libro Synonymorum. Item chronicum decerptum est ex lib. v. Etymologiarum: aut si non inde decerptum est, non est verisimile Chronicum bis ab Isidoro scriptum.

Porro quæ dicuntur in editione Parisiensi commentaria in Genesim, Exodum, etc. dicuntur a Sancto Hildephonso, quæstiones, sive expositiones Sacramentorum, ex variis auctoribus collectæ: et qui sunt duo libri ad Florentinam sororem; de nativitate Domini, etc. et de vocatione gentium, fortasse sunt duo illi, quorum meminit Sanctus Hildephonsus, contra nequitiam Judæorum. Et qui vocantur in editione Parisiensi de officiis Ecclesiasticis, vocantur a Sancto Ildephonso, de genere officiorum.

De Sancto Eligio Episcopo. 640.

Sanctus Eligius Episcopus Novomiensis, scripsit homilias sexdecim, quæ exstant in bibliotheca sanctorum Patrum, tomo II. edit. 2. Obiit anno 665. teste Sigeberto in chronico: cujus vita scripta satis diligenter libris duobus a Beato Audoeno Rothomagensi præposito, exstat apud Surium die 1. Decemb.

De Berengosio Abbate.

Berengosius Abbas scripsit de inventione Sanctæ Crucis, libros tres: item librum de mysterio ligni Crucis: et sermones variorum argumentorum, quæ omnia exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundæ: quo tempore vixerit, ignoratur.

De Esaia Abbate.

Esaias Abbas, qui quo tempore vixerit, invenire non potui, scripsit hom. 29. valde utiles, præsertim Monachis ad perfectionem tendentibus. Exstant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundæ.

De Sancto Maximo Martyre. 650.

Sanctus Maximus Monachus Constantinopolitanus, et Martyr clarissimus, vixit temporibus Honorii Papæ primi, et Heraclii imperatoris: obiit autem sub Vitaliano Pontifice, et Constante imperatore anno Domini 660. Scripsit plurima, quorum catalogum refert Card. Baronius tomo VIII. annalium: nunc exstat insignis disputatio habita in Africa contra Pyrrhum Monothelitam, quam Græcam et Latinam edidit idem Card. Baronius in appendice ad octavum tomum annalium. Exstat etiam in bibliotheca sanctorum Patrum tomo VI. edit. secundæ liber de Ecclesiastica mystagogia. Exstant denique tomo V. ejusdem bibliothecæ sanctorum Patrum centuriæ S. Maximi de charitate, et de incarnatione Verbi: sed cum translatæ sint e lingua Græca in Latinam opera Hæreticorum, non multum illis tidendum est. Solent enim Hæretici in auctoribus bonis transferendis sæpe ad suos errores sententias auctorum bonorum accommodare.

De Sancto Ildephonso Episcopo Toletano. 658.

Sanctus Ildephonsus Episcopus Toletanus factus est anno Domini 658., tempore Vitaliani Papæ. Obiit anno Dom. 667. Scripsit insigne tractatum de virginitate B. Mariæ, et

alium de perpetua virginitate, et parturitione ejusdem sanctissimæ Deiparæ, et sermones duodecim de eadem : quæ omnia exstant excusa Parisiis apud Nivellium anno 1576. et inveniuntur in bibliotheca sanctorum Patrum tomo IX. edit. secundæ. Exstat item liber de viris illustribus, inter opera S. Isidori Hispalensis, sed cum titulo S. Ildephonsi : alia multa et versu et prosa scripsisse dicitur, quæ non exstant. Ob singularem devotionem erga Beatissimam Dei Matrem, et defensionem perpetuæ virginitatis ejusdem virginum Reginæ, meruit iste felix Antistes non solum in terris intueri eam divino splendore fulgentem, sed etiam ab ea donari præclara veste sacerdotali, et, quod summo gaudio animam ejus replevit, certus reddi de veste gloriæ post beatam mortem consequenda: quæ omnia scribit Julianus ejus Diaconus, prefatione in librum S. Ildephonsi de laudibus intemeratæ Virginis Mariæ.

De Sancto Juliano Episcopo Toletano. 680.

Sanctus Julianus Episcopus Toletanus, creatus est anno Dom. 680., et post annos decem obiit. Scripsit tres libros adversus Judæos, qui exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto edit. II. Scripsit etiam tres libros de futuro sæculo, quos Prognosticon vocavit, qui exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo IX. edit. secunda, admonet autem Card. Baronius in notis ad martyrologium, die octavo martyrii, factum Julianum Episcopum Coletanum non recte vocari Julianum Pomerium: duo enim fuerunt Pomerii, unus Presbyter qui simpliciter dicebatur Pomerius, a Gennadio, sed ab Isidoro, et ab aliis dicitur Julianus Pomerius quem Gennadius Massiliensis in catalogo illustrium virorum scribit, suo tempore vixisse, id est, ante annum Dom. 500., atque hic videtur esse ille, quem tam sæpe citat in suo Prognostico Sanctus Julianus Archiepiscopus Toletanus, de quo nunc agimus. Alter fuit Julianus Pomerius Diaconus, qui præfationem addidit ad libros S. Ildephonsi, de quo paulo ante meminimus. Hic autem Sanctus Julianus vivebat æra 724. id est, anno Dom. 686. Sed cum auctor hujus operis in epistola ad regem Ervigium se Julianum Pomerium nominet, non video, cur non ipse Julianus Pomerius dici possit, ut sint tres Juliani Pomerii, unus Presbyter, alter Diaconus, et tertius Episcopus.

De Anastasio Nicæno.

Anastasius Nicænus Episcopus vixit post Concilium Trullanum, quinisextum a Græcis nuncupatum, quia canones addidit Concilio quinto et sexto generali : citat enim hic auctor canonem secundum Trullanum. Scripsit responsionem ad interrogationes de multis capitibus Ecclesiasticis. Vide bibliothecam sanctorum Patrum, tomo primo edit. secunda, ubi notæ marginales caute legendæ, aut potius delendæ sunt, quia non sanam doctrinam continent.

SÆCULUM OCTAVUM AB ANNO 700. AD 800.

De S. Gregorio Juniore. 714.

Sanctus Gregorius Papa secundus, sive junior, sedere cœpit anno salutis 714., sedit annos 17., obiit anno 731. Scripsit varia opera, sed exstant solum epistolæ doctissimæ, et multæ, quarum una ad Sanctum Germanum exstat in septima Synodo act. 4. duæ Græce et Latine ad imperatorem Leonem Isauricum. Exstant apud Card. Baronium, tomo annalium 9. ad annum 15. Gregorii secundi; apud eumdem exstant epistolæ ad Bonifacium anno undecimo pontificatus; et ad Carolum Martellum ad Turingos, ad Saxones, et ad alios anno decimo Pontificatus.

De S. Anthelmo.

Sanctus Anthelmus, sive Adelmus, Episcopus fuit in Scotia, et anno Dom. 700. sedere cœpit, ex Beda lib. v. hist. cap. 19. Scripsit de virginitate librum, qui exstat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo tertio edit. secunda. Scripsit etiam de Paschatis die contra errores Britonum, teste Beda. Ejus vita habetur apud Surium die 28. Maii.

De S. Marcellino. 717.

Sanctus Marcellinus Presbyter vir Apostolicus socius fuit S. Suiberti, primi Verdensis Episcopi, qui obiit anno Dom. 717. Sed ipse B. Marcellinus diutius multo vixit, et scripsit vitam S. Suiberti, quæ exstat apud Surium die primo Martii, atque ad relationem factam ex hoc libro S. Marcellini, S. Suibertus canonizatus fuit postea a Leone III. Pontifice anno 804.

De S. Germano Constantinopolitano 720.

Sanctus Germanus Episcopus Constantinopolitanus vixit temporibus Gregorii II. Papæ, et Leonis Isaurii imper. Hæretici. Multa propter sacras imagines, et fecit egregie, et pertulit fortiter : tandem nonagenarius in exilio mortuus est anno Domini 730. Scripsit multa. Exstat nunc theoria rerum sacrarum in bibliotheca S. Patrum tomo IV. edit. 2. Exstant etiam epistolæ tres Græce et Latine ejusdem S. Germani in Concilio secundo Nicæno, art. 4. quarum tertia valde prolixa est : quibus epistolis præponitur epistola Gregorii Papæ II. ad Germanum. Exstat apud Henricum Canisium tomo III. antiquæ lectionis fragmentum Græco-Latinum orationis ejusdem de hæresibus.

De Venerabili Beda.

Venerabilis Beda Presbyter Anglus floruit eodem tempore; anno siquidem Dom. 731. in vivis erat, ut ipse testatur in fine quinti libri historiæ Anglicanæ. Scripsit plurima, quæ octo tomis continentur.

Primus tomus.

Continet ea, quæ ad grammaticam, arithmeticam, geometriam, astronomiam, musicam et similes artes pertinent.

Secundus tomus.

Continet librum de natura rerum.
De temporum ratione.
De sex ætatibus mundi.
De temporibus ad intelligendam supputationem.
Temporum sacræ Scripturæ.
Sententias ex Cicerone et Aristotele.
De proverbiis.
De substantiis elementorum.
Philosophiæ libros quatuor.
Librum de Pascha, sive æquinoctio.
Epistolam de devinatione mortis, et vitæ.
Librum de arca Noe.
Librum de linguis gentium.
Denique oracula Sibyllina.

Tertius tomus.

Continet libros quinque historiæ gentis suæ, cum epitome.
Vitas SS. Guthberti, Felicis, Vedasti, Columbani, Attalæ, Patricii, Eustasii, Bertolfi, Arnolphi, Burgondoforæ.
Item carmen de Justini martyrio.
Martyrologium.
De situ Hierusalem.
Interpretationem nominum Hebraicorum et Græcorum in sacris Bibliis occurrentium.
Excerpta, et collectanea.

Quartus tomus.

Continet explanationem in Pentateuchum, et libros Regum.
Item in Samuelem explanationum allegoricarum libros quatuor.
Item explanationem in Esdram, Tobiam, Job, Proverbia, et Cantica.
Denique de tabernaculo, et vasis, ac vestibus ejus libros duos.

Quintus tomus.

Continet commentaria in totum novum Testamentum, exceptis epistolis B. Pauli.

Sextus tomus.

Continet retractationes, et quæstiones in Acta Apostolorum.
Commentaria in omnes epistolas S. Pauli ex Augustini sententiis, et verbis excerpta.

Septimus tomus.

Continet homilias de tempore, et de sanctis plurimis.
Item librum de muliere forti.
Librum de officiis.
Scintillas sive loco communes.
Fragmenta in libros Sapientiales, et Psalterii versus.

Octavus tomus.

Continet lib. de templo Salomonis.
Librum de creatione sive opere sex dierum.
Quæstiones in Octateuchum.
In quatuor libros Regum.
Quæstiones varias.
Commentaria in Psalmos.
Commentaria in Boetii librum de Trinitate.
De verbis Christi.
Meditationis passionis.
De remediis peccatorum.

Observatio prima.

Exstat indiculus operum venerabilis Bedæ ab ipsomet scriptus, ut etiam vita ejusdem usque ad annum ætatis quinquagesimum nonum ab ipso descripta est post historiam gentis suæ. Aliqua opera postea scripsit. Vixit enim longissimam vitam : ideo mirum non est, si aliqua nunc ejus homine circumferantur, quorum ipse in indiculo suo non meminit.

Observatio secunda.

Non desunt, qui a catalogo operum venerabilis Bedæ demere velint commentaria in epistolas S. Pauli ex Augustini verbis contexta. Sed nullus probabilius id fecit, quam Card. Baronius. Siquidem tomo septimo annalium ad annum Christi 562. refert ex Cassiodoro, Petrum quemdam Abbatem Tripolitanum S. Pauli epistolas exemplis opusculorum S. Augustini subnotasse, ut per os alienum sui cordis declararet arcanum, quæ ita locis singulis competenter aptavit, ut hoc magis studio B. Augustini credas esse profectum. Mirum est enim, sic alterum ex altero dilucidasse, ut nulla verborum suorum adjectione permixta, desiderium cordis proprii complesse videatur hæc Cassiodorus. Censet igitur Card. Baronius, commentaria illa in epistolas S. Pauli, non Bedæ esse Presbyteri, sed Petri Tripolitani Abbatis. Quia vero in præfatione Bedæ in epistolas habentur hæc verba : « In Apostolum quæcumque in opusculis S. Augustini exposita inveni, cuncta per ordinem transcribere curavi, » respondet Card. Baronius, eam præfationem non esse Bedæ, sed alicujus, qui ut hæc commentaria Bedæ adscriberet illa verba adjecit.

Ego vero quamvis a viro doctissimo, et optimo, et mihi cum viveret, conjunctissimo valde ægre dissentiam : exponam tamen rationes, quæ me movent, ut existimem ista commentaria vere esse Bedæ, et judicium lectori relinquam.

Primum, præfatio illa non est quidem a Beda his commentariis adjuncta ; sed tamen tota sumpta est a verbis Bedæ, quæ habentur ad finem historiæ, sive epitomes, cui subjecerat ipse Beda vitam suam, et indiculum operum suorum, ut Card. ipse Baron. affirmat, tomo VIII. annal. ad annum Dom. 731., ubi ipsum indiculum, qui in multis codicibus deest, ad verbum ponit et in eo indiculo Bedæ a Card. Baronio repræsentata sunt illa verba : « In Apostolum quæcumque in opusculis S. Augustini exposita inveni, cuncta per ordinem transcribere curavi. » Neque eo loco Card. Baronius dicit ea verba non esse Bedæ, neque credibile est, ullum fuisse tam audacem, et temerarium, ut indiculo Bedæ aliquid addere vellet.

Quod si verba illa sunt Bedæ, ut vere sunt, necesse est omnino, aut Bedam esse mentitum, quod nemo diceret, aut commentaria illa vere esse Bedæ.

Deinde, si ea commentaria non sunt Bedæ, certe sequitur, ut Beda, qui tam diligenter in utriusque Testamenti libris explanandis laboravit, solum Apostolum prætermiserit, cujus epistolæ nobilissima pars Scripturarum esse videntur.

Præterea quid impedit, quominus duo auctores, Petrus Abbas, et Beda Presbyter, diversis temporibus et locis eodem studio in Paulo ex Augustini scriptis explicando desudaverint ? si commentarium Petri Abbatis haberemus, et eo collato cum commentario Bedæ, unum et idem esse videremus : tum plane fatendum esset, non esse hoc opus Bedæ adscribendum : sed cum illud non exstet, licet omnino existimare, diversum ab isto fuisse, id est ex diversis Augustini sententiis verbisque conflatum.

Observatio tertia.

Ex vitis sanctorum, quæ habentur tertio tomo Bedæ, quædam sunt, quæ ab ipso Beda scriptæ non sunt. Certe vita S. Patricii duobus libris comprehensa, non habetur in indiculo, et satis constat scriptam a Probo, ut in extremo libro secundo legitur : sic etiam vitam S. Columbani non Beda, sed Jonas scripsit : et vitam S. Arnulphi Paulus Diaconus scripsit, non Beda ; sic etiam inter collectanea et flores, quæ habentur III. tomo, nihil fere est quod sit Bedæ ingenio dignum. collectaneum de luminaribus Ecclesiæ habetur etiam in quarto tomo S. Hieronymi, et nec Hieronymi, nec Bedæ est. Collectaneum de quatuor generibus ligni in Cruce Domini, nihil solidi habet. Oratiuncula, ubi invocantur tres Jacobi, et altera, ubi invocantur Angelus Uriel, et Rumiel, longe absunt a gravitate, et scientiæ Bedæ ; sed sicut sunt inter opera Bedæ aliqua, quæ non sunt Bedæ, ita desunt commentaria in Isaiam, Hieremiam, Danielem et duodecim Prophetas minores, quæ in indiculo operum Bedæ numerantur ; et periisse videntur.

De S. Jo. Damasceno. 731.

Sanctus Joannes Damascenus, vir magnæ doctrinæ, et sanctitatis, æqualis fuit venerabilis Bedæ, et unus occidentem, alter orientem sapientia sua illustravit : nam tempore Gregorii II. Papæ, et Leonis Isauri imperatoris Hæretici scripsit orationes pro defensione sacrarum imaginum adversus prædictum Leonem, circa annum Dom. 731. sed diu postea supervixit, et multa passus est ab imperatore Constantino Copronymo propter fidem Catholicam. Itaque longe a veritate aberrant, qui Damascenum tempore Theodosii senioris floruisse scribunt. Scripsit multa præclara opera, atque in primis libros quatuor de fide orthodoxa in quibus ipse primus universam theologiam recto ordine comprehendit. Eum imitati sunt Magister sententiarum, et Doctores, qui scholastici dicuntur. Scripsit præterea orationes tres doctissimas et utilissimas adversus impugnatores sacrarum imaginum. Scripsit etiam alia minora opuscula :

De logica librum unum.	
De physica,	5
De introductione dignitatum,	1
De duabus voluntatibus Christi,	1
De centum hæresibus,	1
De trisagio,	1
De altercatione Christiani, et Saraceni,	1
Historiæ Barlaam, et Josaphat,	1
De his qui in fide dormierunt orationem,	1
Parallelorum,	3
De transfiguratione Christi.	
De nativitate B. Virginis, et de ejusdem Assumptione orationes.	
Adversus Manichæos dialogum.	
Vitæ S. Stephani junioris.	

Accesserunt nuper liber ejusdem Damasceni contra Acephalos, sed mutilus ; et alius contra Nestorianos, apud Henricum Canisium tomo quarto antiquæ lectionis.

Observatio.

Ex his operibus nihil in dubium revocari potest nisi historia Barlaam : et Oratio de his qui in fide dormierunt. Historia Barlaam et Josaphat, insignis et utilis est. Sed quia Barlaam, dum instruit discipulum suum Josaphat, jubet eum credere in Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedentem : dubitatio exorta est an hoc opus esse potuerit Joannis Damasceni, qui libro primo de fide Orthodoxa cap. 11. docet Spiritum sanctum non procedere ex Filio sed per Filium. Sed responderi potest, in historia Barlaam particulam illam (ex Filio) videri additam ab aliquo : nam in nova editione per Billium castigata, non habetur (ex Filio). Dubitatio quoque existit, an hæc narratio sit vera historia, an potius conficta ad erudiendos nobiles adolescentes : qualis est vita Cyri apud Xenophontem. Cæterum veram historiam esse constat ex eo, quod Sanctus Joannes Damascenus in fine historiæ invocat Sanctos Barlaam et Josaphat, quorum res gestas scripserat, et Ecclesia Catholica in martyrologio descriptos veneratur, die 27. Novembris, eosdem Sanctos Barlaam et Josaphat.

Oratio de his qui in fide migraverunt, scrupulum injecit, quia narrat Falconillam precibus primæ Martyris, et Trajani animam precibus S. Gregorii Papæ ab inferni suppliciis liberatos, quæ narrationes falsæ esse videntur, et fabulis similiores, quam historiæ. Sed fieri potest, ut Sanctus Joannes Damascenus, quamvis alioqui doctus et prudens, istis narrationibus facile fidem habuerit, neque de veritate earum investiganda sollicitus fuerit.

De S. Bonifacio Moguntino. 740.

Sanctus Bonifacius natione Anglus Archiepiscopus Moguntinus, et Martyr, vixit temporibus Gregorii II. et III. et Zachariæ Pontificum Romanorum et obiit anno 755. Scripsit epistolas multas, quæ excusæ exstant anno 1605. Mogun. De ejus rebus gestis, vide Card. Baronium tomo IX. annalium, ad annum 755.

De Antonio Melissa.

Antonius Melissa Monachus scripsit libros duos communium locorum ad virtutes sequendas, et vitia fugienda, quos ex Patribus collegit : et quoniam ultimus, quem citat, est Sanctus Joannes Damascenus, ideo hoc loco eum posuimus cum veram ætatem ejus ignoraremus. Exstant hi libri in bibliotheca

sanctorum Patrum tomo quinto editionis secundæ. Sed caute legendi sunt, quoniam ab Hæreticis latinitate donati et impressi sunt. Vide observationes Jacobi Billii additas ad epistolas Isodori Pelusiotæ, et Frontonis Ducæi notas, et Judicem expurgatorium Romæ impressum anno 1607.

De Hadriano Papa primo. 772.

Hadrianus Papa primus sedere cœpit in Apostolica Sede, anno Dom. 772. Constantino Copronymo Hæretico imperante, et sedit annis viginti quatuor minus uno mense cum dimidio, usque ad annum Dom. 795. Vir fuit sanctus, et eruditus, et præter epistolas multas, quæ exstant partim in septima Synodo act. II. partim inter epistolas pontificias : scripsit insignem librum pro defensione septimæ Synodi, et responsionem ad librum missum a Carolo rege Francorum ex Concilio Francfordiensi : qui liber Hadriani Papæ exstat post septimum Synodum, in nova editione Romana Conciliorum generalium, Græce et Latine impressorum anno 1612. Sciendum est autem librum, cui respondet Hadrianus, non fuisse compositum a Carolo rege (ut Hæretici Iconoclastæ falso affirmant), sed esse librum continentem objectiones adversus septimam Synodum, quam Patres Concilii Francfordiensi arbitrati sunt celebratam fuisse sine consensu Rom. Pontificis, et erroribus multis scatere, atque ideo non recipiendam, sed rejiciendam videri.

De Paulo Diacono. 774.

Paulus Diaconus Aquileiensis, a secretis erat Desiderii regis Longobardorum, quando per Carolum regem Francorum Desiderius captus, et regnum ipsius eversum fuit anno Domini 774., qui deinde Monachus Cassinensis factus pie et religiose vitam duxit, ut scribit Leo Hostiensis in Chronico Cassinensi lib. II. cap. 17. Scripsit libros sex de gestis Longobardorum. Scripsisse etiam dicitur libros historiæ Romanæ, quos videmus adjunctæ historiæ Eutropii post imperium Joviani, ubi desit Eutropius. Sed viri docti negant eos libros esse Pauli Diaconi. Scripsit præterea in regulam S. Benedicti, ut Leo Hostiensis testatur loco notato ; et ea dicitur haberi manuscripta in monasterio Cassinensi. Scripsit hymnos sacros quorum unus qui incipit « Ut queant laxis resonare fibris » ab Ecclesia frequentatur in natali S. Jo. Baptistæ. Denique scripsit homilias, et alia, quæ non exstant nisi manuscripta in bibliothecis.

De Paulino Aquileiensi. 780.

Paulinus Aquileiensis Episcopus, vir doctus et pius, tempore Caroli Magni scripsit contra Felicem et Elipandum, librum de sancta Trinitate, qui exstat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto edit. II., obiit anno Dom. 802. clarus miraculis.

De Eginartho. 780.

Eginarthus Cancellarius Caroli Magni scripsit ejus vitam satis diligenter. Scripsit etiam historiam Francorum. Scripsit quoque de translatione Sanctorum Petri et Marcellini, prosa et versu, quæ exstant apud Surium tomo VII. die 2. Junii. Tandem Monachus, et Abbas relicto sæculo factus est.

De Albino Alcuino. 780.

Albinus Alcuinus Anglus Bedæ discipulus, in Gallias a Carolo rege Francorum evocatus multa scripsit : e quibus exstant :

Liber de divinis officiis.
Epistola ad Carolum regem.
Et altera ad Odvinum Presbyterum.

Hæc, inquam, exstant in codice impresso Coloniæ anno 1568. cum aliis septem auctoribus de eodem argumento.

Exstant præterea in bibliotheca SS. Patrum tom III. edit. 2.

Quæstionum in Genesim lib.	1
In Ecclesiastem,	1
De virtutibus et vitiis,	2
Quæstionum de Trinitate,	1
De Trinitate, libri	3
De ratione animæ epistola ad Eulalium.	
De divinis officiis,	1

Exstant etiam epistolæ ejusdem Albini num. 67. apud Henricum Canisium tomo 1. antiquæ lectionis.

SECULUM NONUM AB ANNO 800. AD 900.

De S. Nicephoro 811.

Sanctus Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus vixit tempore Leonis tertii Pontificis, ad quem anno Dom. 811. misit epistolam valde prolixam, quæ exstat tomo 9. annalium Card. Baronii. Scripsit etiam chronicum, quod exstat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo edit. secundæ. Scripsit quoque quatuor opuscula contra Iconomachos, quæ exstant apud Henricum Canisium tomo quarto antiquæ lectionis. Tandem vir sanctissimus propter fidei confessionem in exilio obiit anno Domini 828.

De Usuardo. 812.

Usuardus Monachus natione Gallus, Alcuini discipulus, jussu Caroli Magni martyrologium scripsit satis accuratum et celebre, quo multæ Ecclesiæ usæ sunt.

De S. Ludgero. 812.

Sanctus Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis, vixit tempore Caroli Magni imp. de quo illud insigne narratur quod cum ab imperatore vocatus semel atque iterum ire recusasset, quod in Dei laudibus recitandis occupatus esset : et ipse apud imperatorem se purgavit, quod majori homini obsequium tunc præstaret, et a pio et religioso imperatore mirifice inde laudatus fuit. Scripsit post Sanctum Marcellinum, epistolam egregiam de vita et miraculis Sancti Suiberti, quæ exstat apud Surium die primo Martii. Dicitur etiam scripsisse res gestas Sancti Bonifacii Episcopi et Martyris, atque Apostoli Germaniæ.

De Aponio. 812.

Aponius vir doctus scripsit in Cantica canticum Salomonis ; quod opus exstat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. edit. 2. et floruisse dicitur anno Dom. 812.

De Paschasio Rutherto. 820.

Paschasius Rutbertus Abbas Corbeiensis floruit tempore Paschalis Papæ primi, et Ludovici imperatoris. Scripsit insignem librum de corpore, et sanguine Domini, qui exstat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo VI. edit. 2. Scripsit etiam vitam S. Adhelardi Abbatis, quæ est apud Surium die 2. Januarii. Scripsit quoque in Threnos Hieremiæ librum, qui editus est Coloniæ anno 1532. Hic auctor primus fuit, qui serio et copiose scripsit de veritate corporis, et sanguinis Domini, in Eucharistia, contra Bertramum Presbyterum, qui fuit ex primis qui eam in dubium revocarunt.

De Claudio Scoto. 820.

Claudius Scotus vivit tempore Ludovici Pii imperatoris, cujus expeditionis in Northmanos meminit præfatione commentarii in Matthæum. Contigit autem ea expeditio anno secundo Ludovici, qui fuit annus Dom. 815. Fertur hic auctor scripsisse non solum in Matthæum, sed etiam in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, lib. Judicum, et Ruth : an autem hæc exstent, ignorare me fateor.

De Jona Aurelianensi. 820.

Jonas Episcopus Aurelianensis eodem imperante Ludovico scripsit libros tres, qui exstant, adversus Claudium Episcopum Taurinensem pro defensione sacrarum imaginum, et signi Sanctæ Crucis, et peregrinationum ad loca sancta. Sed hic tamen auctor caute legendus est, quoniam laborat eodem errore, quo Abogardus, et reliqui ejus ætatis Galli, qui negabant sacris imaginibus ullum deberi cultum religiosum : de qua re, vide Anastasium bibliothecarium præfatione in septimam Synodum.

De S. Theodoro Studite. 820.

Sanctus Theodorus Studites, vir admirandus, et potens opere, et sermone, dimicavit pro cultu sacrarum imaginum, et contra hæresim defendentem adulterinum posse fieri licitum ex dispensatione, usque ad exilia, carceres, et supplicia varia. Tandem miraculis clarius migravit in cœlum anno Dom. 826. Vide Card. Baronium tomo IX. annalium, ubi fusissime de hoc sancto viro agit, et sæpe fragmenta epistolarum ejus adducit. Scripsit epistolas plurimas, supra 200. utilissimas, et doctissimas : quarum duæ exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo III. edit. secundæ. Exstat etiam apud Surium die 16. Decembris vita S. Platonis Abbatis, prædecessoris S. Theodori, ab ipso Sancto Theodoro Studite conscripta. Exstant quoque Catecheses, et homiliæ ejusdem Theodori Studitæ editæ Antwerpiæ interpretibus partim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Andrea Scotto Societatibus Jesu Presbytero, Partim Joanne Divincio Canonico. Exstat denique oratio de Cruce, ejusdem auctoris, in secundo tomo de Cruce, Jacobi Gretseri societatis Jesu.

De Halitcario. 830.

Halitcarius Episcopus Cameracensis, vixit tempore Ludovici Pii, et scripsit libros quinque de vitiis, et virtutibus, et ordine pœnitentium, qui exstant apud Henricum Canisium tomo quinto, parte secunda antiquæ lectionis.

De Amalario Fortunato. 830.

Amalarius Fortunatus Episcopus Trevirensis floruit tempore Gregorii VI. summi Pontificis, et Ludovici Pii imperatoris, cui libros suos dedicavit. Scripsit libros quatuor de Ecclesiasticis officiis. Item scripsit librum de ordine antiphonarii, in quo se missum fuisse testatur a Ludovico imperatore ad Gregorium IV. Pontificem.

De Nithardo. 830.

Nithardus Caroli Magni filius ex Bertha scripsit libros quatuor de dissidio filiorum Ludovici Pii imp. incipit autem ab excessu Caroli Magni, id est, ab anno Dom. 814. et perducit historiam ad annum Dom. 843. Exstat hæc historia cum chronico Frodoardi, et annalibus Francorum, excusa Parisiis anno Domini 1588.

De Freculpho Lexoviensi. 830.

Freculphus Monachus S. Benedicti, et postea Episcopus Lexoviensis, eodem Ludovico imperatore floruit. Scripsit enim ad Juditham Ludovici uxorem libros quinque historiæ universalis ab orbe condito usque ad annum Domini sexcentesimum : sed ipse vixit usque ad annum Dom. 840. in eo autem falsus fuisse invenitur, quod scripsit tomo secundo libro quarto capit. 20. « Gothos ab Arianis ad fidem Christianam fuisse conversos. » Scribit enim Theodoretus lib. IV. hist. cap. ultimo, Gothos ab Ulphila Episcopo fidem Catholicam fuisse edoctos; sed postea tum ipsum Ulphilam, tum ejus populos ab Arianis fuisse seductos, neque enim Hæretici Paganos convertere, sed Catholicos pervertere norunt, ut scribit Tertullianus in lib. de præscriptionibus.

De Hilduino Abbate. 830.

Hilduinus Abbas S Dionysii petente imperatore Ludovico Pio scripsit Areopagitica, quæ exstant cum epistolis præfixis Ludovici ad Hilduinum, et Hilduini ad imperatorem. Reperiuntur hæc apud Surium tomo quinto die 9. Octobris. Sed quod in extremo libro Hilduinus scribit, passum esse Sanctum Dionysium anno Domitiani 16. ingruente, et Christi 96. non caret dubitatione : nam S. Ignatius martyrium fecit anno 14. Trajani, teste Sancto Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis, in Ignatio. Sanctus autem Dionysius martyrio consummatus est post Sanctum Ignatium, quem nominatim citat in libro de divinis nominibus cap. 4., citat autem ex epistola ad Romanos quam scripsit Sanctus Ignatius illo ipso anno, quo mortuus est. Notum vero est Trajanum post Domitiani, et successoris ejus Nervæ obitum, imperasse. Itaque necesse esse videtur, ut Sanctus Dionysius non sub Domitiano, sed sub Trajano, vel Hadriano, et non anno Christi 96. sed post annum Domini centesimum obierit.

De Theodulpho Aurelianensi Episcopo. 835.

Theodulphus Abbas Floriacensis, ac deinde Episcopus Aurelianensis, tempore Ludovici Pii, imperatoris floruit laude ingenii. Scripsit enim multa, et soluta oratione, et versibus ; illius est carmen, quod canitur in die Palmarum, « Gloria, laus, et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor. » Multa alia carmina ipsius exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo VIII. edit. 2. exstat etiam apud Card. Baronium tomo IX. annalium, ad annum Dom. 835. epistola lectu digna ad clerum suum Aurelianensem.

De Rabano Episcopo Moguntino. 835.

Rabanus Maurus, natione Germanus, Abbas Fuldensis fuit tempore Ludovici Pii imp. Episcopus Moguntinus creatus est tempore Lotharii ejus filii. Obiit anno Dom. 856. tempore Ludovici junioris imp. Vir fuit æque doctus, ac pius. Scripsit multa et versu, et prosa. Edidit commentaria in universam sacram Scripturam utriusque Testamenti,

Edit etiam libros tres de institutione Clericorum, qui exstant cum aliis multis similis argumenti impressi Coloniæ anno 1568. Sed præter cætera scripsit in flore ætatis suæ opus admirandum soluta et ligata oratione de laudibus sanctæ Crucis ad Gregorium quartum Papam anno Dom. 843. quod mortuo Gregorio misit ad Sergium successorem. Exstat hoc opus editum studio Jacobi Wimphelingii anno 1501. inter opera Rabani, et commentarium in Threnos, quod ab aliquibus tribuitur Sancto Hieronymo ; sed vere Rabani est, non Hieronymi, ut diximus supra.

De Strabo Fuldensi. 840.

Strabus Fuldensis Monachus Rabani discipulus, ex Magistri operibus decerpens explicationes Scripturarum composuit glossam, quæ dicitur ordinaria, in Scriptura utriusque Testamenti, quæ postea aucta et ornata a posterioribus fuit.

De Sancto Eulogio Martyre. 850.

Sanctus Eulogius Martyr, et Episcopus electus Toletanæ Ecclesiæ, vixit tempore persecutionis Saracenorum, qui Cordubæ sedem regni constituerant : incidit autem ea persecutio, in qua multi gloriosi Martyres compendio mortis sacræ vitam æternam possederunt, in annos Dom. 850. et 851. Sanctus igitur Eulogius occasione persecutionis scripsit memoriale Martyrum, ubi tribus libris descripsit martyria Cordubensium Martyrum.

Item Apologeticum pro Martyribus.

Item epistolas aliquot.

Item documentum sive exhortationem ad martyrium ; sive documentum martiriale.

Exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo nono edit. 2. Tandem et ipse Sanctus Eulogius Martyr occubuit anno Dom. 859. Vide annales Card. Baronii ad hunc annum.

De Haymone Halberstatensi. 850.

Haymo Episcopus Halberstatensis, discipulus quondam Alcuini, plurima dicitur scripsisse in omnes Scripturæ divinæ libros. Sed utrum omnia exstent, ignoro.

Exstant commentaria in Psalmos.

Item in epistolas omnes Sancti Pauli.

Item in Prophetas omnes, et Cantica canticorum.

Item in Apocalypsim.

Item in Evangelia homiliarum tomi duo.

Item de Christianarum rerum memoria libri tres.

Obiit anno Dom. 853. ex annalibus Card. Baronii ad hunc annum. Alii aliter scribunt.

De Angelomo. 850.

Angelomus Monachus Gallus floruit Lotharii imperatoris tempore. Scripsit in quatuor libros Regum, et in Cantica canticorum, ex antiquis Patribus explicationem.

Porro præfatione in Cantica laudat imperatorem Lotharium Angelomus, quod imperio dimisso Monachus factus sit, et in monasterio obierit.

De Christiano Druthmaro.

Christianus Druthmarus Monachus Gallus scripsit commentaria in Evangelium Sancti Matthæi ; quod exstat impressum anno 1530.

De Walafrido Strabone. 840.

Walafridus Strabo a vitio oculorum sic appellatus, Abbas Augiæ, scripsit de rebus Ecclesiasticis librum satis utilem, qui exstat cum aliis similibus libris una impressis Coloniæ anno Dom. 1568. et postea Romæ anno 1590. Scripsit etiam duos libros de Sanctis Gallo Abbate, et Othmaro, qui exstant apud Surium die 16. Octobris et die 16. Novembris. Claruit tempore Ludovici Pii imp. et obiisse dicitur anno Dom. 849.

De Simeone Metaphraste. 850.

Simeon Metaphrastes floruit paulo ante annum Dom. 859., Siquidem Psellus, qui hoc anno vivebat orationem habuisse dicitur in funere Simeonis Metaphrastæ. Vide annales Card. Baronii ad hunc annum. Scripsit vitas sanctorum per singulos menses, quas habemus latinitate donatas in tomis Aloysii Lipomani, et ex parte apud Surium, de vitis sanctorum. Illud autem est observandum a Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis sanctorum multis additis ex proprio ingenio non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt : addit enim Metaphrastes multa colloquia sive dialogos Martyrum cum persecu-

toribus, aliquas etiam conversiones astantium Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur : denique miracula plurima, et maxima in eversione templorum, et idolorum, et in occisione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Illud quoque observandum est, aliquas historias sanctorum videri additas a posterioribus, et non omnes esse auctoris ejusdem. Inveniuntur enim vitæ aliquæ Sanctorum, qui post obitum Metaphrastæ vixerunt, quod etiam notavit Card. Baronius tom. x. annalium, ad annum 839.

De Nicolao Papa primo. 858.

Nicolaus Papa primus sedere cœpit in Apostolica Sede anno Dom. 858., et sedit annos decem. Vir fuit, sanctitate et doctrina, necnon animi magni constantia et virtute præditus. Scripsit epistolas plurimas, quæ exstant seorsim ab aliis pontificis epistolis in uno magno volumine simul excusæ, quarum præcipua est ad Michaelem imperatorem quam ab ipso Pontifice compositam fuisse testatur Anastasius bibliothecarius in ejus vita : et quoniam stylus est idem omnium epistolarum, colligi potest omnium esse Nicolaum, non autem qui ei a secretis erant.

De Photio Episcopo Constantinopolitano. 858.

Photius Episcopus Constantinopolitanus tempore Nicolai Pontificis, et Michaelis imp. vixit : fuit homo magnæ eruditionis, sed majoris nequitiæ. Scripsit Nomocanonem, qui exstat cum interpretatione Balsamonis. Scripsit etiam ingentem bibliothecam, quæ etiam exstat. Vide de ejus ambitione, ob quam corrupit epistolas Pontificum Romanorum, et fluxit Synodos, tomum III. Conciliorum generalium Græce et Latine Romæ excusorum, necnon Card. Baronii tomum x. annalium.

De Niceta David. 858.

Nicetas cognomento David vixit iisdem temporibus, quibus Photius, et fideliter scripsit vitam S. Ignatii Episcopi Constantinopolitani, et simul etiam descripsit vitia Photii, qui Sanctum Ignatium mire vexavit. Exstat liber Nicetæ de vita Sancti Ignatii Græce et Latine Romæ excusus cum octava Synodo generali.

De Anastasio bibliothecario et Abbate. 858.

Anastasius bibliothecarius, et Abbas Romanus, vir doctus Græce et Latine, hoc ipso tempore floruit. Scripsit vitas Pontificum Romanorum a Sancto Petro usque ad Nicolaum primum : vertit in Latinam linguam Concilium septimum generale : et scripsit Latine Concilium generale octavum, cui ipse interfuit. Vertit etiam in Latinum sermonem vitam Sancti Joannis Eleemosynarii.

De Hincmaro Rhemensi. 860.

Hincmarus Episcopus Rhemensis, vixit tempore Nicolai primi Pontificis, ad quem scripsit, et a quo sæpe litteras accepit : et tandem obiit anno Dom. 882. cum sedisset annis triginta septem, teste Frodoardo in historia Rhemensi. Scripsit epistolam paræneticam ad Carolum Crassum : item aliam de bono regimine ad filios Ludovici junioris imperatoris, quarum meminit Frodoardus in ejus vita. Exstant epistolæ Hincmari excusæ Moguntiæ anno 1602. Scripsit quoque vitam S. Remigii Episcopi Rhemensis, quæ exstat apud Surium die 15. Januarii : scripsit etiam encomium ejusdem Sancti Remigii, quod exstat apud Surium die prima Octobris.

De Joanne Diacono. 873.

Joannes Diaconus vixit tempore Joannis Papæ octavi, cui vitam S. Gregorii dedicavit, id est, anno Dom. 873. hoc enim anno sedere cœpit Joannes octavus. Scripsit hic auctor libros quatuor de vita Sancti Gregorii Papæ primi, in quibus res ejus gestas accuratissime prosecutus est.

De Aimoino. 873.

Aimoinus Monachus Gallus multa scripsisse dicitur, sed nunc exstat sola (quod ego sciam) historia de rebus gestis Francorum, quam perducit a primo rege Pharamundo usque ad obitum Ludovici Pii Caroli Magni filii, et annum Dom. 840.

Reliqua usque ad annum Dom. 1165. ab aliquo alio addita esse videntur.

Ipse enim initio sui operis quatuor tantum libros se scripturum promisit, et quatuor libris comprehendit res gestas Francorum, usque ad ultima tempora Ludovici Pii. Sed in fine libri quarti dicit, se quintum librum

scribere velle de primordiis Ludovici, quæ nimis breviter perstrinxerat in libro quarto : et in ipso libro quinto libro cap. 17. dicit, se interpretatum Ludovico, quid portenderet diros cometes, qui tunc apparuerat : et duobus sequentibus capitibus declarat finem vitæ Ludovici, quæ contigit Christi anno 840. atque ibi existimamus esse finem historiæ Aimoini neque ullo modo credibile est eum supervixisse ad annum Domini millesimum centesimum sexagesimum quintum ad quem extenditur ejus historia : quare quod dicitur cap. 28. contra octavam Synodum, et venerationem imaginum, non videtur Aimoino tribuendum, sed illi, qui historiam ejus continuavit.

De Adone Viennensi. 879.

Ado Episcopus Viennensis scripsit de sex ætatibus mundi chronicum ab orbe condito usque ad annum Dom. 879.

De Remigio Autisiodorensi. 890.

Remigius Autisiodorensis Monachus floruisse videtur circa annum Dom. 890. Siquidem Fulco Rhemensis Episcopus qui hoc tempore sedebat, ad scholas instaurandas Magistrum Remigium Autisiodorensem Rhemos advocavit, ut Frodoardus in ejus vita testatur. Fuit hic Remigius vir ea ætate doctissimus habitus. Scripsit commentaria in Psalmos, ex Patribus Ambrosio et Augustino multa decerpens.

Scripsit etiam in duodecim Prophetas.

Scripsit quoque de divinis officiis : quæ omnia opera impressa exstant.

Scripsit etiam expositionem Missæ, quæ habetur in bibliotheca sanctorum Patrum in tomo VI. edit. 2. Scripsit de aliis multis argumentis, quæ utrum exstent, ignoro.

De Ambrosio Ansberto. 890.

Ambrosius Ansbertus Monachus eodem tempore floruit. Scripsit autem in Apocalypsim, in Psalmos et in Cantica Canticorum. Dicitur etiam scripsisse de cupiditate, et epistolas ad diversos.

SÆCULUM DECIMUM AB ANNO 900. AD 1000.

De Leone sapiente imperatore.

Leo VII. hujus nominis imperator non sine causa sapiens dictus est; scripsit enim epistolam insignem ad regem Saracenorum de Christianæ fidei veritate, et Saracenorum impietate, ubi disertis verbis Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere affirmat. Exstat hæc epistola in bibliotheca ss. Patrum tomo III. Exstant etiam in Bibliotheca vaticana orationes hujus imperatoris plurimæ, quarum titulos, et unam integram refert Card. Baronius tomo 10. annalium, ad annum Dom. 911. quo anno hic imperator obiit. Exstant hæ orationes Latine redditæ, et Ingolstadii excusæ. Refert quoque Jacobus Gretserus societatis Jesu Theologus tomo II. de Cruce, orationem alteram ejusdem Leonis de Cruce. Itaque illustravit hic imperator hoc sæculum, alioqui valde obscurum.

De Idiota. 902.

Idiota quidam nomine suo suppresso circa hoc tempus scripsit egregium librum contemplationum et alterum de humilitate : qui exstant in bibliotheca ss. Patrum tomo v. edit. 2.

De Marco Eremita. 906.

Marcus Eremita hoc eodem tempore vixit quippe qui Leonem VI. imperatorem sanctum curavit, et decennium vitæ illi prædixit, ut Zonaras, et alii Græci historici narrant. Scripsit multa opuscula theologica, quæ exstant in bibliotheca ss. Patrum tomo v. edit. 2. Sed ea opera ita scatent erroribus contra fidem, ut suspicari cogar, vel ab Hæreticis nostri temporis conficta, aut valde depravata fuisse neque alia de causa hujus auctoris memini, nisi ut admonerem cautissime esse legendum : non enim desunt alii auctores pii, qui sine tali periculo legi possunt.

De Rheginone Abbate. 908.

Rhegino Abbas Prumiensis ad initium anni nongentesimi florusse videtur. Scripsit enim libros duos chronicorum ab adventu Domini usque ad annum ejusdem Domini nongentesimum octavum, ut ipse testatur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA CENTRAL BANL

initio sui operis. Sed continuavit aliquis alius anonymus usque ad annum 967. Dicitur etiam scripsisse de disciplina Christiana libros duos quos exstare non puto.

De Radulpho Flaviacensi. 910.

Radulphus Flaviacensis Monachus floruit anno Dom. 940. Scripsit in Leviticum libros viginti, qui excusi sunt Coloniæ anno 1536. Scripsit etiam in epistolas S. Pauli libros 14. pro numero epistolarum.

De Luitprando Ticinensi. 946.

Luitprandus Ticinensis Diaconus, et postea Cremonensis Episcopus, vir fuit multæ auctoritatis ob eruditionem et prudentiam. Functus est legatione nomine Berengarii imperatoris ad Constantinum imp. Græcum, anno Dom. 946., cujus legationis ipse meminit, et exstat historia hujus legationis apud Henricum Canisium tomo VI. antiquæ lectionis. Scripsit historiarum libros sex de rebus gestis in Europa suo tempore. Sed Card. Baronius tomo 10. annalium ad annum Dom. 963. non sine causa suspicatur, a capite sexto sexti libri historiam non esse Luitprandi, sed alicujus anonymi auctoris : id enim videmus etiam in Rheginone, et in aliis ut ab aliquo alio continuentur, et extendantur.

De Witichindo. 946.

Witichindus Monachus Corbiensis ejusdem temporis auctor scripsit libros tres de rebus Saxonicis, ubi res gestas Othonum imperatorum describit.

De Stephano Eduensi. 950.

Stephanus Eduensis Episcopus scripsit de Sacramento altaris, et iis, quæ ad illud pertinent. Quod opus exstat in tomo sexto bibliothecæ ss. Patrum edit. secundæ; dicitur autem floruisse anno Dom. 950.

De Frodoardo. 960.

Frodoardus Abbas Rhemensis scripsit chronicum Rhemense ab anno Dom. nongentesimo decimo nono usque ad annum nongentesimum sexagesimum sextum : quo anno creditur obiisse. Exstat cum aliis scriptoribus rerum Gallicanarum ex bibliotheca P. Pithœi Parisiis anno 1588. excusum.

De Mose Barcepha.

Moses Barcepha Episcopus Syrus, qui dicitur floruisse hoc sæculo, scripsit librum de paradiso in partes duas divisum, qui exstat in primo tomo bibliothecæ S. Patrum, edit. secundæ. Est autem hic liber caute legendus, quia non pauca affirmat contra veram theologiam.

SÆCULUM UNDECIMUM AB ANNO 1000. AD 1100.

De S. Fulberto Carnotensi.

Sanctus Fulbertus Episcopus Carnotensis ad initium hujus sæculi floruit. Obiit autem anno 1028. teste Card. Baronio in annalibus tomo 11. ad hunc annum.

Scripsit epistolas multas ad diversos, quarum plerasque ponit idem Card. tomo undecimo. Exstat etiam una ad Adeodatum de Sacramento Eucharistiæ adjuncto libro Paschasii Corbeiensis. Scripsit quoque librum de officiorum Ecclesiasticorum varietate, quem invenies in bibliotheca ss. Patrum tomo III. edit. secundæ. Exstant epistolæ, et alia opera ejus impressa Parisiis in octavo anno 1580.

De S. Burchardo Vormaciensi. 1010.

Sanctus Burchardus Episcopus Vormaciensis eodem tempore vixit, et anno 1026. obiit sancte, et religiose, ut semper vixerat. Scripsit viginti libros decretorum ex Conciliis, et Pontificibus ac ss. Patribus.

De Bernone. 1014.

Berno Abbas Augiensis vixit eodem tempore. Ipse enim in libro de rebus ad Missæ officium pertinentibus cap. 2. testatur, se interfuisse coronationi Henrici primi imp. quæ facta est a Benedicto Papa octavo anno 1014. Fuit vir doctus, et scripsit vitam S. Udalrici Episcopi Augustani, quæ exstat apud Surium die 4. Julii. Scripsit etiam de officio Missæ, sive de rebus ad Missam pertinentibus : qui liber exstat cum cæteris ejusdem argumenti impressus Coloniæ, et Romæ : et tomo VI. bibliothecæ ss. Patrum, edit. 2. ex quo etiam libro cap. 2. discimus,

hoc primum tempore cœpisse in Romana Ecclesia cani ad Missam symbolum fidei. Scripsit multas epistolas, et alia opera, quæ utrum exstent, ignoro.

De Glabro Rodulpho. 1040.

Glaber Rudolphus Monachus scripsit historias sui temporis libris quinque, satis accurate, ubi tamen dicit Conradum regem obiisse anno Dom. 1041. videtur scriptorum vitio positum esse, pro anno ante quadragesimo, id est, tricesimo nono; ut habent alii historici, ac præsertim Hermannus Contractus. Floruit circa annum Dom. 1040.

De Hermanno Contracto. 1050.

Hermannus Contractus, a membrorum fere omnium contractione, et debilitate, sic appellatus, filius fuit nobilissimi cujusdam Comitis, et Monachus Augiensis valde pius. Scripsit de sex ætatibus mundi chronicum, quod perduxit usque ad annum Domini 1052. Sed continuatum fuit a Bertoldo usque ad annum 1065. Scripsisse præterea dicitur Antiphonam, « Salve Regina, » et « Alma Redemptoris : » necnon sequentiam illam de Spiritu sancto, « Veni sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium, etc. » Scripsit alia permulta ad musicam, et astrolabium spectantia. Vide chronicum Hermanni auctius apud Henricum Canisium tomo I. antiquæ lectionis.

De S. Leone nono Pontifice. 1050.

Sanctus Leo Papa IX. ex Episcopo Tullensi sedere cœpit in Sede anno Domini 1049. et sedit annis sex. Itaque obiit anno Domini 1054. Scripsit insignem epistolam ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum contra Græcorum errores; quam Sigebertus librum appellat. Scripsit etiam et ad Constantinum Monomachum imperatorem Græcorum, et ad alios multos, quæ exstant inter epistolas summorum Pontificum, et seorsim apud Card. Baronium tomo undecimo Annalium : et præter epistolas exstant etiam homiliæ, et sermones impressi Lovanii anno Domini 1565. et Coloniæ anno 1568.

De Humberto Cardinali. 1054.

Humbertus Cardinalis Episcopus Sylvæ candidæ a Leone nono Pontifice Romam ex Tullensi Ecclesia adductus fuit, et ab eo legatus Constantinopolim missus, cum esset Græce et Latine doctissimus. Scripsit librum contra Græcos de azymo, in forma dialogi. Scripsit et alterum de jejunio Sabbati contra Nicetam pectoratum Græcum : qui duo libri exstant apud Card. Baronium in appendice undecimi tomi annalium; sed apud Henricum Canisium tomo sexto antiquæ lectionis, habentur etiam epistolæ Archiepiscopi Constantinopolitani, et Nicetæ, quibus Humbertus respondit. Scriptus est autem prior liber (ut initio dicitur), anno Domini 1054.

De Petro Damiani. 1060.

Petrus Damiani, sic a parentis sui Damiani nomine vocatus, nobilis Ravennas, Monachus fuit Ord. Sancti Benedicti, ac deinde S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis. Vixit temporibus Gregorii sexti, et successorum ejus usque ad Gregorium septimum, ad quos omnes epistolas dedit. Vir fuit valde sanctus, et devotus, et præcipue pœnitentiæ, et austeræ vitæ amator ardentissimus : erat tamen interim non infacetus, nec ludendi, ac false carpendi artem ignorabat, ut intelligi potest ex versibus ad Alexandrum Papam, et ad Hildebrandum Cardinalem, quos refert Cardin. Baronius in Annalibus ad annum Domini 1061. Obiit in apostolica Legatione anno Domini 1072. Scripsit epistolas plurimas, et sermones permultos; quæ duo opera typis nuper mandavit Romæ Dominus Constantinus Cajetanus Ord. Sancti Benedicti Monachus. Scripsit etiam opuscula non pauca, quæ inveniuntur in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo tertio, editionis secundæ. Scripsit etiam vitam Sancti Odilonis Abbatis, quæ exstat apud Surium primo die Januarii : et vitam Sancti Romualdi apud eumdem Surium die 19. Junii, et sancti Dominici Loricati apud eumdem Surium die 14. Octobris.

Observatio prima.

In epistola ad Dominicum cap. 5. narrantur quædam leviora de animabus defunctorum, quæ die Dominico refrigerium pœnarum videntur habere; et in figura aviculârum de lacu averni exire cernuntur : quæ fabulis fortasse similiora sunt, quam historiæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Observatio secunda.

In epistola ad Firminum Episcopum liberius quam par esset, videtur auctor reprehendere Sanctum Leonem nonum propter bellum contra Northmannos : neque enim illicitum est Summo Pontifici armis defendere civitates in quas dominium temporale habet : de qua re vide tomum undecimum Card. Baronii ad annum Domini 1053.

Observatio tertia.

In epistola ad Henricum Ravennæ Episcopum, quæ epistola dicitur etiam liber gratissimus, cap. 4. scribit auctor, Christum anno 30. in baptismo factum esse Sacerdotem : et cap. 16. scribit Liberium Papam fuisse Hæreticum, et seditiosum ; quæ falsa sunt : Christus enim in conceptione habuit omnem gratiam, et dignitatem : et Liberius Hæreticus non fuit, ut ostendi in lib. IV. de Pontifice, cap. 9.

De Sancto Gregorio Papa VII.

Sanctus Gregorius floruit tempore Leonis IX., cœpit autem sedere in Apostolica Sede anno 1073. et non solum doctrina, et prudentia, sed etiam sanctitate et miraculis gloriosus fuit. Dedit ad varios ingentem numerum epistolarum, quarum aliquam partem non ingenio, vel manu secretariorum, sed a se proprie compositas et scriptas ipse testatur.

De Lantfranco, et Adelmanno. 1059.

Lantfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, vir sanctus et doctus, in Concilio Romano sub Nicolao secundo Pontifice anno 1059. disputavit cum Berengario Hæresiarcha, eumque ita convicit, ut Berengarius librum suum in ignem injecerit. Sed eo ad vomitum redeunte, scripsit idem Lantfrancus op. in Psalmos David, et in epistolas Sancti Pauli.

Eodem tempore Adelmannus Episcopus Brixiensis, qui aliquando Berengario Diacono Andegavensis comes fuerat, et condiscipulus sub disciplina Sancti Fulberti Carnotensis Episcopi, scripsit epistolam valde eruditam ad Berengarium de veritate corporis Domini in sacrosancta Eucharistia, quæ exstat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo VI. editionis secundæ.

De Guitmundo Episcopo Aversano. 1070.

Guitmundus Episcopus Aversanus vixit Gregorio VII. summo Pontifice, ut ipse testatur initio primi libri de Eucharistia. Scripsit libros tres de corpore et sanguine Domini in Eucharistiæ Sacramento : nec solum veritatem confirmavit, sed etiam argumenta contraria docte solideque destruxit. Scripsit etiam confessionem de sancta Trinitate, Christi humanitate, et corporis Domini veritate : quæ exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo sexto, editione secunda et etiam seorsim cum Lantfranci et Algeri libris excusa. Unum est, in quo Guitmundus reprehendi solet, quod libro II. timuerit concedere, species Sacramentales vere posse corrumpi, et putrefieri, quæ potuisset admittere, sine ulla injuria corporis Dominici fieri.

De Georgio Cedreno. 1070.

Georgius Cedrenus historicus Græcus scripsit compendium historiarum ab orbe condito usque ad annum Domini 1057 quod opus exstat Græce et Latine.

De Joanne Curopalate. 1070.

Joannes Curopalates scripsit historiam ab anno Domini 811. usque ad annum 1081. Exstat cum variis Cassiodori, excusus Venetis anno 1570.

De Theophylacto. 1071.

Theophylactus Archiepiscopus Bulgarorum vixit tempore Alexandri Papæ secundi, et Romani Diogenis imperatoris circa annum Domini 1071. ut Card. Baronius demonstrat ex epistolis ipsius Theophylacti. Scripsit in Prophetas minores, Oseam, Jonam, Nahum et Habacuc. Scripsit in quatuor Evangelia, et in omnes epistolas Sancti Pauli, in quibus commentariis in Evangelia, et in epistolas, ita Chrysostomum secutus est, ut Chrysostomi abbreviator dici possit.

Porro schismaticum fuisse Theophylactum intelligi potest ex commentario in cap. III. Joannis, ubi Latinos reprehendit, quod credant Spiritum sanctum a Filio etiam procedere.

De Sancto Anselmo Lucensi. 1077.

Sanctus Anselmus Mantuanus, Episcopus Lucensis ab Alexandro secundo creatus, ac deinde, cum in monasterium se abdidisset, a Gregorio septimo ad episcopatum revocatus, sanctitate et miraculis clarus obiit anno Domini 1077.

Scripsit libros duos ex Patrum sententiis, pro Gregorii VII. decreto et rebus gestis contra Henricum imperatorem, et contra Guibertum Antipapam qui exstant apud Henricum Canisium tomo VI. antiquæ lectionis.

Scripsit quoque in lamentationes Hieremiæ, et in Psalmos aliquot explicationem : quæ duo posteriora opera utrum exstent, ignoro : post obitum innumeris miraculis floruit : vide annales Card. Baronii ad annum 1086. tomo 11.

De Sancto Anselmo Cantuariensi. 1081.

Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus factus est anno Domini 1093. tempore Urbani secundi Pontificis et Henrici tertii, alias quarti imperatoris. Vir fuit natione Italus, professione Monachus, ingenio acerrimo, et sanctitate admiranda cum maxima prudentia et humilitate conjuncta, discipulus, et successor Lantfranci, de quo paulo ante diximus ejus vita ab Edinero fideliter conscripta apud Surium exstat die 21. Aprilis : obiit feliciter anno ætatis 76. salutis 1109. nisi sit error in notis et scribendum sit 1106. vixit enim annos tredecim in episcopatu, et creatus fuerat Episcopus anno Domini 1093. quæ omnia ex ipso Edinero constant. Scripsit multa opera, sed multo plura ei falso attribuuntur. Adscribam hic primum ea, quæ Edinerus familiaris ejus annotavit, et ipse ordine quo ab Anselmo scripta fuisse narrat Edinerus.

Primo igitur scripsit libros tres.
De veritate, 1
De libero arbitrio, 1
De casu Diaboli, 1
Deinde scripsit alios tres.
Monologii, librum 1
De grammatica, 1
Prosologii, 1

Scripsit paulo post responsionem ad quemdam reprehensorem suum, præmissa ipsa reprehensione. Hi libri inscribuntur, « Pro insipiente, et contra insipientem : » atque hæc opera, antequam Archiepiscopus fieret, composuit. Deinde Archiepiscopus factus scripsit librum unum de incarnatione Verbi, quem Urbano Papæ obtulit, quique illi gratissimus fuit.

Scripsit deinde apud Canuam in Italia librum, quem in Anglia inchoaverat, qui inscribitur, « Cur Deus homo. » Postea Lugdunum in Gallia scripsit duos libros.

De conceptu virginali, et peccato originis, lib. 1
De meditatione redemptionis humanæ, 1

Non procul a fine vitæ scripsit in Anglia.

De concordia præscientiæ, prædestinationis et gratiæ Dei cum libero arbitrio.

Et cum moreretur, dixit optare se adhuc modicum temporis, ut quæstionem obscurissimam de origine animæ, quam cœperat, absolveret : sed hoc tempus datum ei non est, ut majus bonum ei in æternitate daretur.

Scripsit denique multas epistolas tum ante archiepiscopatum, tum postea, quarum duodecim exstant. Hæc omnia opera exstant sæpius excusa, excepta ultimo et de his nulla quæstio fieri debet. Nunc subjiciam opera, quæ ferentur sub nomine Sancti Anselmi, tribus tomis distincta.

In primo tomo :

Commentaria in Matthæum, et lectiones sive explanationes in varia loca Evangeliorum.

In secundo tomo sunt :

Commentaria in epistolas Sancti Pauli.
Commentaria in Cantica, et in Apocalypsim.

In tertio tomo sunt :

Opuscula, et epistolæ : et quidem opuscula præter ea, quæ ex Edinero posuimus, hæc sunt :

De processione Spiritus sancti, lib. 1
De fermentato, et azymo, 1
De diversitate Sacramentorum, 1
De similitudinibus, 1
De voluntate Dei, 1
De miseria hominis, 1
De mensuratione Crucis, 1
Meditationum libellus unus, 1
De vestimentis, membris, et actibus Deo tributis,
De Passione Domini dialogus, 1

Speculum Evangelici sermonis, sive stimulus amoris.

Homilia de Assumptione in illud, *Intravit Jesus*, 1
De excellentia B. V. Mariæ, 1
De imagine mundi. 2

Observatio prima.

De commentario in Matthæum, et lectionibus in varia loca Evangeliorum, ambigo an sint Sancti Anselmi : non enim credibile est, ab Edinero potuisse omitti, qui tam minute opuscula numeravit. Ad hæc, in editione Parisiensi anni 1544, in qua dicuntur esse omnia opera sancti Anselmi, commentarius in Matthæum non invenitur. Nihil tamen definio, sed suspicionem meam aperio.

Observatio secunda.

Commentaria in epistolas Sancti Pauli in editione Parisiensi anni 1544, tribuuntur Herveo non Anselmo : et videtur ista inscriptio verior. Primo, quia hoc opus tam prolixum et magnum ab Edinero non numeratur inter opera Sancti Anselmi. Secundo, quia Hervæi habet vetus inscriptio. Tertio, quia ista commentaria contexta sunt ex aliorum explanationibus, et sæpe leviora sunt quam esse solcant scripta Sancti Anselmi.

Commentaria in Cantica et in Apocalypsim, tribui solent Anselmo Laudunensi, sed facile fieri potuit, ut propter nominis similitudinem opera unius sint attributa alteri, præsertim cum Edinerus horum commentariorum non meminerit.

Observatio tertia.

Ex opusculis, quæ in Edinero non inveniuntur apertis verbis, videntur admittenda ut germana Sancti Anselmi, opera, illa tria quæ sunt contra Græcos, videlicet, de processione Spiritus sancti, de azymo, et fermentato, et de diversitate Sacramentorum. Scribit enim Edinerus lib. II. Sanctum Anselmum jussu Urbani Papæ in Concilio Barensi disputasse cum Græcis, eosque apertissime convicisse : et credibile est eas disputationes ab eodem Anselmo litteris fuisse mandatas, adde, quod opusculum de azymo, et alterum de diversitate Sacramentorum, habent stylum Anselmi, et præfixam epistolam Anselmi ad Valramum Episcopum, ut ex initio librorum constat, et in priore libro fit mentio libri de processione Spiritus sancti ab eodem Anselmo conscripti.

Item opusculum, quod inscribitur, Stimulus amoris, videtur esse illud de quo Edinerus in princ. lib. dicit Ansel. scripsisse precationes suas ad Deum, hoc enim opusculum nihil aliud continet, nisi pias precationes ad Deum per omnes articulos vitæ, et passionis Christi.

Eodem pertinet libellus meditationum, qui solas preces continet.

Opusculum de vestimentis, et membris, et actibus Deo tributis, præterquam quod non habetur apud Edinerum, habetur inter libros Sancti Hieronymi, et Sancti Augustini, sub alio titulo, sed neque illorum Patrum est, ut supra diximus. Inter opera Sancti Hieronymi inscribitur, de his quæ Deo in Scripturis attribuuntur. In operibus vero sancti Augustini inscribitur, de essentia divinitatis.

Dialogus de Passione Domini non est Sancti Anselmi, sed alicujus indocti hominis, qui multa inepta, et aliqua falsa scribit : et ipsum Anselmum, vocat Beatum Anselmum : quem titulum ipse sibi nunquam tribuisset.

Homilia de assumptione B. Virginis exstat etiam inter homilias ab Alcuino collectas : Alcuinus autem præcessit Anselmum per trecentis annis.

Opusculum de excellentia B. Virginis non videtur Anselmi, non solum quia ejus non meminit Edinerus, sed etiam quia non habet stylum, neque gravitatem Anselmi.

Opusculum de Similitudinibus, non est Anselmi, sed alicujus discipuli ejus : nam in ultimis capitibus vocat Anselmum patrem suum, et multa narrat de ejus verbis et factis.

Opusculum de imagine mundi tribui solet Honorio incluso, et continet multa fabulosa, et inepta, indigna quæ tribuantur Anselmo.

Opusculum de voluntate Dei brevissimum est, et nihil habet Anselmi ingenio dignum.

Opusculum de commensuratione Crucis, ambigo cujus sit, cum ejus non meminerit Edinerus.

Observatio quarta.

Sixtus Senensis in sua bibliotheca tribuit Sancto Anselmo explicationem in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, et Judices : sed unde hoc habeat, divinare non possum, cum tanta opera Edinerum latuerint.

De Anselmo Laudunensi. 1077.

Anselmus Laudunensis scholasticus Sancti Anselmi Cantuariensis æqualis, aut paulo junior, scripsit glossam interlinearem, quæ exstat cum glossa ordinaria, et Lyrani. Eidem (ut paulo ante diximus) tribuuntur commentaria in Cantica, et in Apocalypsim, quæ habentur inter opera Sancti Anselmi.

De Bertoldo Constantiensi. 1077.

Bertoldus Constantiensis, historicus fidelissimus, et pius, continuavit chronicum Hermanni Contracti usque ad annum 1065. et præterea scripsit historiam, sive chronologiam rerum gestarum sui temporis usque ad annum Domini 1100., quo tempore putatur etiam obiisse.

De Micrologo. 1077.

Micrologus, quem aliqui Joannem Micrologum nominant, scripsit librum de Ecclesiasticis observationibus, qui exstat cum aliis similibus Coloniæ, et Romæ excusis : vixit autem tempore Gregorii VII. et Anselmi Episcopi Lucensis : nam cap. 17. sui operis dicit, Anselmum Lucensem Episcopum observasse in Missa celebranda ritum quemdam Gregorii VII. et sibi atque aliis observandum commendasse, et cap. 14. dicit, suo tempore Gregorium VII in Sede Apostolica sedisse.

De Œcumenio et Olympiodoro.

Œcumenius, et Olympiodorus Græci scriptores scripserunt catenas ex antiquis Patribus : ille in Acta Apostolorum, et Epistolas S. Pauli ; iste in Job : quo tempore floruerint, non omnino constat ; alii enim collocant eos inter annum 800. et 900, alii post annum millesimum. Scripsit præterea Olympiodorus Commentarium in Ecclesiastem, quod exstat in primo tomo bibliothecæ sanctorum Patrum, editione secunda. Exstat in eodem primo tomo catena quædam in Epistolam ad Romanos sub nomine Theoduli Presbyteri Cœlesyriæ. Sed Theodulus ille multo antiquior est ipso Œcumenio qui in hac catena citatur ; imo ista catena ex Œcumenio videtur tota excerpta, et quasi compendium esse catenæ Œcumenii in epistolam ad Romanos.

Porro Theodulus presbyter Cœlesyriæ obiit sub Zenone imperatore, teste Gennadio de viris illustribus.

De Lamberto Schafnaburgensi. 1077.

Lambertus Schafnaburgensis insignis, et verax historicus, præsertim cum de contentione inter Gregorium VII. Papam, et Henricum tertium imperatorem agit. Scripsit historiam Germanicam, et incipit ab orbe condito usque ad annum Dom. 1077. Sed continuavit Monachus quidam Erphesphordensis, cujus nomen proprium ignoratur, usque ad annum Dom. 1472.

De Ingulpho Anglo. 1077.

Ingulphus Abbas in Anglia vivebat anno Dom. 1050. ut ipse testatur in fine historiæ suæ : sed supervixit usque ad annum Dom. 1100. Scripsit historiam Monasteriorum Angliæ, quæ amplissima erant, sed attingit multa, quæ ad res gestas regum Angliæ pertinent. Incipit ab anno Dom. 654. et desinit anno Dom. 1067. quo rex Willelmus primus regnare cœpit. Exstat hic auctor cum aliis, qui de rebus Anglicanis scripserunt.

De Mariano Scoto. 1083.

Marianus Scotus Monachus Fuldensis scripsit libros tres chronicorum ab initio mundi usque ad annum Dom. 1083. Sed primus liber caret principio : describit historiam universalem satis diligenter. Continuavit ejus historiam Dodechinus Abbas S. Dysibodi usque ad annum Dom. 1200.

De B. Brunone. 1088.

Bruno Carthusianorum institutor, Coloniensis, vir doctissimus habitus est, ut testantur multa encomia sapientiæ ipsius apud Surium die sexto Octobris. Vixit tempore Urbani secundi Pontificis, a quo Romam vocatus fuit ex Carthusia. Obiit autem anno Dom. 1101. ex vita ejus apud Surium. Scripsit multa, quæ exstant impressa Parisiis apud Jodocum Ascensium : præcipua esse videntur Commentaria in Psalmos, et Commentaria in epistolas S. Pauli.

De Yvone. 1088.

Yvo Carnotensis Episcopus vixit tempore Urbani secundi, ad quem exstant epistolæ : sed supervixit usque ad annum 1114. Scripsit volumen decretorum. Scripsit etiam de divinis et Ecclesiasticis officiis, et præcipuis festis diebus sermones viginti unum, qui exstant excusi Coloniæ cum aliis similibus libris. Scripsit quoque librum de corpore Domini, quod exstat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. Scripsit denique epistolas multas ad varios, quarum nonnullas refert Card. Baronius tomo 11 et 12. annalium. Fertur etiam sub Yvonis nomine Parnormia, seu potius Pannomia : sed ea Pannomia non dicitur Yvonis, quia sit ab Yvone composita, sed quia sit ex decreto Yvonis maxima ex parte desumpta : est enim Pannomia quasi compendium decreti Yvonis, et ideo mirum videri non debet, quod libro VIII. multa sint decreta ex Innocentio secundo Papa, et ex historia Sigeberti, qui fuerunt Yvone posteriores.

De Samuele Marochiano. 1090.

Samuel Marochianus ex Judæo Christianus scripsit utilissimam epistolam, sive librum de adventu Messiæ, et de iis, quæ Judæi moderni negant, et ob quæ in Judaismo obstinate perseverant. Scripsit autem, ut ipse testatur, post mille annos ab ultima eversione Hierosolymæ sub Tito imp., id est, post annos mille septuaginta duos a natali Domini. Exstat hic liber in tomo IV. bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. secunda, et etiam seorsim excusus invenitur.

SECULUM DUODECIMUM AB ANNO 1100. AD 1200

De Leone Ostiensi. 1101.

Leo Marsicanus Episcopus Ostiensis factus a Paschali secundo, sub eodem obiit ad initium anni 1110. Scripsit chronicum monasterii Cassinensis a Sancto Benedicto usque ad Desiderium Abbatem, qui fuit postea Victor Papa tertius. In quo chronico non pauca attinguntur ad historiam Ecclesiasticam illorum temporum valde utilia.

De Zacharia Chrysopolitano. 1101.

Zacharias Episcopus Chrysopoleos vixit tempore Paschalis secundi Pontificis ad initium anni 1101. et scripsit in quatuor Evangelia quatuor libros commentariorum.

De Sigeberto historico. 1101.

Sigebertus Monachus Gemblacencis vixit tempore Gregorii septimi Pontificis, et obiit tempore Paschalis secundi circa annum Dom. 1112. Scripsit chronologiam, quæ exstat cum aliis historicorum Germanorum libris ab anno Dom. 381. usque ad annum 1111., continuavit Sigebertum Robenus de Monte usque ad annum Dom. 1210.

Porro Sigebertus in sua chronologia iniquior fuit Gregorio septimo ob studium erga imperatorem : qua de causa non pauca mentitus est, et præsertim cum narrat obitum ipsius Gregorii.

Scripsit præterea duos libros de viris illustribus, inter quos se ipse posuit, et opuscula sua diligentissime numeravit. Inter quæ opuscula unum invenitur contra Epistolam Gregorii septimi ad Episcopum Metensem, et alterum contra epistolam Paschalis secundi, quæ opuscula merito ab Ecclesia Catholica interdicta fuerunt.

Scripsit quoque, ut ipse testatur, librum contra eos qui calumniantur Missas conjugatorum Presbyterorum, qui liber periisse videtur, et jure : indignus enim erat, qui lucem aspiceret. Neque enim Gregorius septimus, in cujus odium liber ille scriptus erat, reprehenderat Missas conjugatorum Presbyterorum, sed Missas concubinariorum Presbyterorum : neque vetuerat Gregorius, Missas ejusmodi concubinariorum audiri, quod existimaret illas non esse veras Missas ; sed quod judicaret concubinarios indignos esse, qui Missam celebrarent, et qui a fidelibus populis frequentarentur. Quod autem liber ille Sigeberti in defensionem concubinariorum Sacerdotum, scriptus esset contra Gregorii Papæ edictum ; perspicuum est ex ipsa ejus chronologia ad annum Dom. 1074. ubi dicit, a Gregorio septimo prohibitos fuisse uxoratos Sacerdotes divina officia celebrare, novo exemplo, et inconsiderato, etc. Sed in defensionem Gregorii Papæ contra calumnias Sigeberti, scripsit sanctus Anselmus in epistola ad Gulielmum Abbatem, quæ est numero octava, ubi sic ait : « De Presbyteris, inquit, qui se aperte reproba libidinis conversatione Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum est quod

Apostolica providentia Ecclesiastico justoque rigore constituit. Nempe nullatenus convenit, ut ibi reverenter adstent, ubi pertinaciter aperta et impudenti libidine fœtentes, Dei et sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt, imo non deserviunt, sed quantum ad ipsos commaculant : non quo quis ea, quæ tractant, contemnenda, sed tractantes execrandos existimet : ut quæ Dei et Angelorum præsentia non reverentur, vel hominum detestatione repulsi sacra contaminare desistant. »

De Gofrido Vindocinensi. 1101.

Gofridus Abbas Vindocinensis, et Cardinalis tit. S. Priscæ ab Urbano secundo creatus vixit usque ad extrema tempora Innocentii secundi, ut constat ex epistola Innocentii ad ipsum. Scripsit epistolarum libros quinque, opuscula quindecim, et sermones duodecim : quæ omnia exstant excusa Parisiis anno 1610., opera Jacobi Sirmundi e societate Jesu.

De Euthymio Zigabeno. 1118.

Euthymius Zigabenus Monachus vixit tempore Alexii Commeni imperatoris, ut ipse testatur initio Panopliæ.

Scripsit Panopliam adversus omnes hæreses, et parte secunda tit. 23. describit errores Basilii auctoris Bogomilum, quem Alexius imperator comburi jussit in equestri theatro.

Scripsit etiam Commentaria in omnes Psalmos, et in quatuor Evangelia. Falluntur, qui hunc auctorem floruisse scribunt anno Dom. 440. vel 1180. ; floruit vero anno 1118. quo Alexius imperator obiit.

De Joanne Zonara. 1118.

Joannes Zonaras Monachus Græcus scripsit libros tres annalium, quibus complexus est historiam universalem ab orbe condito usque ad exitum Alexii Commeni imperatoris Græcorum, qui obiit anno Dom. 1118.

Scripsit etiam commentaria in Nomocanonem Photii.

De Ruperto Tuitiensi. 1119.

Rupertus Abbas Tuitiensis vixit tempore Paschalis Pontificis, et Henrici IV. dicti V. imperatoris circa annum Domini millesimum centesimum undecimum : hunc enim annum ipse notat lib. VIII. divinis officiis cap. 4. Scripsit multa opera, quorum catalogum ipse ponit in epistola dedicatoria ad Cunonem Episcopum Ratisponensem, cui dedicat libros de divinis officiis.

Opera ejus hæc sunt :

De Divinis officiis, lib.	12
In Job commentariolum obbreviatum	10
In Joannem Evangelistam,	14
De operibus sanctæ Trinitatis,	42
In Apocalypsim,	12
In duodecim Prophetas minores,	30
De victoria Verbi,	13
De gloria et honore filii hominis secundum Evangelium Matthæi,	8
De glorioso rege David ex libris Regum,	11
In Cantica Canticorum,	7

Observatio prima.

Libri de officiis divinis olim carebant nomine auctoris ; nam, ut testatur Thomas Valdensis lib. de Sacrament. c. 47. 63. et 93. exstabat suo tempore liber, sive opus de divinis officiis, ex quo Jo. Wiclef. hæresiarcha mirifice triumphabat, et Catholicos vexabat, nunc Sancti Ambrosii, nunc S. Isidori, nunc S. Fulgentii nomine eum librum venditans. Itaque Catholici diu libri ejus auctorem quærentes suspicati sunt, auctorem fuisse quemdam Valramum, ad quem scripsit S. Anselmus librum de azymo : hinc postea Dominicus a Soto, Claudius Sanctius, Gullelmus Alanus Cardinalis, et alii, auctorem erroris de impanatione fecerunt Valramum. Sed revera opus illud de divinis officiis a Wiclefo citatum, non est Valrami, qui nihil ejusmodi usquam scripsisse legitur, sed Ruperti Tuitiensis Abbatis, de quo nunc agimus : siquidem initium illius operis, quod a Wiclefo citabatur apud Valdensem, erat, (Ea quæ per anni circulum) ; et hoc ipsum est initium librorum Ruperti de officiis divinis. Deinde omnia, quæ citabat Wiclefus ex auctore de divinis officiis, inveniuntur ad verbum in lib. II. de officiis divinis cap. 2. et cap. 9. apud Rupertum. Præterea errores istius libri, inveniuntur etiam in libris Ruperti in Exodum, et in Joannem, ut plane constet eumdem esse auctorem omnium

istorum librorum. Denique Algerus lib. I. de Sacramento Eucharistiæ cap. 6. dicit tempore suo exortam novam hæresim et absurdissimam de impanatione. Atqui Rupertus vixit eodem sæculo, quo Algerus, et erat Algero paula senior : et hic ipse error, quem Algerus notat, habetur in secundo lib. cap. 2. et cap. 9. de officiis divinis apud Rupertum. Atque hæc videtur esse causa, ut opera Ruperti Tuitiensis alioqui non mala, nec indocta, jacuerint sine luce et honore in tenebris oblivionis, annis circiter quadringentis : nam nostro primum tempore cœperunt lucem aspicere.

Observatio secunda.

Error Ruperti in eo situs est, quod existimavit, non converti panem in corpus Christi dum conficitur Eucharistia, sed assumi a Verbo Divino, quemadmodum assumpta est humanitas. Id perspicuum est ex libro sexto in Joannem, ubi Rupertus dicit, « Verbum factum esse hominem, non destruendo, sed assumendo humanitatem : et eodem modo in Eucharistia idem Verbum fieri panem non destruendo, sed assumendo panem, » et similia habet lib. II. in Exodum cap. 10. sed clarissime lib. II. officiis divinis cap. 2. cum sic ait : « Nec duo corpora dicuntur, aut sunt, hoc quod de altari, et illud quod acceptum est de utero Virginis : quia videlicet unum idemque Verbum, unus idemque Deus sursum est in carne, hic in pane, » et cap. 9. sic inquit : « Verbum patris carni, et sanguini, quem de utero Virginis assumpserat, et pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interveniens, unum sacrificium efficit, quod cum in ora fidelium Sacerdos distribuit, panis et vinum absumitur, et transit : partus autem Virginis cum unito sibi Verbo Patris et in cœlo, et in hominibus integer permanet, et inconsumptus ; » hæc ille, ubi cum dicit, permanere in cœlo, et hominibus partum Virginis Verbo Patris unitum, intelligit, permanere in hominibus per fidem, non re ipsa : statim enim subjungit : « Sed in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini, nihil de sacrificio pervenit. » Hæc ille. Hunc errorem explicuimus, et refutavimus lib. III. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 11. et 15.

De Algero scholastico. 1130.

Algerus scholasticus Leodiensis, ac postea Monachus Cluniacensis floruit circa annum Domini 1130. Scripsit varia opuscula de gratia, et libero arbitrio, et de misericordia, et justitia. Sed præcipuum ejus opus est de corpore et sanguine Domini contra Berengarium, quod tribus libris comprehensum valde laudatur a venerabili Petro Cluniacensi, qui initio libri de sacrificio dicit, Lanfrancum scripsisse de Sacramento Eucharistiæ, bene, plane, perfecte : Guitmundum, melius, planius, perfectius; Algerum, optime, planissime, perfectissime. Sed tamen observandum est, hunc Algerum lib. II. cap. 1. non recte scripsisse species Sacramentales non posse corrumpi, vel rodi a muribus, etc., quod etiam notavimus in Guitmundo, a quo id videtur Algerus accepisse, sic etiam cap. 8. perperam citavit Algerus S. Augustinum, cum ait, « Unde, ut ait Augustinus, nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne ritè communicatur. » Hæc enim non sunt Augustini, sed Paschasii in libro de corpore Domini, cap. 14. Denique cap. 10. videtur Algerus velle, esse de jure divino, ut sacrificium Missæ celebretur in azymo : quod non est verum, alioquin Ecclesia non toleraret eos, qui celebrant in fermentato. Hæc notare volui, non ut imminuam gloriam Algeri, qui magno zelo veritatem sua ætate defendit : sed ne lector offendiculum incurrat in legendo opere isto, alioqui valde bono, cum sit commune mortalibus aliquando labi. Exstat hoc opus Algeri impressum Lovanii cum Paschasio, Lanfranco et Guitmundo, necnon cum iisdem in bibliotheca S. Patrum tomo sexto, edit. 2.

De Hildeberto Turonensi. 1125.

Hildebertus Archiepiscopus Turonensis vixit tempore Honorii secundi Pontificis, ad quem epistolam scripsit. Honorius autem sedere cœpit anno Domini 1125.

Scripsit sermones, epistolas, et carmina sacra, quæ exstant in bibliotheca S. Patrum tomo III. edit. 2. Ad eum una exstat Epistola S. Bernardi, qua eum hortatur, ut Innocentium II. ut verum Pontificem agnoscat, et veneretur.

De S. Bernardo. 1130.

Sanctus Bernardus Abbas Clarevallensis, vir plane apostolicus, et non minus gloria miraculorum, quam sapientiæ splendore illustris, floruit maxime tempore Innocentii II. Pontificis an. Dom. 1130., sed obiit an. 1153, ætatis suæ 63. Scripsit multa opera; sed multa etiam illi tribuuntur, quæ ejus non sunt. Opera, quæ sine dubio S. Bernardum habent auctorem, illa sunt, quæ numerantur a Gofrido ejus discipulo, et alumno lib. III. vitæ ipsius cap. ultimo : vitam enim S. Bernardi primus scripsit eo vivente Gulielmus Abbas S. Theodorici, unico libro comprehensam : deinde adjecit secundum librum Bernardus Abbas bonæ Vallis : tres ultimos addidit Gofridus Monachus Clarevallensis.

Opera S. Bernardi indubitata ex Gofrido Monacho.

Homiliæ in laudem Virginis Matris, sive super, *Missus est Angelus*,	4
De gradibus humilitatis,	1
De diligendo Deo,	1
Apologeticus ad Gulielmum Abbatem,	1
De præcepto et dispensatione,	1
Exhortatorius ad milites templi,	1
De gratia, et libero arbitrio,	1
De consideratione ad Eugenium,	5
In cantica sermones,	86
Epistolæ ad diversos,	351
Vita S. Malachiæ Episcopi Hiberniæ.	

Opera S. Bernardi secundi ordinis, quæ habentur etiam pro indubitatis.

De adventu Domini serm.	7
De vigilia natalis Domini,	6
De natali Domini,	6
De circumcisione,	3
De Epiphania,	4
De Dominica prima post Epiphaniam,	2
De Conversione S. Pauli,	2
De Purificatione B. Mariæ,	3
De Septuagesima,	2
De Quadragesima,	7
De S. Benedicto Abbate,	1
De Annuntiatione B. M.	3
De Dominica Palmarum,	3
De feria quarta pœnosa,	1
De feria quinta in Cœna Domini,	1
De Pascha,	2
De octava Paschæ,	2
De Rogationibus,	1
De Ascensione,	6
De Pentecoste,	3
De S. Joanne Baptista,	1
De SS. Petro et Paulo,	4
De David et Goliath,	1
De septem panibus,	3
De S. Victore,	2
De S. Maria Magdalenai,	1
De Assumptione B. M. V.	5
De verbis, *Signum magnum*,	1
De nativitate S. Mariæ	1
De S. Michaele,	2
De festo omnium Sanctorum,	5
De S. Malachia,	1
De verbis Isaiæ,	5
De S. Martino,	1
De S. Clemente,	1
In vigilia S. Andreæ,	1
In die S. Andreæ,	2
In obitu Humberti,	1
In dedicatione Ecclesiæ,	6
In Psalmum XC,	17
De diversis argumentis,	35
De allitudine cordis,	1
De conversione ad Clericos,	1
Sermones parvi,	66
De donis Spiritus sancti,	1
Sententiæ S. Bernardi.	
Declamatio in illud, *Ecce nos reliquimus omnia.*	

Ordo tertius operum dubiorum.

Ad fratres de monte Dei.
Meditationes.
De interiori domo.
De ordine vitæ.
De scala claustralium.
Formula honestæ vitæ,
Speculum Monachorum.
Sermones varii.
Liber de conscientia.
Descriptio Claræ vallis.
Lamentatio Virginis Mariæ.
Doctrina Sancti Bernardi.
Homilia de exeuntibus in Emmaüs.
De amore Dei.
De natura, et dignitate divini amoris.
Sermo de Passione Domini.
Tractatus de Passione Domini.
Rhetorica Sancti Bernardi.
De modo bene vivendi ad sororem suam.
De conscientia.
Sermones de diversis argumentis, 15

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Super Salve Regina.
Epistola ad quemdam, qua docetur, quid a nobis requirat Deus.
De oneribus sermones, 11

Observatio prima.

Inter opera secundi ordinis est sermo de nativitate B. Mariæ, qui non est, ut multi existimant, de nativitate ex sancta Anna matre sua in hunc mundum ; sed de nativitate per dormitionem mortis, in cœlum, quomodo dicuntur natalitia aliorum omnium sanctorum. Id ex contextu facile potest intelligi, hæc enim sunt prima verba : « Fœcundæ Virginis amplectitur cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur, » etc.

In eodem ordine est sermo brevissimus de Beata Virgine post sermonem quintum de Assumptione ; sed ille ex sermonibus parvis est secundus, et inde huc sine causa translatus : et fortasse non est sancti Bernardi, cum auctor ejus sermonis dicat, se carere virginitate, et ex primo libro, cap. 3. vitæ Sancti Bernardi, probabiliter colligatur, eum virginem fuisse.

In eodem ordine invenitur lib. sentent. S. Bernardi, de quo libro ambiguo, an sit scriptus ab ipso S. Bernardo, an ab aliquo alio, qui collegerit eas sententias ex scriptis et sermonibus ejusdem sancti viri : video enim in iis sententiis quædam vocabula barbara, ut guerram, pro bello, et res alias leviores, quam ut decere videantur Sanctum Bernadum : sed nihil definio.

Observatio secunda.

In tertio ordine in quo dubia opera continentur ; aliqua sunt, quæ manifeste Sancti Bernardi non sunt, sed tamen gravia, et utilia sunt : alia habent suos auctores, qui in titulis prænotantur : alia sunt inepta, et indigna, quæ tanto viro attribuantur : alia denique tam proxime accedunt ad spiritum et stylum Sancti Bernardi, ut ejus fœtus indicari possint. Ac ut dicam de singulis quod sentio :

Sermo, seu liber de vita solitaria ad fratres de monte Dei, non habet stylum, sed habet spiritum Sancti Bernardi, et dignissimus est, qui legatur.

Meditationum capita sexdecim similia sunt libro superiori : non habent stylum, neque eruditionem Sancti Bernardi, sed habent pietatem, et devotionem, et utiliter legi possunt.

Tractatus de interiori domo, non est malus, sed ad superiores duos non pertingit.

Tractatus de ordine vitæ, sive de doctrina puerorum, similis est superiori.

Scala claustralium, sive de modo orandi, non habet stylum Sancti Bernardi, sed alioqui insignis libellus est, et lectu dignus.

Formula vitæ, cum annexo documento, et speculum Monachorum, utilissima continent documenta, ac Religiosis viris plane necessaria, quamvis a stylo Sancti Bernardi longe absint.

Sermones de natali Domini, qui ordine succedunt, non sunt B. Bernardi, neque eruditi : siquidem in primo sermone auctor laudat Abbatem Clarevallensem, id est, Sanctum Bernardum ; proinde non est ipse S. Bernardus sermonis auctor. Idem ipse auctor dicit, nocte natalis Domini corruisse templum pacis Romæ, quod æternum futurum sperabatur. At nascente Domino nondum templum illud ædificari cœptum erat, denique stylus turgidus est, sed vocabulis barbaris non caret.

Idem de aliis sermonibus, ejusdem auctoris judicium fieri potest.

Inter sermones est unus de villico iniquitatis, cui præmittitur epistola Bernardi ad Matthæum Episcopum Albanensem, cui sermo ille transmittitur, et quidem sermo stylum Sancti Bernardi non habet, sed alioqui eruditam explicationem continet. Itaque vel Sanctus Bernardus solitam suam eloquentiam in hoc sermone neglexit, vel alius Bernardus est, qui sermonem istum conscripsit.

Liber de conscientia pius et utilis est quamvis Sancti Bernardi esse non videatur.

Descriptio Claræ Vallis non est Sancti Bernardi, sed alicujus, qui eam bene noverat.

Lamentatio B. Virginis indigna est, quæ Sancto Bernardo tribuatur, quippe quæ ineptias, et falsa nonnulla continet.

Sermo de duobus discipulis euntibus in Emmaüs, insignis est, sed S. Bernardi stylum non habet.

Liber de amore Dei stylum potius Sancti Augustini, quam Sancti Bernardi habere videtur : qui eum librum illum composuit, imitari voluit Sanctum Augustinum in libris Confessionum cum Deo colloquentem.

Liber de natura, et dignitate amoris divini, subtilis et obscurus est, nec cujus sit affirmare possum.

Sermones duo de Passione Domini, quorum prior incipit, « Jesum Nazarenum, » et posterior longe prolixior, « Ego sum vitis vera, » docti sunt, et utiles, sed non videntur Sancti Bernardi, sive stylo judicium fiat.

De rythmis, hoc solum dicere possum, illum qui incipit, « Jesu dulcis memoria, » longe præstare cæteris omnibus.

Liber de modo bene vivendi, qui scriptus dicitur a Sancto Bernardo ad sororem suam ; utilissima documenta continet : sed neque stylum habet Sancti Bernardi, neque ad sororem ejus scribi potuit : hic enim liber ad sororem virginem, et cum virginibus in monasterio degentem, scribitur, ut perspicuum est ex cap. 21. Sanctus autem Bernardus unicam habuit sororem, eamque primo conjugatam, deinde sanctimonialem. Vide lib. I. vitæ Sancti Bernardi cap. 1. et 6.

Liber de conscientia, de gradibus humilitatis, sermones de Cœna Domini, et cætera usque ad finem secundi tomi, non solum longe distantia stylo Sancti Bernardi, sed etiam verisimile non est de iisdem argumentis toties Sanctum Bernardum disseruisse.

De Petro Cluniacensi. 1130.

Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis Sancti Bernardi æqualis fuit, ut epistolæ testantur, ultro citroque missæ. Fuit nobilis Aquitanus, ac primo miles, deinde Monachus. Scripsit libros duos de miraculis sui temporis.

Scripsit librum, per formam epistolæ, adversus errores Petri de Bruis, in quo egregie tractat.

De baptismo parvulorum.
De auctoritate libri Actorum Apostolorum.
De auctoritate epistolæ B. Pauli.
De auctoritate Ecclesiæ.
De auctoritate veteris Testamenti.
Iterum de baptismo parvulorum.
De basilicis, templis, et aris.
De veneratione Sanctæ Crucis.
De sacrificio Missæ, et veritate transsubstantiationis.
De suffragiis defunctorum.
De laudibus Dei in canticis, et musicis instrumentis.

Scripsit quoque libros multos epistolarum ad diversos, quarum nonnullas refert Card. Baronius tomo 12. Annalium.

Addit Trithemius, eum scripsisse de conversatione Eremitica. Sed hunc librum non vidi, neque utrum exstet, scio.

De Hugone de Sancto Victore. 1130.

Hugo de sancto Victore, natione Saxo, professione Monachus, dignitate Abbas Sancti Victoris, æqualis fuit Sancti Bernardi, ut ex epistola Sancti Bernardi ad hunc ipsum Hugonem constat. Scripsit multa, quæ tribus tomis comprehenduntur in editione Veneta, anni 1588.

Primi tomi hæc sunt :

De Scripturis, et scriptoribus sacris prænotationes.
Annotationes elucidatoriæ in Pentateuchum, Judices, libros Regum, Psalmos aliquot.
In Ecclesiastem homiliæ 19.
Annotationes elucidatoriæ in Threnos, in Joelem, et Abdiam.
Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in totum Testamentum vetus, exceptis Prophetis, et libris Sapientialibus.
Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in quatuor Evang.
Annotationes litterales et quæstiones in epistolas S. Pauli.
Annotationes elucidatoriæ in Dionysium Areopagitam.

Secundi tomi hæc sunt :

Institutiones in decalogum.
Expositio in regulam Sancti Augustini.
De institutione novitiorum.
De claustro animæ.
De anima libri quatuor.
De medicina animæ.
De arrha animæ.
De laude charitatis.
De modo orandi.
De fructu carnis, et spiritus.
De nuptiis carnalibus et spiritualibus libri duo.
De vanitate mundi libri quatuor.
De meditatione libellus.
De arcæ mysticæ descriptione.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De arca Noe libri quatuor.
Sermones centum de variis argumentis.
Sermo de Assumptione B. Mariæ.

Tertii tomi hæc sunt :

Didascalici libri septem, quorum ultimus de Trinitate disserit : reliqui sex ad artes liberales pertinent.
De potestate, et voluntate Dei, libellus.
De quadruplici voluntate in Christo, libellus.
De sapientia animæ Christi, libellus.
De unione corporis, et spiritus, libellus.
De Verbi Dei efficacia, libellus.
Apologia de Verbo incarnato.
De Verbo incarnato disputationes tres.
De perpetua Virginitate B. Mariæ.
Miscellaneorum secundi codicis, libri quinque.
De filia Jephte tractatus.
Speculum de mysteriis Ecclesiæ.
De ceremoniis, Sacramentis, et officiis Ecclesiasticis lib. 3.
De canone mystici libaminis, libellus.
Dialogus de Sacramentis legis naturalis, et scriptæ.
Summa sententiarum septem tractatibus comprehensa, quorum est,
Primus de Fide, Spe et Charitate, de Trinitate, et Incarnatione;
Secundus de creatione et statu Angelicæ naturæ;
Tertius de creatione, et statu humanæ naturæ;
Quartus de Sacramentis in genere, et præceptis divinis;
Quintus de Sacramento Baptismi;
Sextus de Sacramento Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, et Extremæ Unctionis;
Septimus de Sacramento conjugii.
De Sacramentis Christianæ fidei libri duo.

Observatio.

Non pauca sunt in operibus Hugonis, quæ non videntur germana ejus opera, sed quoniam auctor editionis Venetæ suis locis hæc annotavit, et mihi non licuit per angustias temporis omnia excutere, remitto lectores ad notas, quæ in ipsis operibus exstant. Hoc solum addam, exstare apud Card. Baronium insignem epistolam Hugonis ad Joannem Archiepiscopum Hispalensem apostatam a fide, tomo 12. ad annum Dom. 1136.

De Riccardo de Sancto Victore. 1130.

Riccardus de Sancto Victore, natione Scotus, Monachus Ordinis Canonicorum regularium, Hugonis tempore claruit, et in eodem monasterio Sancti Victoris sanctissime vixit. Fuit quoque Sancti Bernardi amicissimus, ut ex libris ad eum scriptis perspicuum est. Ejus opera duobus tomis continentur.

Primi tomi opera :

De exterminatione mali, et promotione boni tract. 1
De statu interioris hominis. 3
De eruditione interioris hominis libri 3
Benjamin minor, id est, de preparatione ad contemplationem.
Benjamin major, id est, de gratia contemplationis libri. 4
Allegoriæ tabernaculi fœderis, 1
De Trinitate, 6
De tribus appropriatis personis in Trinitate, ad Sanctum Bernardum. 1
De incarnatione Verbi, ad eumdem, 1
De Emmanuele libri 2
Exceptionum, 4
De potestate ligandi et solvendi tract. 1
De contemplatione plagarum in fine mundi, 1
De judiciaria potestate in finali judicio, 1
De spiritu blasphemiæ, 1
De gradibus charitatis, 1
De quatuor gradibus violentæ charitatis, 1
De gemino Paschate. 1
In die Paschæ sermo, 1
Declaratio difficultatum Scripturæ sanctæ, ad Sanctum Bernardum. 1
Quomodo Spiritus sanctus sit amor Patris, et Filii. 1
De differentia peccati mortalis, et venialis, 1
De superexcellenti Baptismo Christi, 1
De missione Spiritus sancti sermo, 1
De comparatione Christi ad florem et B. M. ad virgam, 1
Quomodo Christus ponitur in signum populorum. 1
De differentia sacrificii David, et Abrahæ, 1
De differentia sacrificii Abrahæ, et B. Mariæ. 1

Opera tomi secundi :

Explanatio difficultatum ex tabernaculo fœderis.
De templo Salomonis ad litteram.
De concordia temporum in libros Regum.
Explanatio variorum locorum in Psalmis.
Explanatio libri Cantici canticorum.
De visione Ezechielis.
De templo Ezechielis.
Decisio dubiorum in Apostolo.
In Apocalypsim Joannis libri septem.

Observatio

Hæc omnia opera, uno excepto, quod inscribitur, Exceptionum libri quatuor, videntur mihi docta, et pia, et dignissima ingenio acutissimo Riccardi, neque scio de eis ab ullo esse dubitatum, an sint legitima Riccardi opera. De libris exceptionum nonnihil ambigo, an sint ejusdem auctoris non quod non sint libri illi eruditione varia pleni, sed quod quædam contineant, quæ non videntur a Riccardo scribi potuisse. Libro primo cap. 24. sic loquitur : « Inventores Theologiæ fuerunt apud Græcos Linus, apud Latinos Varro, et nostris temporibus Joannes Scotus. » At cur Joannes Scotus inventor Theologiæ? cur non magis Moses, aut Athanasius, aut Augustinus? aut Joannes Damascenus? Deinde non sunt noti Joannis Scoti nisi duo, unus trecentis annis ante Riccardum, alter centum et amplius annis post Riccardum : quis igitur ille est, de quo hic dicitur : « Et nostris temporibus Joannes Scotus? » Eodem capite dicit hic auctor, inventorem rhetoricæ fuisse Demosthenem. Id quod est manifeste falsum : Demosthenes enim insignis orator fuit, sed ante illum fuerunt alii, ut Isocrates, Pericles, et alii; et cum ipso claruit Æschines : et eodem tempore floruit Aristoteles, qui de rhetorica egregie scripsit. In tertio libro cap. 7. scribit de insulis, et Scotium suam tantum nominat. Et cap. 8. describit civitates celebres totius mundi, et Lutetiam Parisiorum, ubi ipse degebat, ne nominat quidem, ut neque Londinum, neque Cantuariam, neque Edimburgum, neque alias Britanniæ, vel Scotiæ Civitates. In quarto libro numerat Pontifices Hebræorum, et omittit Aaron, Eleazarum, Phinees et nonnullos alios inter præcipuos.

De Willelmo Malmesberiensi 1130.

Willelmus, seu Gulielmus, Monachus Anglus, dictus bibliothecarius, et Malmesberiensis, vixit eodem tempore, quo prædicti quatuor scriptores. Scripsit libros quinque de rebus gestis regum Anglorum, usque ad Henricum primum. Item historia novellæ libros duos. Denique de rebus gestis Pontificum Anglorum libros quatuor.

De Henrico Utidoniensi. 1140.

Henricus Utidoniensis scripsit historiam Anglicanam libris octo usque ad Stephani regis obitum, id est, usque ad annum 1153.

De Gratiano. 1145.

Gratianus patria Clusinus, professione Monachus Sancti Benedicti, claruit tempore Eugenii tertii Pontificis, et Conradi tertii imperatoris, ad annum Dom. 1145. Scripsit Decretum, sive concordiam discordantium canonum : opus valde laboriosum, in quo canones plurimos collegit, ex Scripturis, ex responsis Pontificum, ex Conciliis, et ex Patribus. Et quamvis multi alii viri docti in hoc genere scriptionis laboraverint, ut Dionysius Exiguus, Isidorus, Cresconius, Burchardus, Yvo, et si hui alii sunt; ipse tamen solus obtinuit, ut publice in gymnasiis prælegeretur, et multorum doctissimorum virorum Commentariis illustraretur.

Scripsit hoc opus Bononiæ in monasterio Sancti Felicis ex sententia Trithemii in secundo libro de viris illustribus Ord. Sancti Benedicti, anno Dom. 1127. vel, ut alii volunt, anno dom. 1151 nisi forte Trithemius inchoationem, alii consummationem operis annotaverint.

Porro hoc opus a mendis purgatum, et suæ integritati restitutum fuit a viris quibusdam eruditissimis auctoritate Gregorii XIII. Pontificis anno salutis 1580.

Observatio in Gratianum.

Gratianus id unum habet, quod reprehendi posse videtur, quod non habuit delectum auctorum, ex quibus decreta collegit, annotabo hic aliqua loca per modum exempli.

Primo, distinctione XVI. cap. Septuaginta, citatur epistola Sancti Athanasii Episcopi Alexandrini de canonibus Nicænis incendio consumptis, ad Marcum Papam. Sed Card. Baronius tomo III. Annalium demonstrat, eo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tempore Athanasium fuisse exulem in Galliis, et incensionem illam canonum Nicænorum contigisse diu post obitum Marci Papæ, et ipsum Marcum defunctum jam fuisse, quando scribitur respondisse ad epistolam Athanasii : ut undique nutet fundamentum harum epistolarum, et septuaginta canonum Nicæni Concilii.

Secundo, distinctione 63. can. Adrianus, et can. in Synodo : ponuntur duo canones ex historia Ecclesiastica Sigeberti, quibus affirmantur investituræ Episcoporum concessæ imperatoribus ab Adriano primo, et a Leone octavo summis Pontificibus : quos canones confictos fuisse a Sigeberto schismatico historico probat multis argumentis Card. Baronius tomo IX. annalium, ad annum tertium Adriani primi Pontificis. Neque obstat, quod idem canones habentur etiam apud Yvonem in Pannomia lib. VIII. cap. 135 et 136. cum tamen Yvo Sigebertum ætate præcesserit. Hoc (inquam) non obstat : quoniam Pannomia non dicitur Yvonis, quia sit ab Yvone composita, sed quia sit ex decreto Yvonis maxima ex parte decerpta. Quod autem auctor Pannomiæ sit recentior Yvone, perspicuum est ex libro octavo, ubi multa sunt decreta Innocentii secundi Pontificis, qui fuit Yvone posterior.

Tertio, causa 24. quæst. 1. can. Hæc est fides, tribuitur iste canon Sancto Hieronymo in symbolo ad Damasum. Sed re vera desumptus est ex libello fidei Pelagii hæresiarchæ ad Innocentium primum Pontificem. Id satis constat ex sancto Augustino libro de gratia Christi cap. 30. 31. 32. et 33. ubi ponit ipsa verba hujus symboli, et dicit esse verba libelli, quem de fide sua Pelanius ad Innocentium misit.

Quarto, causa 10. quæst. 1. can. Quia Sacerdotes, iste canon sumitur ex epistola Sancti Hieronymi ad Damasum, de oblationibus altaris. Sed ea epistola indigna est, quæ Sancto Hieronymo tribuatur : nam inter sancti Spiritus organa numerat auctor hujus epistolæ Eusebium chronographum, quem Sanctus Hieronymus Arianum hæreticum passim appellat.

Item scribens ad Damasum citat Chrysostomi commentarium in Matthæum : at eo tempore, quo Chrysostomus scripsit in Matthæum, Damasus jam ante multos annos obierat. Obiit enim Damasus anno septimo Theodosii Senioris : Chrysostomus autem anno sequenti ordinatur Presbyter, et incipit concionari ad populum : inter quas homilias sunt etiam illæ, quibus explicatur Evangelium Sancti Matthæi. Omitto quod stylus hujus epistolæ impolitus et barbarus cum sit, nihil habet simile cum stylo Sancti Hieronymi.

Quinto, causa 22. can. Nec artificioso : citatur Sanctus Augustinus in libro de conflictu virtutum et vitiorum cap. 19. At is liber non potest esse S. Augustini, cum in fine ejus libri commendetur regula S. Benedicti, qui fuit plus centum annis Augustino posterior.

Sexto, causa 27. can. Nubendi licentia : iterum citatur idem liber cap. 24. qui nullo modo Augustini esse potest. Adde quod plurimis in locis Gratianus citat Chrysostomum pro auctore operis imperfecti, et Hieronymum pro Origene.

De Petro Lombardo. 1143.

Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, eodem tempore floruit, quo Gratianus, et sicut iste collegit Canones, et Canonistarum quasi magister fuit : sic ille collegit sententias sacrorum Theologorum, et magister sententiarum et Theologorum scholasticorum dici meruit. Ferunt Gratianum, et Petrum Lombardum, et Petrum Comestorem, germanos fratres fuisse : sed fundamento caret ea opinio. Certe in patria non conveniunt : Gratianus enim Etruscus fuit ex Clusio civitate : Magister Petrus Lombardus ex Novaria ; Petrus Comestor Gallus ex Trecis. Quæ scripserit Petrus Lombardus, ex epitaphio sepulcri ejus, quod est in Ecclesia S. Marcelli Parisiis, cognosci potest : sic enim ibi legitur : « Hic jacet Magister Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui composuit librum Sententiarum, glossas Psalmorum, et epistolarum. »

Porro libri Sententiarum, quod est præcipuum opus Magistri Petri, quatuor sunt.

Primus continet sententias Patrum de Trinitate, et unitate Dei.

Secundus, de creatione mundi, ac præcipue Angelorum, et hominum, et de gratia Dei.

Tertius, de incarnatione Verbi, deque virtutibus, et vitiis.

Quartus, de Sacramentis, et novissimis, id est, Resurrectione, Judicio, etc.

Observatio.

Quamvis Petrus Lombardus Magister appelletur, tamen discipuli ejus scholastici doctores, viri acuti, et docti, non omnia probant, quæ Magister docuit : notantur enim articuli viginti sex, in quibus Magister rejicitur, in additione ad Magistrum excusa typis. Nec solum opiniones ejus aliquando refelluntur : sed etiam non defuerunt, qui eum ad Alexandrum tertium Pontificem detulerint, hæresis nomine, quod docuisset, Christum, ut hominem, non esse aliquid. Quam ejus sententiam damnatam fuisse in Concilio quodam Parisiensi, jubente Alexandro Pontifice, testatur Matthæus Paris in historia Anglicana, in Henrico secundo pag. 132. quæ damnatio configit annis novem decim post obitum ejusdem Petri. Non diu postea accusatus fuit a Joachim Abbate, quod docuisset, unam summam rem esse Patrem et Filium, et Spiritum sanctum. Sed Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, Petri Lombardi sententiam approbavit, et contrariam Joachimi Abbatis reprobavit.

De Othone Frisingensi. 1145.

Otho Frisingensis Episcopus, insignis nobilitate, pietate, et doctrina, fuit Henrici quarti imperatoris nepos, Henrici quinti sororius, Conradi regis frater uterinus, Friderici primi patruus, initio Monachus, fuit Cisterciensis, ac paulo post Abbas Morimundensis, deinde Episcopus Frisingensis : tandem in ipso eodem monasterio pie Deo animam reddidit anno Dom. 1159 et quoniam Gilbertum Porretanum aliquando valde laudaverat, in morte revocavit, si quid in ejus laudem dixisset, quod fidei Christianæ contrarium videri posset. Siquidem aliqui articuli in Concilio Episcoporum ab Eugenio tertio Pontifice damnati fuerant sub nomine Gilberti. Vidi hæc omnia apud Radevicum lib. II. de gestis Friderici imperatoris cap. 11.

Scripsit Otho Frisingensis libros septem chronicorum ab orbe condito usque ad annum Dom. 1146. quibus addidit librum octavum de fine mundi, Antichristi persecutione, resurrectione mortuorum, judicio finali, et gloria beatorum, ac supplicis damnatorum.

Scripsit præterea de gestis Friderici primi imp. libros duos ; quibus duos alios addidit Radevicus Canonicus Frisingensis.

De Petro Comestore. 1150.

Petrus Comestor, qui et Magister historiæ scholasticæ, hoc ipso tempore floruit : dedicavit enim opus suum Wilelmo Archiepiscopo Senonensi, cui Alexander tertius Papa commisit, ut sententiam quamdam Petri Lombardi damnaret, ut supra diximus. Scripsit historiam sacram XVI. libris, qui sunt libri sacri historiales, videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Josue, Judices, Ruth, primus Regum, secundus Regum, tertius Regum, quartus Regum, Tobias, Ezechiel, Daniel, Judith, Esther, Macchabæorum, historia Evangelica, et historia Actuum Apostolorum. Scripsit autem inserens verbis sacris multa ex glossis, et ex profanis auctoribus, et non raro admiscens incertas historias.

De Theoriano. 1170.

Theorianus quidam Græcus, vir doctus, missus fuit a Manuele imperatore ad Armenos, ut eos ab erroribus circa fidem Christianam revocaret : quod ille egregie præstitit anno Dom. 1170. Exstat dialogus Theoriani orthodoxi cum generali Armenorum, in tomo quarto bibliothecæ sanctorum Patrum edit. secundæ estque dialogus lectu dignus, quamvis Genebrardus lib. IV. chronologiæ conetur excusare Armenos ab errore Petri Gnaphæi, tamen judicent lectores, an recte excusaverit.

De Hugone Etheriano. 1177.

Hugo Etherianus natione Tuscus, vir doctus Græce et Latine, Constantinopoli degens scripsit valde erudite librum de processione Spiritus sancti, adversus errores Græcorum : quem librum ad Alexandrum tertium Pontificem misit anno 1177., teste Card. Baronio tomo XII. Annalium, ubi et epistolam ejusdem Alexandri ponit, qua gratias agit Hugoni. Scripsit etiam de regressu animarum ab inferis. Utrumque opus exstat in tomo 9. bibliothecæ SS. Patrum, edit. 2.

De Arnoldo Carnotensi. 1177.

Arnoldus Carnotensis, Abbas bonæ Vallis, vir admodum pius, et doctus, et Sancti Bernardi discipulus, et amicus in primis, ad quem etiam scripsit epistolam 310. de obitu

suo jam imminente. Scripsit insigne opusculum de septem verbis novissimis a Christo in Cruce prolatis. Scripsit item de laudibus Virginis Mariæ Matris Dei : quæ duo opera exstant in bibliotheca sanctorum Patrum tomo primo edit. secundæ. Scripsit quoque secundum librum vitæ Sancti Bernardi, qui habetur ad finem operum Sancti Bernardi.

De Joanne Saresperiensi. 1177.

Joannes Saresperiensis, Episcopus Carnotensis, vixit tempore Alexandri tertii. Scripsit multa, et in iis vitam S. Thomæ Cantuariensis, Opus pœnitentiale, Objurgationem Cleri, Polycraticum libris octo, de nugis curialium, Epistolas ad diversos. Exstant impressa anno 1513.

De Petro Blesensi. 11c7

Petrus Blesensis, Archidiaconus Bathoniensis, vixit tempore Alexandri III. Pontificis, et Henrici secundi regis Anglorum, cui diu familiaris et administer fuit. Scripsit multa sapienter et eloquenter, quæ nunc exstant opera Joannis Busæi : edita sunt Moguntiæ anno 1600. videlicet epistolæ 180.

Tractatus de transfiguratione Domini.
Tractatus de conversione sancti Pauli.
Compendium in Job.
Tractatus de Hierosolymitana peregrinatione.
Instructio fidei ad Soldanum Iconii.
Liber de confessione Sacramentali.
Liber de satisfactione a Sacerdote injungenda.
Canon Episcopalis, sive de institutione Episcopi.
Invectiva contra depravatorem.
Tractatus de amicitia Christiana.

Ad hæc meminit ipse in invectiva aliorum operum suorum quæ non videntur exstare. Inveniuntur multæ hujus Petri epistolæ in tomo XII. Annalium Card. Baronii : et instructio fidei ad Soldanum, invenitur etiam apud Matthæum Parisiensem ad annum Dom. 1169. sub nomine Alexandri III. Pontificis. Pontifex enim eam direxit nomine suo, quamvis a Petro Blesensi conscriptam.

De Gulielmo Tyrio. 1180.

Gulielmus Archiepiscopus Tyri vivebat anno Dom. 1180. quo anno Manuel imperator Græcorum obiit, ut ipse testatur libro XXII. historiæ suæ cap. 4. et 5.

Scripsit historiam de bello sacro libris viginti tribus, sed liber vicesimus tertius ab ipso inchoatus, non absolutus fuit. Incipit ab anno Dom. 1093. et perduxit historiam usque ad annum 1180; sed continuavit Joannes Heroldus additis libris sex ad annum Dom. 1521.

De Helmodo Butsoniensi. 1180.

Helmodus Canonicus Butsoniensis eodem tempore scripsit historiam Henetorum, sive Sclavorum, a Carolo Magno usque ad annum Dom. 1168.

De Gothefrido Viterbiensi. 1180.

Gothefridus Viterbiensis Notarius Conradi III. Friderici primi imperatorum, scripsit chronicum universale, quod appellavit Pantheon, fortasse, quod contineat res gestas omnium principum, tum ecclesiasticorum, tum temporalium. Principes enim dii appellantur in Scripturis. Scripsit autem partim prosa, partim carmine, et divisit opus suum in partes viginti, et dedicavit illud Urbano III. summo Pontifici, ad cujus Pontificatum historiam suam perduxit, id est, ab initio mundi usque ad annum Dom. 1186.

Porro hoc ipso anno nupsit Constantia filia Rogerii regis Siciliæ, Henrico sexto filio Friderici primi, adolescenti annorum viginti et unius adhuc vivente parente ejus Friderico primo, ut idem Gothefridus testatur parte decima septima extrema.

Ex quibus refellitur fabula de Constantia filia Rogerii, Sanctimoniali, et vetula, per dispensationem Cœlestini III. nubente Henrico sexto.

Cœlestinus enim tertius sedere cœpit anno Dom. 1191.

De Gulielmo Neubrigensi. 1190.

Gulielmus Neubrigensis eodem tempore scripsit historiam Anglicanam libris quinque, et lib. IV. cap. 13, deplorat infelicem exitum Friderici primi, ob injustam persecutionem factam legitimo Pontifici Alexandro III. Cœpit historiam suam ab anno Dom. 1066. et brevissime pertransiit usque ad annum 1135., quo anno se natum fuisse testatur, et ab hoc anno fuse scribit historiam gentis suæ usque ad ann. Dom. 1197.

De Rogerio historico. 1190.

Rogerius de Hoveden insignis historicus scripsit libros duos annalium Anglicanorum valde diligenter, et pervenit usque ad Joannem regem qui regnare cœpit anno Dom. 1199.

De Theodoro Balsamone. 1191.

Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus vixit tempore Xiphilini Patriarchæ Constantinopolitani, cui dedicavit suum opus; Georgius autem Xiphilini anno 1191. sedere cœpit, teste Baronio Card. tomo XII. Annalium, ad annum 1191. Scripsit Balsamon duos libros Commentariorum, unum in Nomocanonem Photii, alterum in canones variorum Conciliorum, et SS. Patrum. Fuit autem Balsamon schismaticus, et Romanæ Ecclesiæ infensus, non minus quam Photius. Vide Baronium loco citato.

De Joachimo Abbate. 1195.

Joachimus Abbas Florensis Monasterii vivebat anno 1195. Scripsit in Isaiam, et Hieremiam, et Apocalypsim, et Concordiam Testamenti veteris et novi : quæ omnia exstant. Circumferuntur quædam vaticinia sub ejus nomine de futuris Pontificibus Romanis, quæ quam fidem mereantur, aliorum sit judicium : illud mirum est, quod cum ea vaticinia ad solos quindecim Pontifices pertineant : tamen curiositas hominum ad nostra usque tempora extendere illa conatur.

SECULUM DECIMUM TERTIUM AB ANNO 1200. AD 1300.

De Innocentio tertio Pontifice.

Innocentius III. Pontifex maximus sedere cœpit in Apostolica Sede anno 1198. et sedit usque ad annum 1216. Vir fuit multæ pietatis, et doctrinæ, nec minoris prudentiæ in Ecclesia gubernanda. Ejus opera duobus tomis continentur.

In priore habentur :

Sermones de tempore.
Item de Sanctis, tum proprii, tum communes.
Item de consecratione Pontificis, quatuor.

Ad hæc libri :

De Eleemosyna,	1
In septem Psalmos pœnitent.	1
De laude charitatis,	1
De mysteriis Missæ,	6
De contemptu mundi,	3
Eucomium in Christum, et ejus Matrem.	
Precationes de passione Christi,	3
De sanctorum veneratione,	3
Hymnus in Christum et ejus Matrem.	
Conciones parænetic æ ad Concilium,	2
Acta atque decreta Concilii Lateranensis.	

In posteriore tomo sunt :

Epistolarum libri duo, et Constitutionum decretalium libri quinque.

Observatio.

Qui libros Innocentii tertii edidit, præmisit ante Concilium Lateranense admonitionem, in qua dixit, Concilii illius decreta non a Concilio, sed ab ipso Innocentio post Concilium conscripta, atque edita fuisse : quod inde probat, quia in capitulis quibusdam fit mentio Concilii Lateranensis jam peracti, ac præsertim in cap. 29. 33. et 41. Sed hic auctor, quicumque fuerit, omnino deceptus est, et alios nonnullos scriptores decepit. Siquidem Concilium Lateranense, cujus fit mentio in his capitulis, non est Lateranense sub Innocentio III. sed sub Alexandro III., atque ad hunc errorem tollendum e medio, in editione Romana Conciliorum generalium Græce et Latine editorum. In Concilio sub Innocentio III. notatur ad marginem, ubi sint capitula Lateranensis Concilii sub Alexandro III. ibi citata. Itaque decreta Concilii sub Innocentio III. edita, vere Concilii generalis sunt, et ab ipso Concilio constituta, et edita, non a solo Innocentio post Concilium.

De Gunthero. 1203.

Guntherus Monachus Parisiensis scripsit historiam Constantinopolitanam, quæ tempore suo contigit, quando videlicet Constantinopolis a Latinis capta est, et Balduinus Flander, imperator creatus : quæ historia

exstat apud Henricum Canisium tom. v. pars. 2 antiquæ lectionis.

De Helinando. 1203.

Helinandus Monachus Gallus scripsit historiam ab orbe condito usque ad annum 1212. libris quadraginta octo ; quem auctorem præcipue secuti sunt Vincentius Bellovacensis, et S. Antoninus in historia scribenda. Scripsit etiam sermones, et epistolas, et alia, quæ utrum excusa exstent, ignoro.

De Niceta Choniate. 1205.

Nicetas Acominatus, sive Choniates, floruit post annum 1200. Scripsit enim historiam, quæ exstat Græce, et Latine, ab anno 1118. usque ad annum 1205., id est, ab Imperio Jo. Commeni, Alexii filii, usque ad obitum Baldvini primi ex Latinis imperatoris Constantinopolitani. Dicitur etiam scripsisse libros quinque de fide orthodoxa, Græco idiomate, quos non vidi, sed Parisiis excusos esse accepi.

De Conrado Urspergensi Abbate. 1215.

Abbas Urspergensis, cujus nomen diu fuit incognitum, sed tandem Conradum esse innotuit, vivebat tempore Innocentii III. Pontificis : testatur enim ipse, se anno Dom. 1202. factum Presbyterum, et anno 1207. factum esse Monachum Præmonstratensem : et anno 1215. factum esse Abbatem Urspergensem.

Scripsit historiam, sive chronicum a primo Rege Assyriorum Belo usque ad Fridericum secundum imperatorem, id est, usque ad annum Dom. 1229. et Friderici imperatoris nonum.

Observatio.

Necesse est, hanc historiam, vel non esse unius auctoris, vel Conradum hunc, inservisse aliqua in historia sua, ex scriptis aliorum. Siquidem anno 1102. scribit se Romæ fuisse, cum Paschalis secundus Pontifex feria quinta in Cœna Domini publice imperatorem Henricum excommunicatum pronuntiavit. At ipse (ut paulo ante notavimus) scribit, se anno 1215. factum esse Abbatem Urspergensem : quæ certe non cohærent, nisi forte factus sit Abbas cum esset plusquam centum et quindecim annorum. Sed neque hoc dici potest ; cum ipse idem loquens de initio Pontificatus Innocentii tertii, id est, de anno 1198. dicat, se tunc fuisse in minori ætate, et adhuc laicum : quomodo enim esse poterat in minori ætate, si plusquam centenarius erat ?

Illud quoque observandum est, hunc auctorem, ob amorem erga imperatores suæ nationis, non pauca contumeliosa scripsisse de Innocentio tertio, et Gregorio nono Pontificibus valde piis et doctis : alioqui autem scriptorem esse satis diligentem, et dignum, qui legatur.

De Honorio Augustudunensi. 1220.

Honorius Augustudunensis Presbyter claruit anno Domini 1220. ex Trithemio, qui ei multa opera attribuit, quæ fortasse non exstant. Exstat autem excusa Basileæ anno 1544. summa historiarum, sive chronicum magnum : exstat etiam commentarius in libros Salomonis editus Coloniæ anno 544. Exstat quoque liber inscriptus Gemma animæ, qui liber solet excudi cum auctoribus qui scripserunt de officiis divinis.

De S. Antonio de Padua. 1220.

Sanctus Antonius, de Padua appellatus, quia in ea civitate post multa sanctitatis edita signa, obiit, et in eadem sepultus mirifice honoratur : patria fuit Ulyssiponensis, et vivente adhuc Sancto Francisco, ejus ordinem ingressus, doctrina, et miraculis plurimos convertit, vel ab hæresi ad rectam fidem, vel ab improbis moribus ad pœnitentiam agendam. Exstant ejus conciones tum de tempore, tum de sanctis. Migravit in cœum anno Dom. 1231., et anno sequenti a Gregorio nono Pontifice inter sanctos relatus est.

De S. Raymundo de Pennaforti. 1230.

Sanctus Raymundus de Pennaforti Barcinonensis, Ord. Prædicatorum, floruit tempore Gregorii noni, cujus jussu collegit in unum volumen quinque libris distinctum epistolas decretales summorum Pontificum, ut ipse Gregorius Papa testatur in prooemio Decretalium. Idem scripsit egregiam summam, quæ cum diu manuscripta ferretur, tandem typis mandata est. Obiit senex admodum Barcimonæ anno Dom. 1275. illustris vitæ sanctitate, et miraculorum gloria : et nostro tempore, ac me ipso præsente, in sanctorum numerum relatus est a Clemente octavo summo Pontifice, anno Dom. 1601.

De Gulielmo Autisiodorensi. 1240.

Gulielmus Autisiodorensis Episcopus hoc sæculo scripsit summam Theologicam scholastico more, distinctam in libros, tractatus, capita, et quæstiones. Una ejus sententia notari solet, ut singularis, quod videlicet merita hominum justorum prius et principalius a fide quam a charitate dependeant. Sic enim docet libro tertio, tractatu duodecimo, capite primo, quæstione secunda : et capite secundo quæstione prima. Et quamvis ipse fidem prædicet longe alio sensu, quam Lutherani faciant ; tamen sententia ejus, hoc potissimum tempore, vitanda esse videtur. Vide, si placet, quæ scripsimus libro quinto de justificatione cap. 15.

De Gulielmo Parisiensi. 1240.

Gulielmus Episcopus Parisiensis vivebat anno Dom. 1240. ut colligitur ex articulis quibusdam ab ipso hoc anno damnatis, qui habentur in additione ad libros sententiarum Petri Lombardi.

Vir fuit admodum pius, et doctus : ejus opera hæc exstant Venetiis excusa :

De sancta Trinitate, lib.	1
De primo principio.	1
De Sacramentis,	1
Cur Deus homo,	1
Summa virtutum,	1
Summa vitiorum,	1
De fide, et legibus,	1
De animabus hominum,	1
De bono, et malo,	1
De universo,	6
De professione novitiorum,	1
De dono scientiæ,	1
De operibus virtutum,	1
De remediis tentationum,	1
De pluralitate beneficiorum,	1
De claustro animæ,	1
De rhetorica divina,	1
De pœnitentia,	1
De Dæmonibus,	1
In Hexameron,	1
In Psalterium,	1
In Proverbia Salomonis.	1
In Ecclesiastem,	1
In Cantica canticorum,	1
In Evangelium Matth.	1
Sermonum,	1
Epistolarum,	1

De collatione, et pluralitate beneficiorum Ecclesiasticorum tractatus duo.

De Jacobo a Vitriaco. 1240.

Jacobus a Vitriaco, natione Gallus, S. R. E. Cardinalis, et Episcopus Tusculanus a Gregorio nono creatus, multis laboribus pro Ecclesia Dei perfunctus in Oriente et Occidente, pie obiit anno Dom. 1240., de quo multa narrat Thomas Cantapratensis ejus ferme æqualis.

Scripsit magnum volumen concionum de tempore, in quibus multus est in sacris Scripturis citandis, et exponendis.

Scripsit libros duos historiæ Hierosolymitanæ et Occidentalis.

Item librum unam contra Saracenos.

Item libros duos de vita B. Mariæ Œgniacensis, quia exstant apud Surium, die 23. Junii. Denique scripsit epistolas ad diversos.

De S. Edmundo Cantuariensi. 1240.

Sanctus Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis a Gregorio nono Pontifice creatus, obiit anno Dom. 1240. et paulo post ab Innocentio IV. Pontifice in sanctos relatus fuit.

Scripsit utilem librum, qui speculum Ecclesiæ dicitur ; et exstat in tomo quinto bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2.

De Innocentio IV. 1243.

Innocentius quartus Pontifex, patria Genuensis, vir doctrina et prudentia clarus, sedere cœpit anno Dom. 1243. et obiit anno 1254. Scripsit apparatum super Decretales, brevem, sed eruditum. Scripsisse dicitur etiam alium librum, Novellas, sive authenticas, appellatum, necnon librum de Pontificis auctoritate, et imperatoris juribus contra Petrum de Vineis. Sed hos duos posteriores libros ego non vidi.

De Alexandro de Hales. 1245.

Alexander Halensis, natione Anglus, Ordinis Sancti Francisci, vir doctissimus, et

Sanctorum Bonaventuræ et Thomæ Aquinatis præceptor, scripsit jussu Innocentii Papæ quarti summam Theologiæ egregiam, et copiosissimam, quæ notissima est. Scripsit postillam in tota Biblia : necnon summam virtutum. Obiit anno Dom. 1245. ut testatur Petrus Rodulphus Tossiano in historia Seraphica.

De Hugone de S. Caro. 1245.

Hugo de Sancto Caro, natione Burgundus, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis Sanctæ Sabinæ ab Innocentio quarto Pontifice creatus fuit anno Domini 1244. et pie ac sancte obiit anno 1264.

Scripsit Commentaria brevia in universa sacra Biblia.

Scripsit etiam seorsim in Psalmos : quamvis omnino non constet an Commentaria illa in Psalmos sint hujus Hugonis, an Alexandri Halensis.

Item Hugo excogitavit concordantias Bibliorum, teste Sancto Antonino 3. par. summæ historialis tit. 19. cap. 5. §. 2. et per homines a se delectos opus laboriosissimum perfecit : cui operi (ut facile est inventis addere) posteriorum industria multa addidit.

De Humberto, quinto Generali Prædicatorum. 1245.

Frater Humbertus, patria Viennensis, natione Gallus, quintus Generalis Ordinis Prædicatorum, æqualis fuit Hugonis, quem etiam traxit ad Ordines S. Dominici. Scripsit multa utilia et valde pia, videlicet :

Expositionem regulæ Sancti Augustini.

Librum de septem gradibus contemplationis.

Librum de votis essentialibus religiosorum.

Librum de eruditione concionatorum.

Alium de officiis Ordinis Prædicatorum a Generali usque ad janitorem.

Alium de vitis primorum Patrum sui Ordinis.

Denique sermones, multos valde utiles, qui nuper, id est, anno 1603. recusi sunt Venetiis.

De Matthæo Parisiensi. 1245.

Matthæus Paris, sive potius Parisiensis (sic enim vocatur in ipso ejus libro, et in indice libri) fuit monachus Albanensis in Anglia tempore Henrici tertii regis Anglorum. Scripsit historiam Anglicanam a Willelmo primo usque ad annum tricesimum quintum Henrici tertii, id est ab anno Dom. 1067 usque ad annum 1250. et hoc ipso anno habentur hæc verba : « Hic terminatur fratris Matthæi Parisiensis Monachi S. Albani Chronica, » et ibidem insinuatur ejus mors. Continuavit autem aliquis alius usque ad obitum Henrici tertii, id est, ad annum Dom. 1273.

Observatio.

Hæc historia multa habet scitu digna, præsertim de rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi, de dissidio inter Ecclesiam, et imperium. Sed quoniam edita est ab hæreticis Tigurinis, caute legenda est : non pauca enim leguntur, tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab hæreticis, ad invidiam conflandam Ecclesiæ Romanæ.

De Martino Polono. 1250.

Martinus Polonus natione, Monachus professione, Archiepiscopus dignitate, et Pœnitentiarius Innocentii quarti Pontificis, scripsit Chronicum, in quo breviter res gestas Pontificum et imperatorum persequitur usque ad sua tempora, id est, usque ad Honorium quartum, qui sedere cœpit ad annum Dom. 1285. ; quem auctorem in hoc meo libro non posuissem, nisi citaretur ab historicis Magdeburgensibus, atque ab aliis hæreticis : fuit enim Martinus vir simplex, et fabellas pro historiis obtrudit, qualis in primis est illa de Joanne Papa femina. Quod enim Magdeburgenses dicunt, hanc narrationem de Joanne femina haberi apud Marianum Scotum, et Sigebertum, qui Martinum Polonum præcesserunt, falsum est, ut ostendi in lib. III. de summo Pontefice capitul. 24. nam in impressis codicibus Mariani et Sigeberti irrepsit hæc fabula ex Martini Poloni libro : sed in antiquis manuscriptis non habetur.

De Vincentio Bellovacensi. 1250.

Vincentius Bellovacensis Episcopus ex Ord. Prædicatorum, vixit tempore innocentii quarti Pontificis. Scripsit opera laboriosissima, ac præsertim quatuor specula, Doctrinale, Historiale, Naturale, et Morale.

Doctrinale speculum continet lib. XVII. Tractat de omnibus scientiis a Grammatica usque ad theologiam.

Historiale speculum tradit historias ab initio mundi usque ad annum Domini 1244, sed continuavit aliquis alius usque ad annum Domini 1494.

Naturale speculum continet libros XXXII. et tractat de rebus omnibus, herbis, avibus, etc., et in ultimo libro de locis, et temporibus : et sua tempora dicit fuisse anno Dom. 1250.

Morale speculum continet libros tres, divisos in partes, et distinctiones, et tractat de passionibus animi, de legibus, de gratia, de vitiis et virtutibus copiosissime. Obiit autem anno Dom. 1256. teste Antonio Senensi in bibliotheca Ordinis Prædicatorum, qui Vaseum testem adducit.

De speculo morali, vide infra, ubi de S. Thomæ scriptis disserimus.

De Henrico Card. Episcopo Hostiensi. 1261.

Henricus natione Gallus hortatu Alexandri Papæ quarti scripsit in Epistolas decretales accuratam expositionem. Scripsit celebrem summam multa eruditione canonica plenam. Hic ab Urbano Papa quarto Card. Episcopus Hostiensis creatus, vixit usque ad annum Dom. 1281.

De Guidone Papa 1265.

Guido Grossus, patria Narbonensis, qui postea fuit Clemens Papa quartus : dum in minoribus esset, scripsit plurima ad jus civile pertinentia, cujus juris consultissimus erat. Scripsit etiam in primum et secundum Decretalium. Obiit anno Dom. 1268, pie et sancte, ut semper vixerat.

De Roberto Sorbona. 1256.

Robertus Sorbona tempore Sancti Ludovici Regis Francorum, vir multæ doctrinæ et pietatis, quique collegium Sorbonæ toto orbe celeberrimum Parisiis instituisse dicitur : scripsit opuscula nonnulla, ut de conscientia, de confessione, de itinere ad Paradisum : quæ exstant tomo quinto bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ.

De Alberto Magno. 1265.

Albertus ob sapientiam singularem cognomento Magnus, natione Suevus, professione religiosus, Ordinis S. Dominici, dignitate Episcopus Ratisponensis, ad quam dignitatem ab Urbano quarto Pontifice assumptus fuit : scripsit plurima opera tum philosophica, tum theologica, ac omissis philosophicis, exstat Summa theologiæ, sed imperfecta.

Commentaria in libros sententiarum.

Commentaria in XII. Prophetas minores.

Commentaria in quatuor Evangelia.

De quatuor cœvis liber unus.

De virtutibus liber unus.

De adhærendo Deo liber unus.

Compendium Theologicæ veritatis lib. VII.

Enchiridion de veris perfectisque virtutibus.

Multo plura tribuuntur Alberto a venerabili Patre, F. Antonio Senensi in bibliotheca Prædicatorum, et aliis, quæ an exstant, ignoro. Obiit autem Magnus Albertus anno Dom. 1280.

Observatio.

Inscribuntur libro duo, unus de mirabilibus, et alter de secretis mulierum, Magno Alberto. Sed uterque liber indignus est, qui tanto viro tribuatur : nam superstitiosa quædam continent, et multa vana.

De Thoma Cantapratensi. 1265.

Thomas Cantapratensis, quem alii Gulielmum, alii Henricum appellarunt ; fuit natione Brabantinus, professione religiosus S. Dominici, dignitate Episcopus suffraganeus Archiepiscopi Cameracensis, et auditor Alberti Magni, ut ipse in opera suo testatur, libro secundo cap. ultimo num. 30., condiscipulus S. Thomæ Aquinatis, quem nobilem adolescentem vocat lib. I. cap. 20. num. 10. Scripsit utilissimum opus de proprietatibus apum duobus libris comprehensum, in quo sub figura apum multa scribit de officio Prælatorum, et subditorum ; et miracula, atque exempla sui temporis vere fideliterque describit. Editum est hoc opus Duaci anno 1597, cum annotationibus, et vita auctoris.

Scripsit præterea idem auctor vitam B. Christinæ mirabilis, quæ exstat apud Surium, mense Junio, die vicesimo tertio, et vitam Sanctæ Ludgardis, quæ exstat apud eumdem

mense eodem, die sexto decimo : et addidit unum librum ad vitam sanctæ Mariæ de Œgnies. Scripsit autem magno labore et longo tempore librum de natura rerum, cujus ipse meminit in præfatione libri de proprietatibus apum. Sed hoc opus tam laboriosum non videtur exstare. Dicitur denique hic idem auctor in gratiam Sancti Thomæ vertisse Aristotelem e Græco idiomate in Latinum, de qua re consulat lector vitam hujus auctoris præpositam libris de proprietatibus apum.

De S. Thoma Aquinate. 1265.

Sanctus Thomas Aquinas, natione Italus, patria Neapolitanus, professione religiosus, ordinis Prædicatorum, illustris genere, sed illustrior sanctitate et sapientia : natus est anno Domini 1224. et obiit anno 1274. quo anno obiit etiam sanctus Bonaventura, ejus amicissimus, sed hic mense Martio, ille mense Julio.

Ejus opera (ut sanctus Hieronymus de sancto Cypriano scripsit) sole sunt clariora, ut supervacaneum videatur eorum indicem texere. Describam eorum indicem ex Romana editione, quæ jussu Pii quinti Pontificis maximi confecta censetur omnium optima. Tomi sunt septemdecim.

Primus tomus continet vitam B. Thomæ et Commentaria in libros Perihermenias, et Posteriorum analyticorum.

Secundus tomus continet Commentaria in libros octo Physicorum, in lib. IV. de cœlo, et mundo, et in lib. II de generatione.

Tertius tomus continet commentaria in lib. IV. Meteororum, in lib. de anima, et in parva naturalia.

Quartus tomus continet commentaria in lib. XII. Metaphysicorum. Tractatum de ente, et essentia, cum commentariis Card. Cajetani : et, expositionem in librum de causis.

Quintus tomus continet commentaria in libros X. Ethicorum, et in libros VIII. Politicorum.

Sextus tomus continet commentaria in primum et secundum sententiarum.

Septimus tomus continet commentaria in tertium et quartum sententiarum.

Octavus tomus continet quæstiones disputatas, et quodlibeta.

Nonus tomus continet summam contra gentiles cum commentariis Francisci Ferrariensis.

Decimus tomus continet primam partem summæ Theologiæ cum Commentariis Card. Cajetani, et expositionem S. Dionysii de divinis nominibus.

Undecimus tomus continet primam secundæ, et secundam secundæ cum commentariis Card. Cajetani.

Duodecimus tomus continet tertiam partem cum Commentariis Card. Cajetani.

Tertius decimus tomus continet commentarium in Job : in primam quinquagenam Psalmorum, in Cantica canticorum, in Isaiam, in Hieremiam, et Threnos.

Quartus decimus tomus continet commentaria in Matthæum, et in Joannem.

Quintus decimus tomus continet auream catenam ex Patribus contextam in quatuor Evangelia.

Sextus decimus tomus continet Commentaria in omnes epistolas Sancti Pauli, et sermones de tempore, et de sanctis.

Septimus decimus tomus continet septuaginta tria opuscula, et scriptum secundum in quatuor libros sententiarum, ad Anibaldum Cardinalem.

Observatio prima in opera Sancti Thomæ.

Præter libros in editione Romana numeratos feruntur sub nomine Sancti Thomæ commentaria in Genesim, et in libros Macchabæorum, et in septem epistolas canonicas. Sed commentarium in Genesim a Sancto Antonino tertia parte summæ historialis tit. XVIII. cap. 10. rejicitur, ut spurium. Scribit quidem Antonius Senensis in bibliotheca ordinis Prædicatorum a Sancto Antonino rejici commentarium in Genesim, quod tunc exstabat : non illud, quod nuper inventum et editum est. Sed cum ego commentarium nentrum viderim, non possum de hac re ferre judicium. De commentario in libros Macchabæorum Lutetiæ excuso, non habeo quod dicam, quia commentarium illud non vidi. Commentaria vero in epistolas canonicas videntur mihi erudita, et digna ingenio Sancti Thomæ, præsertim cum in iis cernatur stylus, et modus procedendi Sancti Thomæ, neque obstat, quod in editione Romana hoc opus non recenseatur. Siquidem eo tempore hoc opus nusquam inveniebatur, et primum in lucem prodiit Antwerpiæ anno 1592.

Observatio secunda.

Ex opusculis, quæ Sancto Thomæ tribuuntur, aliqua sunt, quæ non est certum esse germana ejus opera ; quæ quia in editione Romana notata sunt diversitate characteris, de illis nihil dicam. In aliis unum est, quod inscribitur de regimine Principum ad regem Cypri : quod mihi multis de causis suspectum semper fuit, primum quia lib. III. cap. 20. scribit auctor hujus operis suo tempore accidisse, ut Adolphus imperator Rodulpho et Albertus Adolpho succederet. Et Sanctus Thomas obiit anno 1274. Adolphus autem Rodulpho successit anno 1292. et Albertus Adolpho anno 1299. Posset quidem fieri, ut ista verba ex margine annotata ab aliquo posteriore *in textum* irrepserint : sed oratio continuata non videtur admittere istam responsionem. Deinde lib. III. cap. 10. non semel vocat iste auctor summum Pontificem Christi successorem, quod improprie dictum esse nemo nescit, qui Christum Pontificem æternum esse novit, cui nemo succedit, sed omnes ministrant : at Sanctus Thomas ita improprie loqui non solet. Præterea iste auctor stylum habet a stylo Sancti Thomæ valde diversum : hic enim presse et breviter scribit, et multa paucis complectitur ; ille contra verbis abundat, et panca multis explicat. Adde, quod hic auctor non pauca levia profert, de nominibus magistratuum lib. III. cap. 22. et lib. IV. cap. 26., quæ sancto Thomæ nunquam excidissent, quæ causæ fortasse fuerunt, ut in editione Lovaniensi anni 1562. libri isti de regimine principum inter opuscula Sancti Thomæ adscripta non inveniantur. Adde ultimo, cum Sanctus Thomas scripserit septem libros de eruditione principum, plane utilissimos, qui habentur inter opuscula Romæ edita, non videbatur necessarium, ut scriberet etiam de regimine principum.

Observatio tertia.

Mirum est valde, quod magna pars primæ secundæ, et secundæ secundæ inveniantur iisdem verbis in primo, et tertio libro speculi moralis Vincentii Bellovacensis, et quidem non videtur Vincentius potuisse speculum suum morale conficere ex doctrina et verbis Sancti Thomæ, cum ipse obierit anno Domini 1256. ut testatur Antonius Senensis ex Vasæo, in bibliotheca Patrum Prædicatorum : et Sanctus Thomas obierit anno Domini 1274, et in extrema ætate summam theologiæ confecerit. Sed neque est ullo modo credibile Sanctum Thomam summæ suæ partem secundam, eamque nobilissimam, ex alio scriptore hausisse. In his angustiis nihil mihi occurrit, nisi speculum illud morale fortasse non esse Vincerii Bellovacensis, sed alicujus auctoris posterioris, qui fortasse Vincentius etiam diceretur, quique secundam partem Sancti Thomæ in compendium redigere voluerit. Id quod videtur posse confirmari ex eo quod speculum morale gravius multo esse videtur, quam sint speculum doctrinale, naturale, et historiale, quæ tria sino ullo dubio sunt Vincentii Bellovacensis.

De sancto Bonaventura. 1265.

Sanctus Bonaventura natione Italus, patria Balneoregiensis, ordinis Sancti Francisci Minister Generalis, ac postea Albanensis Episcopus, et Cardinalis a Gregorio decimo creatus, non in feriis Pentecostes, et in Lugdunensi Concilio, ut multi scribunt, sed ante Concilium, et forte in quatuor temporibus Decembris anni 1273. Nam in ipso Concilio Lugdunensi, quod Romæ nuper est editum, invenitur Sanctus Bonaventura Cardinalis residere cum cæteris in prima sessione, prima autem sessio celebrata est anno 1274., die 7. Maii, triduo ante Ascensionis festum. Vir fuit sanctissimus, et doctissimus, et multa scripsit, quæ Romæ edita sunt jussu Sixti V. Pontificis in octo tomos distributa.

Primo tomo continentur, principium sacræ Scripturæ, expositio in Hexameron, id est, sermones viginti tres in diversa loca Hexameron ex ore dicentis ab auditoribus excerpta. Expositio item in Psalterium, in Ecclesiastem, in Sapientiam, in Lamentationes Hieremiæ Prophetæ.

Secundo tomo continentur, expositio in caput sextum Matthæi, expositio in Evangelium Sancti Lucæ, postilla in Evangelium sancti Joannis, et collationes in eumdem.

Tertio tomo continentur, sermones de tempore, et de sanctis.

Quarto tomo continentur, commentaria in primum et secundum librum Magistri Sententiarum.

Quinto tomo continentur, commentaria in tertium, et quartum librum sententiarum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sexto tomo continentur prima et secunda pars opusculorum; videlicet prima pars quæ est :

De reductione artium ad theologiam.
Breviloquium.
Gentiloquium.
Pharetra.
Declaratio terminorum theologiæ.
Principium compendiosum in libros Sententiarum.
Quatuor libri Sententiarum carmine digesti.
De quatuor virtutibus cardinalibus.
De septem donis Spiritus sancti.
De tribus ternariis peccatorum.
De resurrectione a peccata ad gratiam.
Diæta salutis.
De Ecclesiastica hierarchia.

Secunda pars :

Soliloquium.
De meditatione vitæ Domini nostri Jesu Christi.
Libellus meditationum.
De septem gradibus contemplationis.
De quinque festivitatibus pueri Jesus.
Officium de Passione Dominica.
De Sancta Cruce laudatio.
Lignum vitæ.
Speculum de laudibus B. Mariæ.
De corona Beatæ Mariæ.
De compassione ejusdem.
Philomela passioni Domini aptata per septem horas.
De septem verbis Domini in cruce.
Psalterium B. Mariæ majus.
Psalterium ejusdem minus.
In salutationem Angelicam.
In Salve Regina.

In septimo tomo continetur pars tertia opusculorum, quæ est :

De institutione vitæ Christianæ.
De regimine animæ.
Speculum animi.
De decem præceptis.
De gradibus virtutum.
Itinerarium mentis in Deum.
De septem itineribus æternitatis.
Stimulus divini amoris.
Parvum bonum, sive incendium amoris.
Amatorium.
Exercitiorum spiritualium libellus.
Fascicularius.
Viginti quinque memorialia.
Confessionale.
De ratione confitendi.
De puritate conscientiæ.
De præparatione Sacerdotis ad Missam.
Expositio Missæ.
De sex alis Cherubim.
De sex alis Seraphim.

Octavo tomo continetur pars quarta opusculorum, quæ est,

De triplici statu religiosorum.
Speculum disciplinæ propter novitios.
Viginti passus novitiorum.
In regulam novitiorum.
De processu religionis.
De contemptu sæculi.
De reformatione mentis.
Alphabetum parvum boni Monachi.
De perfectione vitæ ad sorores.
Declaratio regulæ Minorum.
Quæstiones circa eamdem regulam.
Quare fratres Minores prædicent, etc.
De paupertate Christi.
Quod Christus et Apostoli nudis pedibus incedebant.
Apologia Evangelicæ paupertatis.
Contra calumniatorem regulæ Franciscanæ.
Apologeticus in eos qui ordini Minorum adversantur.
De non frequentandis quæstionibus.
Collationum libellus ad fratres.
De reformandis fratribus, ad ministros Provinciales.
Appendix continet compendium theologiæ.
De essentia, invisibilitate, et immensitate Dei.
De mystica theologia.

Obiit vir S. Deo et hominibus amabilis valde, anno Dom. 1274. mense Julio, die quinta decima, quæ erat Dominica, sub auroram, in Concilio Lugdensi, ut in ipso Concilio legitur.

De Petro Tarantasiensi. 1265.

Petrus Tarantasiensi ordinis S. Dominici Cardinalis Hortiensis a Gregorio X. Pontifice cum S. Bonaventura creatus, ipsi Gregorio succedens, et Innocentius V. appellatus; quinto mense obiit, anno Dom. 1276.

Scripsit in quatuor libros Sententiarum : dicitur etiam scripsisse in Pentateuchum, in Psalmos, in Evangelium Lucæ, et in epistolas S. Pauli; et denique compendium Theologiæ. Non defuerunt, qui plusquam centum propositiones ejus reprehenderent : sed jussu Joannis Vercellensis Magistri generalis Ordinis prædicatorum a S. Thoma defensæ sunt, ut ex opusculo ejus perspicuum est.

De Henrico Sterone. 1265.

Henricus Stero Monachus Chronicam scripsit ab anno 1. Friderici I. usque ad Rodulphum Aspurgium, id est, ab anno Dom. 1152, usque ad annum 1273. vide Henricum Canisium tomo 1. antiquæ lectionis.

De Udalrico Argentinensi. 1280.

Udalricus de Argentina ordinis prædicatorum, et Alberti Magni auditor, scripsit in libros quatuor Magistri Sententiarum : et summam Theologiæ, ac librum de anima, claruit anno Dom. 1280.

De Ruperto de Russia. 1280.

Rupertus, sive Robertus de Russia, ordinis Minorum, claruit eodem tempore, et circa annum Dom. 1280. Scripsit commentaria in quatuor libros sententiarum : expositionem regulæ S. Francisci, et librum de anima.

De Gulielmo Durante. 1230.

Gulielmus Durantes, dictus Speculator, natione Vasco, Episcopus Mimatensis, jure consultus insignis, scripsit Speculum in tria volumina distinctum ad Cardinalem Othobonum, qui fuit postea Hadrianus Papa V. Scripsit etiam rationale divinorum officiorum libris octo, et repertorium juris, et commentaria in Canones Concilii Lugdunensis. Vivebat tempore Nicolai III Pontificis anno Dom. 1280.

De Guidone Archidiacono. 1283.

Guido Baifius, Archidiaconus Bononiensis, scripsit commentarium in decretum Gratiani, quod Rosarium appellavit. Scripsit etiam in epistolas decretales : claruit anno 1283.

De Ægidio Romano. 1290.

Ægidius Romanus ex nobili familia Columnensium. Ordinis S. Augustini prior generalis, ac postea Archiepiscopus Bituricensis, S. Thomæ auditor, et ejus doctrinæ defensor acerrimus, plurima scripsit tum philosophica, tum theologica; sed magna ex parte non exstant, nisi manuscripta in variis bibliothecis. Quæ exstant theologica impressa, hæc sunt :

In primum et secundum sententiarum commentaria.
In Hexamerun libri duo.
In Cantica canticorum lectiones novem decim.
In epistolam ad Romanos lectiones.
In cap. Firmiter, et in cap. Marthæ expositio.
In orationem Dominicam, et salutationem Angelicam explanatio.
Tractatus de corpore Christi, de distinctione articulorum Fidei, et de arca Noe.
Theoremata de Sacramento altaris et de corpore Christi.
Tractatus de renuntiatione Papæ.
Libellus scriptus occasione clerici minus sufficienter ad Subdiaconum promoti.
Quomodo Reges possint bona regni Ecclesiis elargiri.
De regimine principum libri tres.
Quodlibeta.
Tractatus contra exemptos.
De divina influentia in beatos.
De laudibus divinæ sapientiæ.
De defectu malorum culpæ.
De prædestinatione, præscientia, paradiso, et inferno.
De peccato originali.
Castigatorium in corruptorium librorum Thomæ Aquinatis.

Exstat etiam manuscriptus liber, quem ego vidi, De potestate Ecclesiastica.

Ex philosophicis hæc habentur typis mandata :

In metaphysicam Aristotelis, expositio.
In ejusdem libros de anima.
In ejusdem libros de generatione.
In ejusdem libros priores analyticos.
In ejusdem libros rhetoricorum.
De materia cœli.
De formatione corporis humani.
Super auctorem libri de causis.
De esse, et essentia.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De motu Angelorum.
De mensura Angelorum.
De cognitione Angelorum.

Sed hi tres postremi tractatus possunt inter opera theologica numerari. Floruit hic auctor circa annum Dom. 1290.

Observatio.

Opusculum in orationem Dominicam, et salutationem Angelicam, et tractatus de corpore Christi ; non sunt omnino certa opera Ægidii. Solet citari liber in quartum Sententiarum nomine Ægidii, ut etiam liber de intellectu possibili contra Averroem et de gradibus formarum : sed utrum ii libri existent, ignoro.

De Raymundo Lullo. 1290.

Raymundus Lullus ex insula Majorica, vixit tempore Philippi Pulchri Regis Francorum, circa annum Domini 1290. Scripsit lingua sua vulgari, multa opera, quorum aliqua versa sunt in linguam Latinam, ut ars magna, et parva. Hunc Raymundum Eimericus in directorio Inquisitorum, scribit accusatum fuisse ad Gregorium XI. Papam, vel potius accusata fuisse scripta ejus, quod continerent plusquam trecentos errores : et Bernardus de Lutzemburgo Raymundum hunc ponit in Catalogo Hæreticorum. Contra autem non desunt, qui eumdem Raymundus colant, et S. Martyrem, et vocent Doctorem illuminatum, et scripta ejus orthodoxa esse confirment : de qua re editus est liber anno 1604. cum hac inscriptione : « Sententia definitiva in favorem Lullianæ doctrinæ juris ordine, et Apostolica auctoritate lata, et in veritatis triumphum, inque gloriosæ vindicationis memoriam, denuo impressa, et principalibus rescriptis munita. » Quid in hac controversia tenendum sit, nondum videtur esse definitum ab Apostolica Sede, cum tam directorium Eimerici, quam liber illi oppositus, publice, et sine prohibitione legatur.

De Richardo de media Villa. 1290.

Richardus de media Villa, natione Anglus Ordinis S. Francisci, scripsit in libros quatuor Sententiarum dilucida commentaria, in quibus S. Thomæ doctrinam imitari visus est.

Scripsit etiam in quatuor Evangelia, et in regulam Fratrum Minorum, et contra Petrum Joannem librum unum. Dicitur etiam scripsisse de Conceptione B. Virginis, et in epistolas S. Pauli, et de ordine judiciorum, quod an ita sit, non mihi constat.

De Henrico Gandaversi. 1290.

Henricus a Gandavo natione Belga Archidiaconus Tornacensis, vir doctissimus, scripsit egregium opus quodlibetorum. Item summam quæstionum ordinariarum. Item de Virginitate, et pœnitentia. Denique etiam commentaria in libros physicorum, et metaphysicorum Aristotelis. Dicitur etiam scripsisse librum De viris illustribus. Obiit anno Domini 1293.

De Joanne Parisiensi. 1296.

Joannes Parisiensis, ordinis Prædicatorum, claruit circa annum 1296. Scripsit in quatuor libros Sententiarum, et, quoblibeta varia : sed præcipue de potestate regia, et Papali : et quoniam incidit in tempora turbulenta ob discordiam inter Bonifacium VIII. Pontificem, et Philippum Pulchrum Regem Gallorum, et ipse Parisiis agebat, et docebat, videtur propensior fuisse erga regem, quam erga Pontificem.

De Dino Mugelano. 1299.

Dinus Mugelanus scripsit in titulum de regulis juris in sexto, claruit tempore Bonifacii Papæ VIII. anno 1299.

SÆCULUM DECIMUM QUARTUM AB ANNO 1300. AD 1400.

De Joanne Duns Scoto.

Joannes Duns Scotus, natione Anglus, ordinis minorum, vir fuit acutissimo ingenio præditus, et cum docuisset primum Oxonii, deinde Parisiis, immatura morte diem extremum obiisse dicitur anno Domini 1308. Scripsit hæc.

Scriptum Oxoniense in quatuor libros Sententiarum.
Scriptum Parisiense in eosdem libros.
Librum quodlibetorum
Librum collationum Parisiensum.
Librum de primo principio rerum.

Librum theorematum.
Librum de cognitione Dei.
Tetragrammata quædam.
Sermones de tempore, et de sanctis.
Commentaria in Genesim, in Evangelia, et in Epistolas, valde obscura.

Item in philosophicis.

Scripsit quæstiones in Porphyrium, item in Aristotelis prædicamenta perihermenias, priora, posteriora, Elenchos, de anima, metaphysica, et physica.

De Augustino Anconitano. 1301.

Augustinus Triumphus patria Anconitanus professione religiosus Sancti Augustini, vir pius, et doctus, floruit ad initium anni 1300. sed obiit anno 1328. cum esset annorum octoginta quinque, ut ex inscriptione sepulcri ipsius constat, quod habetur Neapoli in Ecclesia Fratrum Eremitarum Sancti Augustini. Scripsit egregiam summam de potestate Ecclesiæ, quæ exstat Romæ edita anno 1584. Scripsit etiam commentarium in Canticum Beatæ Virginis Mariæ, quod exstat Romæ excusum anno 1590. Scripsit plurima alia tum in sanctam Scripturam, tum in Magistrum Sententiarum, tum etiam in Aristotelem, et sermones, ac tractatus varios, qui exstare dicuntur in Bibliotheca Vaticana.

De Barlaamo. 1303.

Barlaamus Episcopus Hieracensis, vixit circa annum Dom. 1303. et scripsit Epistolas multas ad Græcos de unione cum Ecclesia Romana, quas edidit Henricus Canisius num. 6. antiquæ lectionis.

De Diffrido. 1303.

Siffridus Presbyter Misnensis eodem tempore scripsit epitomen historiarum libris duobus comprehensam ab anno Domini 458. usque ad annum Dom. 1007. Exstat hoc opus impressum cum aliis historicis Germaniæ.

De Nicephoro Callisto. 1305.

Nicephorus Callistus historicus Græcus, vixit tempore Andronici Senioris imperatoris, cui dedicavit historiam suam : proinde vixit post annum Dom. 1300. Historia, quæ nunc exstat Nicephori Callisti, continetur libris octodecim, et incipit a nativitate Christi, ac desinit in annum ejusdem 625. Credibile autem est, multo plures ab eo libros scriptos fuisse, sed periisse.

Porro in historia hujus auctoris, ut Græci, et Schismatici, non mirum videri debet, si inveniantur errores proprii Græcorum, ut de processione Spiritus sancti a solo Patre, in ipsa præfatione. Magis mirum est, inveniri non paucos errores in rebus historicis, ut ex annalibus Card. Baronii constat.

De Eberardo. 1205.

Eberardus Archidiaconus Ratisponensis scripsit chronicum ab anno 1273. usque ad annum 1305. Vide Henricum Canisium primo tomo antiquæ lectionis.

De Petro Aureolo. 1317.

Petrus Aureolus ordinis Minorum, ex Provinciali Aquitaniæ, Archiepiscopus Aquensis, floruit anno Dom. 1317. et multa scripsisse dicitur, sed commentarium in primum librum sententiarum, idque solum Romæ impressum vidi, anno 1596.

Citantur multa ex Aureolo apud Joannem Capreolum, sed ea typis mandata non exstant.

De Antonio Andreæ. 1317.

Antonius Andreæ, natione Aragonius, Ord. Sancti Francisci, Scoti discipulus, scripsit in quatuor libros sententiarum : quod criptum editum est Venetiis anno 1578.

De Durando a Sancto Portiano. 1320.

Durandus a Sancto Portiano, natione Gallus ordinis Prædicatorum, et Episcopus Meldensis, Theologus insignis, scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum Commentaria satis dilucida, in quibus quamvis nonnulla scripserit, quæ a communi Doctorum sententia abhorrent, quædam etiam ab Ecclesia improbata sunt, ipse tamen in præfatione commentarii sui in Magistrum, dissertis verbis asseruit ad Ecclesiam Catholicam Romanam pertinere judicium de doctrina, seque omnia sua scripta ejusdem Ecclesiæ censuræ submittere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Scripsit etiam librum egregium de origine jurisdictionum. Floruit circa annum Dom. 1320.

De Herveo Natali. 1320.

Herveus Natalis Brito, ordinis Prædicatorum Magister generalis, et Durandi æqualis, ac Theologus doctissimus. Scripsit in Epistolas Sancti Pauli, quod opus habetur inter opera Sancti Anselmi, ut supra diximus.

Scripsit etiam in quatuor libros Magistri sententiarum.

Item scripsit tractatum de potestate Papæ.

Alium de sacramentis.

Alium de Christi et Apostolorum paupertate.

Alium de utraque potestate Papali, et regali.

Alium de beatitudine.

Item scripsit quodlibeta.

Item librum adversus Durandum, in iis, in quibus a Sancto Thoma dissentit;

Et seorsum librum de unitate formarum contra eumdem.

Nec non libros aliquot contra Henricum a Gandavo.

Et multa alia philosophica scripsit,

De materia cœli,

De æternitate mundi,

De voluntate,

De secundis intentionibus.

Denique scripsit de Verbo.

De motu Angeli,

De relationibus.

Obiit anno Domini 1325.

De Francisco Mayrone 1320.

Franciscus Mayronis natione Scotus: professione Religiosus ordinis Sancti Francisci, Scoti discipulus, vixit tempore Joannis XXII Papæ, anno Dom. 1320.

Scripsit commentaria in libros quatuor Magistri sententiarum.

Item quodlibeta.

Formalitates.

De primo principio.

De expositione divinorum nominum.

Et de univocatione.

Quæ omnia simul edita sunt Venetiis anno 1520 et 1556.

Scripsit præterea Quadragesimale, et Sermones de sanctis.

Item de paupertate Christi, et Apostolorum.

De virtutibus, et vitiis capitalibus.

De articulis fidei.

De Baptismo.

De humilitate.

De indulgentiis.

De corpore Christi.

De angelis.

De suffragiis defunctorum.

De pœnitentia.

De jejunio.

De ultimo judicio.

De septem donis Spiritus sancti.

Quæ omnia jam olim impressa fuerunt Basileæ.

De Gulielmo Ockam. 1320.

Gulielmus Ockam natione Anglus, ordinis Minorum, Scoti discipulus, et æqualis Francisci Mayronis, vir doctus, sed fautor Ludovici imperatoris quarti, nimis ardens ob quam causam in aliquos errores lapsus meruit, ut in indice librorum prohibitorum ejus nomen poneretur.

Scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum.

Librum quodlibetorum.

De fautoribus hæreticorum.

De Sacramento altaris.

Compendium Theologiæ.

De actibus hierarchicis.

De ingressu scientiarum.

De paupertate Apostolorum

De potestate Pontificum, et imperatorum.

Opus nonaginta dierum, et dialogos, quæ duo opera cum aliis contra Joannem XXII. scripsit interdicta sunt in indice librorum prohibitorum.

De Monaldo. 1320.

Monaldus Damalta ordinis Minorum, et postea Archiepiscopus Beneventi, scripsit summam Juris canonici, quæ aurea dicitur, et impressa fuit Lugduni anno Dom. 1516.

Scripsit etiam quæstiones in quatuor libros sententiarum, et sermones. Obiit anno Dom. 1332. Martyrio coronatus apud Saracenos, ut testatur Antonius Possevinus in apparatu sacro, tomo secundo.

De Nicolao Lirano 1320.

Nicolaus Liranus ex Judaismo conversus ad fidem Christianam, et ordine Minorum assumpto, scripsit Commentarium, sive postillam in universa Biblia: quod opus notissimum est; et recognitum impressum est Lugduni anno 1590.

Scripsit præterea librum de corpore Christi.

Sermones de tempore, et de sanctis.

Librum contra Judæos.

Commentaria in quatuor libros sententiarum.

Quæstiones veteris et novi Testamenti.

Tractatum de visione Dei.

Expositionem decem præceptorum.

Tractatum de idoneo ministrante, et suscipiente Sacramentum altaris. Obiisse dicitur anno Dom. 1359.

De Pelagio Alvaro. 1320.

Pelagius Alvarus, natione Hispanus, religiosus Ordinis Minorum, et Episcopus Sylvensis, vixit tempore Joannis XXII Pontificis defensor acerrimus fuit.

Scripsit insigne opus de planctu Ecclesiæ.

Apologiam contra Gulielmum Ockam.

Speculum regum.

Et in libros Magistri sententiarum.

De Petro Bertrando. 120.

Petrus Bertrandus Episcopus Edvensis, postea Cardinalis, vir doctissimus, disputavit de libertate Ecclesiæ contra Petrum de Cugnet, coram Philippo rege Francorum, anno 1329, et ea disputatio habetur tomo IV. bibliothecæ SS. Patrum. Scripsit etiam librum de origine et usu Jurisdictionum, sive de spirituali et temporali Potestate. Obiit anno 1348, 14. Junii.

De Nicephoro Gregora. 1330.

Nicephorus Gregoras, historicus Græcus, vivebat anno Domini 1344, ut ex fine operis illius intelligi potest.

Scripsit libros undecim de rebus imperii orientalis ab eo tempore quo imperium orientale devenit in potestatem Latinorum, et perduxit historiam usque ad obitum Andronici junioris, id est, ab anno Dom. 1200. usque ad annum 1344.

De Petro Paludano. 1330.

Petrus Paludanus natione Burgundus Ord. Sancti Dominici, Patriarcha Hierosolymitanus, vir pius, et doctus, claruisse dicitur anno Dom. 1330.; tametsi alii eum posteriorem faciunt, sed nulli eum collocant ante annum Dom. 1400.

Scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum, sed non exstant, quod sciam, Commentaria ejus, nisi in tertium et quartum librum.

Scripsit etiam tractatum egregium de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis.

Scripsit quoque sermones de tempore, qui editi sunt Antwerpiæ anno 1572. multa alia scripsisse fertur, quæ non exstant typis excusa.

De Joanne Villano 1330.

Joannes Villanus historicus Florentinus, vixit tempore Joannis XXII Pontificis, et successorum ejus Benedicti XII. et Clementis VI. et obiit anno 1348.

Scripsit historiam universalem temporis sui satis accurate, quamvis etiam leviter attigerit priora tempora ab erectione turris Babyloniæ, usque ad sua tempora.

Scripsit autem idiomate Italico, et totam historiam libris duodecim comprehensam perduxit ad annum Dom. 1348.

Quamvis autem propositum ejus fuerit scribere historiam civitatis Florentiæ: tamen multa commemorat utilia de rebus Ecclesiasticis, quæ ab aliis minus fideliter narrata fuisse inveniuntur.

De Guidone Carmelita. 1330.

Guido natione Catalanus, Prior generalis Ordinis Carmelitani, ac postea Episcopus Majoricensis, scripsit ingens volumen de omnibus hæresibus: quod exstat impressum Parisiis. Multa alia scripsisse fertur, quæ ad manus meas non pervenerunt. Claruit anno 1330.

De Astesano Astensi. 1330.

Astesanus Astensis scripsit summam casuum conscientiæ libris octo, quæ typis, mandata fuit Venetiis. Vivebat anno Dom. 1330.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De Adamo Goddam. 1330.

Adamus Goddamus, Anglus, scripsit Commentaria in quatuor libros sententiarum, quæ edita fuerunt Parisiis anno 1512. Vivebat auctor anno 1330.

De Landulpho Carthusiano. 1330.

Landulphus, sive Ludolphus natione Saxo, professione Carthusianus, vir valde pius, scripsit historiam vitæ Domini nostri Jesu Christi ex Evangeliis depromptam. Scripsit etiam Commentaria in Psalmos, juxta sensum præcipue spiritualem, claruit circa annum Dom. 1330.

De Lupoldo Bambergensi. 1330.

Lupoldus Bambergensis, vir eruditus, æqualis Landulphi Carthusiani, scripsit librum de juribus imperii, in quo multa admiscet ad historiam Ecclesiasticam utilia.

De Joanne Andreæ. 1330.

Joannes Andreas Bononiensis Jureconsultus doctissimus floruit tempore Joannis XXII. Papæ, sed obiit anno 1348. Scripsit in quinque libros decretalium, quod opus Novellas appellavit. Scripsit etiam glossas in sextum, et Clementinas, addidit quoque ad speculum Gulielmi Durantis.

De Bartholomæo Pisano. 1335.

Bartholomæus Pisanus ordinis Prædicatorum edidit summam, quæ dicitur Pisanella, quam imitatus est Angelus de Clavasio.

De Joanne Calderino 1340.

Joannes Calderinus Bononiensis filius adoptivus Joannis Andreæ, scripsit in libros Decretalium. Item consilia, et decisiones.

De Joanne de Baccone. 1340.

Joannes de Baccone Anglus, et Ordinis Carmelitarum, Prior Provincialis, Theologus, et Philosophus doctissimus, floruit tempore Clementis VI. Pontificis, et obiisse dicitur anno 1346. Scripsit commentaria in quatuor Magistri sententiarum; compendium legis Christi; et quodlibeta, quæ typis excusa exstant. Alia permulta scripsisse dicitur, quæ non vidi.

De Alberico. 1341.

Albericus Roxiatus Bergomensis, scripsit in sextum decretalium.

De Simone de Cassia. 1340.

Simon de Cassia, natione Hernicus, religiosus Ordinis sancti Augustini, admodum pius, vixit eodem tempore quo Joannes de Baccone et obiit Florentiæ anno Domini 1348.

Scripsit libros quindecim de rebus gestis Domini salvatoris.

Scripsit etiam librum de speculo Crucis.

Librum epistolarum ad diversos.

Scripsit quoque lingua Italica libros duos de vita Christiana, et expositionem symboli Apostolici.

De Henrico Susone.

Henricus Suso natione Germanus, ordinis Sancti Dominici, vir fuit piissimus, et devotissimus.

Scripsit horologium sapientiæ,

Librum de novem rupibus.

Meditationes de Passione Domini, et alia. Vivebat anno 1340.

De Roberto Holkoth. 1349.

Robertus Holkoth, natione Anglus, professione Dominicanus, scripsit in librum Sapientiæ lectiones 213.

Item lecturam in Cantica canticorum : et in septem priora capita Ecclesiastici.

Scripsit etiam commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, et alia quædam. Floruit circa annum Dom. 1349.

De Thoma Argentinensi. 1350.

Thomas de Argentina, natione Germanus, ordinis Sancti Augustini Prior generalis, vixit tempore Clementis VI. et obiit Viennæ anno 1357.

Scripsit commentaria in Magistri Sententiarum libros.

Scripsit etiam quæstionum e sacris Scripturis solutiones.

Sermones, et Epistolas, et librum meditationum.

De Nicolao Cabasila. 1350.

Nicolaus Cabasilas Græcus, vixit tempore J. Cantacuzeni imperatoris, vel potius tyranni. Fuit vir valde doctus, et Archiepiscopus Thessalonicensis, sed schismaticus. Scripsit tomos sex de vita in Christo, qui Latine impressi sunt Ingostadii. Exstant etiam libri de tribus Sacramentis, Baptismo, Unctione, et Eucharistia, impressi ibidem. Exstat explicatio Liturgiæ apud Bignæum in Bibliotheca Patrum tomo VI. edit. 2. ex qua caput. 29 et 30. omnino expungenda essent, vel cautissime legenda. Denique præter alia multa, scripsit de processione Spiritus sancti contra Latinos, ubi se hostem Ecclesiæ aperte demonstrat. Sed hunc librum impressum non vidi.

De Gregorio Ariminensi. 1350.

Gregorius Ariminensis, æqualis, fuit Thomæ Argentinensis, et ejusdem Ordinis S. Augustini Prior generalis.

Scripsit Commentarium in primum et secundum librum Magistri sententiarum.

Scripsit etiam in Epistolas S. Pauli, et in epistolam S. Jacobi.

De Richardo Armachano. 1350.

Richardus Radulphus, Archiepiscopus Armachanus, vixit tempore Innocentii VI Pontificis, et obiit anno 1559.

Scripsit libros novem decem adversus errores Armenorum.

Observatio.

Hic auctor, caute valde legendus est, præsertim libro X. contra Armenos cap. 4. et cap. 23. et 24. et lib. XI. cap. 4. et sermone primo, et 4. in quibus locis multos errores habet de potestate Presbyterorum, de paupertate Christi, et de statu religiosorum Mendicantium : consulat lector Thomam Valdensem, qui errores Armachani, et Jo. Wiclefi, qui ab Armachano aliqua accepit, diligenter refutat : consulat etiam, si placet, quæ nos scripsimus lib. de Monachis cap. 45 et 46.

De Francisco Petrarcha. 1350.

Franciscus Petrarcha, patria Florentinus, Archidiaconus Parmensis, et Canonicus Patavinus, lusit aliquando elegantissimus versibus Italicis, amores suos erga Lauram, seu veros, seu conflictos, ut haberet materiam exercendæ Musæ : sed pœnitentia ductus, et tempus in cantiunculis illis consumptum deflevit, et in solitudine positus vitam Christiano et pio homine dignam egit, et multa opera gravia atque utilia scripsit, ac tandem pie sancteque obiit anno Dom. 1374. ætatis suæ 70.

Ejus opera quatuor tomis continentur.

In primo tomo hæc habentur :

De remediis utriusque fortunæ, lib.	2
De vita solitaria,	2
De otio Religiosorum,	2
De vera sapientia, dialogi	2
De contemptu mundi, dialogi	3
Septem psalmi pœnitentiales ad imitationem Davidis.	
De rep. optime administranda. lib.	1
De officio et virtutibus imperatoris, lib.	1
Rerum memorabilium, lib.	4
Epitome vitarum virorum illustrium.	
De pacificanda Italia exhortatio.	
Ad veteres Rom. reip. defensores oratio	
De libertate capessenda hortatoria oratio ad Nicolaum Laurentium.	
De obedientia, et fide uxoria.	
De avaritia vitanda.	
Itinerarium Syriacum.	

In tomo secundo hæc sunt :

Epistolarum familiarium, lib.	8
Epistolarum ad quosdam ex veteribus illustriores,	1
Epistolarum sine titulo,	1
Epistolarum de rebus senilibus,	16
Epistolarum variarum,	1
De sui ipsius, et multorum ignorantia,	1
Galli anonymi in Petrarcham invectiva.	
Apologia Petrarchæ contra Gallum.	
In medicum quemdam invectivarum, lib.	4

In tertio tomo sunt :

Epistolæ octo de Laurea sumenda.
Privilegium receptæ Laureæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Eclogæ duodecim.
Africæ, sive de bello Punico carminum, *lib.* 9
Epistolarum carmine scriptarum, 3
Testamentum Petrarchæ.
In quarto tomo sunt carmina Italica.

De Nicolao Gorram. 1350.

Nicolaus de Gorram, natione Gallus, Ordinis Prædicatorum, vivebat anno Dom. 1350.

Scripsit commentaria in Pentateuchum,
In Psalmos,
In Cantica,
In Ecclesiastem,
In Ecclesiasticum,
Item in Hieremiam,
In Evangelia,
In Epistolas S. Pauli,
In Epistolas Canonicas,
In Apocalypsim.

Denique etiam in libros sententiarum Magistri.

De Alphonso Vargas. 1359.

Alphonsus Vargas Hispanus, Archiepiscopus Hispalensis, obiit anno 1359. Scripsit in primum Sententiarum, et in libros de anima : quæ impressa sunt Venetiis anno 1566.

De Joanne Taulero. 1350.

Joannes Taulerus natione Germanus, ordinis sancti Dominici, concionator insignis, et piissimus, scripsit :

Sermones de perfectione vitæ interioris :
Tractatus de virtutibus.
Epistolas ad diversos.
Cantica spiritualia.
De novem gradibus Christianæ perfectionis.
Speculum et exemplar Domini nostri Jesu Christi.
Exercitia de vita et Passione Christi.

Vixit circa annos Domini 1350.

Porro hunc virum, ut suspectum circa fidem, contempsit Joannes Eckius; sed egregie eum defendit Ludovicus Blosius.

De Manuele Caleca. 1375.

Manuel Caleca, Græcus, vir doctus, scripsit librum contra errores Græcorum pro latinis, quem vertit in Latinum idioma Ambrosius Camaldulensis, jussu Martini quinti Pontificis : et eum in libros quatuor partitus est. Vixisse videtur hic auctor post schisma Urbani VI et Clementis VII et ante schisma Eugenii IV et Felicis V nam libro IV. sui operis scribit, Romanam Ecclesiam suo tempore gubernatam fuisse a duobus Pontificibus, ubi videtur loqui de schismate illo diuturno Urbani VI et Clementis VII, siqui dem in eodem libro meminit Concilii Lugdunensis sub Gregorio X a tempore autem illius Concilii non fuit chisma celebre, nisi schisma Urbani et Clementis : quod enim excitavit Ludovicus imper. inter Joannem XXI et Nicolaum V brevissimum fuit. Itaque falsum est quod quidam dicunt, interfuisse Calecam in Concilio sub Gregorio X.

De Henrico de Hassia 1380.

Henricus de Hassia Carthusianus scripsit :

In Magistrum Sententiarum.
In Genesim.
In Exodum.
In Proverbia Salomonis.
In Apocalypsim S. Joannis.
Dialogum inter Episcopum, et Presbyterum.
Sermones varios.
Regulas ad discernendum peccatum lethale a veniali.

De obitu ejus variant scriptores. Alii volunt obiisse anno 1317., alii 1397., alii 1428.

De Joanne Rusbrochio 1380.

Joannes Rusbrochius, natione Belga, Prior Monasterii Vallis Viridis, vir divinæ contemplationi addictissimus, scripsit lingua sua patria, varia opera, quæ in Latinam linguam conversa, edita sunt Coloniæ anno Dom. 1552.

Sunt autem hæc :

Summa totius vitæ spiritualis.
Speculum salutis æternæ.
Commentaria in tabernaculum Mosis.
Tractatus de præcipiis virtutibus.
Liber de fide, et judicio.
De quatuor tentationibus.
De septem custodiis.
De septem gradibus amoris.
De nuptiis spiritualibus libri 3.

Vivebat hic auctor anno Domini 1390.

Hunc etiam Doctorem carpsit Jo. Gerson, et defendit Dionysius Carthusianus. Id enim accidere solet iis qui scribunt de mystica theologia, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.

De Baldo. 1390.

Baldus Ubaleus, natione Italus, patria Perusinus celeberrimus Jureconsultus, ac Bartoli quodam auditor.

Scripsit præter ea quæ ad jus civile pertinent,
Commentaria in libros decretalium.

Obiit anno Domini 1420.

SÆCULUM DECIMUM QUINTUM AB ANNO 1400 AD 1500

De Pedro Ancharano 1410.

Petrus de Ancharano Bononiensis Baldi auditor floruit anno 1410. Scripsit in libros decretales, et in Clementinas, et concilia.

De Antonio de Butrio. 1410.

Antonius de Butrio Bononiensis, æqualis Petri de Ancharano. Scripsit in decretales, et Clementinas, et repertorium Juris Canonici.

De Joanne Capreolo. 1410.

Joannes Capreolus, Tolosanus, Ordinis Prædicatorum, S. Thomæ doctrinæ defensor egregius, scripsit commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, in quibus S. Thomæ doctrinam ex ipso S. Thoma explicat, et objectiones eorum, qui illam oppugnarunt, optime dissolvit. Vivebat anno Dom. 1410.

De S. Vincentio. 1410.

Sanctus Vincentius Ferrerius Valentinus ordinis Prædicatorum, vir Apostolicus, obiit anno Dom. 1418. Prædicavit multis in locis verbum Dei cum summa utilitate populorum, Deo cooperante, et sermones ejus confirmante sequentibus signis. Exstant sub ejus nomine tres tomi utilissimarum concionum : quæ etsi forte ab ejus discipulis scriptæ sint, tamen doctrinam ejus continent.

Scripsit ipse tractatum de vita spirituali, brevem, sed plenum optima institutione.

Scripsit etiam epistolas varias.

In catalogum sanctorum relatus est a Calixto tertio summo Pontifice.

De Francisco Zabarella. 1410.

Franciscus Zabarella, patria Patavinus, Archiepiscopus Florentiæ, et Cardinalis creatus a Joanne XXIII. Papa. Obiit anno 1417.

Scripsit in decretales, et in Clementinas.
Scripsit etiam consilia, et repetitiones varias.
Necnon de horis canonicis.

Sed occasione longissimi schismatis scripsit etiam librum de schismate, in quo sunt aliqua corrigenda : quare in indice librorum prohibitorum liber ejus de schismate cum præfationibus. Argentinæ impressus ab hæreticis, prohibitus est, donec corrigatur.

De Petro ab Alliaco. 1410.

Petrus ab Alliaco Archiepiscopus Cameracensis et Cardinalis, creatus a Joanne XXIII, anno 1411. Obiit sub Martino V. anno 1426.

Scripsit in quatuor libros sententiarum.
Item de laude Scripturæ, et Ecclesiæ stabilitate.
Quæstiones in exameron.
Paraphrasim in Psalmos.
Meditationes in Psalmum XXX et XLI.
In principium Evangelii secundum Marcum.
In orationem Dominicam, et salutationem angelicam.
In Cantica B. Mariæ, et Zachariæ, et Simeonis.
Speculum considerationis.
Compendium contemplationis.
De spirituali scala.
De Sacramentis.
De legibus, et sectis.
De electione summi Pontificis.
De exercitio spirituali.
De Concilio generali.
De duodecim honoribus S. Joseph.
Sermones, et epistolas.
De concordia theologiæ, cum astrologia, et historia.
De anima, et accidentibus ejus.
Quæstiones in sphæram Jo. de Sacrobosco.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tractatum in libros Meteororum.

Scripsit quoque vitam S. Petri Cælestini, graviter, et pie, et renunciationem Pontificatus ab ipso factam laudat, et defendit contra detractores. Neque verum est, quod aliqui dicunt, hanc vitam non esse scriptam a Petro de Alliaco Archiepiscopo et Cardinale, sed a quodam alio Petro de Alliaco gymnasii Navatrici Archididascalo; hoc, inquam, non esse verum, perspicue constat ex præfatione ad ipsam vitam, ubi se auctor Episcopum nominat. Unum est, in quo reprehenditur hic auctor, quod videlicet sensisse videatur, Christi Nativitatem prænosci potuisse ex genethliacis observationibus, atque ad hoc adduxerit apparitionem stellæ, quæ apparuit Magis, de qua re vide Sixtum Senensem lib. v. bibliothecæ sanctæ, annotatione 45. et 81. et lib. vi. annotat. 10.

De Joanne Gersone. 1420.

Joannes Gerson, Gallus, Monachus Cælestinus Cancellarius Parisiensis, vir doctus, et pius, obiit anno Dom. 1429. multa opera scripsit, quæ tribus tomis edita sunt Argentorati anno 1488., quibus addita est quarta pars. Sed quia, ut plurimum, opuscula sunt parva, et in maximo numero, piguit ea describere. Tribui solet huic auctori præclarissimum opusculum de imitatione Christi, quatuor libris distinctum. Sed quia non numeratur inter opera Gersonis nec in catalogo quem scripsit frater ipsius Gersonis, nec in tomis editis Argentorati; merito dubitatum est, an illud sit Gersonis. Imo communiter jam illud opus adscribitur Thomæ de Kempis, viro admodum pio. Sed nec inter hujus opera numeratur, ut paulo post videbimus. Itaque valde probabile est auctorem illius opusculi esse Joannem quemdam Abbatem de Gersensive de Gessen, ut habet inscriptio vetustissima hujus libri, in codice manuscripto, qui asservatur in monasterio Aronensi, quod olim fuit Monacharum sancti Benedicti, et nunc est domus Novitiorum societatis Jesu. Et hinc apparet, hoc opus tributum fuisse Joanni Gersoni propter similitudinem nominis: quia verus auctor erat Joannes de Gersen: et tamen quia non inveniebatur hoc opus inter opera Joannis Gersonis Cancellarii Parisiensis, tributum fuisse Thomæ de Kempis ob similitudinem aliquam styli, quamvis neque inter opuscula ejudem Thomæ inveniretur. Sed cujuscumque sit, opusculum est utilissimum, et jure in tota Ecclesia summo omnium consensu receptum, et frequentatum, et in omnes linguas conversum. Ego certe ab adolescentia, et usque in senectam hoc opusculum sæpissime volvi, et revolvi, et semper mihi novum apparuit, et nunc etiam mirifice cordi meo sapit.

Posteaquam hæc scripseram, incidit in manus meas præfatio Henrici Sommalii in libros quatuor de imitatione Christi, editos Romæ anno 1610. in qua præfatione affirmat idem Henricus invenisse se hos libros manu ipsius Thomæ de Kempis conscriptos in bibliotheca Canonicorum regularium Sancti Martini apud Lovanium. Et quoniam magni facio testimonium Henrici Sommalii, qui et mei ordinis est, et notæ probitatis et doctrinæ; nec tamen audeo superiorem conjecturam prorsus rejicere: rem in medio ponam, et lectori judicium relinquam.

De Thoma Valdensi. 1420.

Thomas Valdensis, Anglus, ordinis Carmelitarum Prior Provincialis, floruit tempore Martini V. Pontificis, cui opus suum dedicavit, et obiit Rhotomagi in Gallia, anno 1430.

Scripsit opus egregium, quod inscripsit Doctrinale fidei antiquæ, tribus tomis distinctum.

In primo tomo disputatur contra hæreticos Wiclesitas et Hussitas, de Deo, de Christo, de Petro, de Ecclesia, de religiosis.

In secundo, de Sacramentis, contra eosdem.

In tertio de Sacramentalibus, contra eosdem.

Dicitur etiam scripsisse in multos libros divinæ Scripturæ, et in Magistrum sententiarum Commentaria, et varios tractatus: sed ego non vidi, nisi tomos illos tres Doctrinale fidei antiquæ: nec scio an alia exstent typis excusa.

De Augustino de Roma. 1430.

Augustinus de Roma, Episcopus Nazarenus, Ordinis Sancti Augustini, scripsit

In primum librum sententiarum.
Item in omnes epistolas sancti Pauli.
In epistolas canonicas.
In Apocalypsim
Scripsit etiam de peccato originali.

De libero arbitrio.
De potestate Papæ.
De Sacramento divinitatis Jesu Christi et Ecclesiæ.
De Christo capite, et ejus inclyto principatu.
De charitate Christi circa electos, et de ejus infinito amore.

Sed hæc tria opera prohibita inveniuntur in indice librorum prohibitorum, donec expurgentur. Obiit anno Dom. 1445.

De Joanne de Imola. 1430.

Joannes de Imola Jureconsultus celebris, scripsit super tres libros decretalium: super sextum, et Clementinas. Obiit anno Dom. 1436.

De Paulo Burgensi. 1430.

Paulus de Sancta Maria, relicta Judaica secta, in qua natus erat, Episcopus Burgensis creatus, scripsit additiones ad postillam Nicolai Lirani, quæ exstant in ipso Lirano. Scripsit etiam scrutinium Scripturarum libris duobus. Vivebat an. 1430.

De Joanne Archidiacono. 1430.

Joannes de Anania, Archidiaconus Bononiensis, scripsit commentaria in Decretales.

Scripsit etiam volumen Consiliorum. Obiit anno Dom. 1435.

De Jo. Ragusæo. 1438.

Joannes Ragusæus ordinis Prædicatorum in Basileensi Concilio orationem habuit doctissimam per octo dies de communione sub utraque specie contra Hussitas, quæ exstat apud Henricum Canisium tomo tertio antiquæ lectionis, ubi etiam multa habentur alia de hæresibus Bohemorum.

De Henrico Kalteisen.

Henricus Kalteisen Ordinis Sancti Dominici, in eodem Concilio Basileensi disputavit contra Hussitas de libera prædicatione verbi Dei, per tres dies: et disputatio, sive oratio exstat apud Henricum Canisium tom. IV par. 2. antiquæ lectionis.

De S. Bernardino Senensi. 1438.

Sanctus Bernardinus, patria Senensis professione Franciscanus, vir doctrina et miraculis clarus, universam Italiam sacris concionibus illustravit.

Obiit Aquilæ, ubi corpus ejus integrum invisitur, anno Dom. 1443. et a Nicolao quinto summo Pontifice in sanctos relatus est anno 1450.

Scripsit sermones de tempore.
Sermones de sanctis.
Sermones contra Judæos.
Scripsit etiam in Apocalypsim.
De Evangelio æterno.
De Christiana religione.
De Conceptione B. M. Virg.
De passione Domini.
De virtutibus et vitiis.
De fructibus Eleemosynæ.
De triplici statu animæ.
De triplici amore magorum.
De sacrificio Abrahæ.
De veritate.
De amore Dei et animæ.
De Spiritu sancto.
De casibus proprietatis.
Officium nominis Jesu.
De mundana prosperitate.
De pastorali gubernatione.
De S. Joseph sponso Virginis.
De circumstantiis nationum.
De divino amore.
De triplici Christi nativitate.
De tribus tormentis peccatorum.
De obedientia.
Defensorium veritatis.

De Joanne de Polemar. 1438.

Joannes de Polemar Archidiaconus Barcinonensis, in eodem Concilio Basileensi oravit per tres dies contra Hussitas de civili dominio clericorum; et oratio exstat apud Henricum Canisium tomo IV. par. 2. antiquæ lectionis.

De B. Joanne de Capistrano. 1440.

B. Joannes de Capistrano, natione Italus, Ordinis Minorum S. Bernardini amicissimus, laboribus maximis pro Ecclesia perfunctus obiit anno Dom. 1456.

Scripsit de dignitate Ecclesiastica ad Nicolaum V. Papam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De illustranda conscientia.
De censuris.
De pœnis inferni et purgatorii.
De pœnis injungendis.
De restitutione, et contractibus.
De matrimonio.
De Conceptione B. Virg.
De Judicio universali, et Antichristo.
De potestate Papæ, et Concilii.
De Auctoritate Concilii, sive Ecclesiæ.
Speculum Clericorum.
De cupiditate.
De passione Domini.
Contra Hussitas.
Adversus Joannem Rochesanum, hæreticum Hussitam.
Scripsit denique Epistolas ad varios.

De Alphonso Tostato. 1440.

Alphonsus Tostatus natione Hispanus Episcopus Abulensis, vir sanctitate et doctrina celeberrimus, vixit tempore Eugenii quarti Pontificis, circa annum Dom. 1440.

Scripsit commentaria copiosissima in Pentateuchum, in Josue, Judices et Ruth : nec non in libros Regum, et Paralipomenon, et in Evangelium Sancti Matthæi : in quibus commentariis dissoluit quæstiones innumerabiles, ut merito de eo scriptum sit : « Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne, » et quod magis est admirandum, tanta scripsit brevissimo tempore, cum non vixerit nisi annos quadraginta. Neque solum commentaria illa scripsit, sed etiam opuscula plurima, e quibus exstant :

Defensorium trium conclusionum.
Liber de sancta Trinitate.
Liber contra Sacerdotes concubinarios.
Paradoxa.
Explicatio verborum Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet.*
Liber de statu animarum post mortem.
Liber de optima politica.

De Blondo Historico. 1440.

Flavius Blondus patria Foroliviensis, a secretis fuit Eugenio quarto summo Pontifici; et scripsit historiam Romanam, in qua multa Ecclesiastica continentur, ab inclinatione imperii usque ad sua tempora, id est, ab anno Domini 407. usque ad an. 1440.

De Nicolao Panormitano. 1440.

Nicolaus Tudescus, natione Siculus, patria Catanensis, ord. S. Benedicti, Abbas, et postea Archiepiscopus Panormitanus, ac demum S. R. E. Cardinalis creatus, sed in schismate, a Felice quinto Antipapa. Vir fuit juris canonici peritissimus, et plurima scripsit, quæ tomis octo comprehenduntur in editione Veneta anni 1592.

In primo et secundo tomo habentur commentaria in primum librum decretalium.

In tertio, quarto, et quinto tomo habentur commentaria in secundum librum decretalium.

In sexto tomo habentur commentaria in tertium decretalium.

In septimo tomo habentur commentaria in quartum et quintum decretalium : et in epistolas Clementinas.

In octavo tomo habentur Concilia 226. quæstiones septem.

Item relectio in cap. Per tuas, de Arbitris.

Item practica ejusdem.

Dicitur etiam scripsisse commentarium inchoatum in decretum : sed nescio, an exstet. Dicitur etiam scripsisse librum pro conc. Basileensi, sed hunc librum, ut in mala causa scriptum, et proinde erroneum, credibile est ex ejus operibus abrasum fuisse. Ego certe inter ejus opera variarum editionum eum nusquam reperi. Quamvis autem hic auctor sederit in Concilio Basileensi, etiam quo tempore Concilium acephalum et schismaticum erat : tamen in eo bene se gessit, quod introducentibus in Concilium multitudinem Presbyterorum, ob defectum Episcoporum, liberrime contradixit : ut testatur Æneas Sylvius, qui præsens aderat, in historia Concilii Basileensis. Sciebat enim, et docebat, in Conciliis, præsertim generalibus, locum non esse simplicibus Presbyteris, quoad votum decisivum, nisi locum tenerent absentium Episcoporum. Obiit Nicolaus, Abbas Panormitanus, anno 1445.

De S. Antonino Florentino. 1445.

Sanctus Antoninus, patria Florentinus, Ordinis Prædicatorum, ac postea Florentiæ Archiepiscopus, vir doctissimus, et sanctissimus, obiit anno Dom. 1459, ætatis septuagessimo, quem in sanctorum catalogum retulit Adrianus VI. Pontifex.

Scripsit summam historialem in tres partes divisam.

Summam theologicam, in quatuor partes divisam.

Librum de eruditione Confessorum, qui dicitur Defecerunt, quia incipit, Defecerunt scrutinio.

Dicitur etiam scripsisse trialogum de Christo, et duobus discipulis euntibus in Emmaus, in quo explicantur omnia quæ de vita, morte, et Resurrectione Domini prædicta sunt.

De Ænea Sylvio. 1450.

* Æneas Sylvius, patria Senensis, vir doctus, prudens, et magni animi, ac primum a secretis imperatoris, deinde Episcopus Senensis, tum Cardinalis, denique summus Pontifex Pius secundus, dum expeditionem magnam adversus Turcas Christi nomini hostes moliretur, obiit anno Dom. 1464.

Scripsit de rebus Ecclesiasticis contra Thaboritas librum unum.

Ad Nicolaum de Cusa lib. 1.
De Fide ad imperatorem Turcarum.
De historia Bohemorum.
De clade Constantinopolitana.
De clade universalis Ecclesiæ.
De conventu Mantuano, Oratio.
Ad Calixtum Papam, Oratio.
Ad Cardinales Oratio.
Decadum Blondi, Epitomem.
Epistolas multas.
De Concilio Basileensi, libros duos.
Retractationem.
Commentaria de rebus a se gestis.
Responsionem ad Martinum Mejer pro Ecclesia Romana.

Scripsit præterea multa ad humanitatem, ad poesim, ad chorographiam pertinentia.

Observatio prima.

Quæ scripsit Æneas pro Concilio Basileensi, cum juvenis esset, retractavit senex, et Pontifex Maximus : et quamvis libri illi de Concilio Basileensi merito prohibiti ab Ecclesia Catholica ; tamen hæretici Basileenses, qui nuper eosdem libros recuderunt, non tam Ecclesiæ Catholicæ, quam causæ suæ detrimentum attulerunt. Siquidem ex historia illa Æneæ Sylvii de Concilio Basileensi, apparet illud Concilium initio fuisse legitimum : sed ubi verum Pontificem Eugenium quartum deponere aggressi sunt Patres illi jam non habuisse formam veri Concilii, non solum, quod acephalum esset, sed etiam quod contra formam omnium veterum Conciliorum plures essent in eo conventu Presbyteri cum voce decisiva, quam Episcopi : notissimum enim est, concilia generalia, ut etiam provincialia, Episcoporum esse, non minorum Sacerdotum : sic enim legimus in Concilio Chalcedonensi actione prima, « Mitte foras superfluos ; Concilium Episcoporum est. » Vide, si placet, quæ scripsimus lib. III. de Ecclesia cap. 16.

Observatio secunda.

Exstant commentaria de rebus gestis Pii secundi sub nomine Joannis Gobellini, sed dubium est, an illud opus sit ipsius Pii Pontificis, an vero ejus, sub cujus nomine prodiit : exstant enim manuscripsa commentaria eadem sub nomine Pii secundi et stylus videtur esse idem in hoc opere, et in aliis ejusdem auctoris, sed res non est magni momenti.

De Andrea Barbatio. 1460.

Andreas Barbatius Siculus, floruit anno 1460.

Scripsit in Decretales.

Scripsit etiam de Cardinalium præstantia.

Scripsit quoque varia concilia.

De Laonico Chalcondyla. 1460.

Laonicus Chalcondyla Atheniensis, scripsit historiam libris decem, de origine et rebus gestis Turcarum usque ad sua tempora, id est, ad annum Dom. 1462., cui historiæ adjecta est appendix, qua continuatur historia usque ad annum Dom. 1565. Hunc auctorem ponimus inter Ecclesiasticos, quoniam ejus historia plurima continet ad res Christianas pertinentia.

Quia tamen hic auctor ab Hæretico homine latinitate donatus est, et annotationibus in margine positis auctus in indice librorum prohibitorum, ejus lectio interdicta invenitur. Ipse etiam Laonicus non caret narrationibus falsis, quas temere credidit rerum nostrarum ignarus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De Joanne Bassolio. 1460.

Joannes Bassolius ordinis Minorum, scripsit in quatuor libros sententiarum non contemnenda commentaria. Vivebat anno Dom. 1466.

De Beato Laurentio Justiniano. 1440.

B. Laurentius Justinianus, patria Venetus, ac primum Canonicus Regularis, deinde Episcopus Venetiarum, postremo primus ejusdem Urbis Patriarcha, floruit doctrina, sanctitate, et miraculis, temporibus Eugenii quarti, et Nicolai quinti Pontificum Romanorum, circa annum Dom. 1440. Obiit anno 1456. Scripsit volumina quindecim, quarum hi sunt tituli :

Lignum vitæ.
De disciplina monastica.
De connubio Verbi, et animæ.
De humilitate.
De spirituali interitu animæ.
De triumphali agone Christi.
De interiori conflictu.
De complanctu Ecclesiæ.
De corpore, et sanguine Christi.
De vita solitaria.
De contemptu mundi.
De sermone Domini in cœna.
De officio Pastorali.
De obedientia.
De gradibus perfectionis.

Scripsit præterea sermones quadragesimales. Obiit anno ætatis 71., Episcopatus vicesimo quarto, sed quinque annis ultimis fuit etiam Patriarcha.

De Joanne de Turrecremata. 1440.

Joannes de Turrecremata, natione Hispanus, Ordinis Prædicatorum Cardinalis Presbyter S. Sixti ab Eugenio quarto creatus, postea Episcopus Cardinalis Sabinus, Theologus, et jureconsultus eximius obiit anno Dom. 1468. ætatis 80. major.

Scripsit summam de Ecclesia, quatuor libros.

Apparatum super decretum Eugenii quarti de unione Græcorum cum Latinis.

Commentaria in decretum Gratiani.
n Psalterium.
In Evangelia dominicalia.
In Evangelia de sanctis.
De corpore Christi contra Bohemos.
De salute animæ.
De aqua benedicta.
De Conceptione B. Virginis.
In regulam Sancti Benedicti.
Meditationes de vita Christi.

De Matthæo Palmerio. 1440.

Matthæus Palmerius Florentinus, vixit tempore Concilii Florentini, ut ipse testatur in chronico. Scripsit, sive continuavit Chronicam ab anno 449., ubi desiit S. Prosper, usque ad annum 1449. Scribit quidem Jo. Trithemius, hunc Matthæum postea de hæresi convictum, et damnatum fuisse, sed in chronico ipsius nullum ego erroris inveni vestigium.

De Matthia Palmerio. 1440.

Matthias Palmerius Pisanus, vixit eodem sæculo, et continuavit chronicum Matthæi ab anno 1450, usque ad 1481.

De Bessarione Cardinali. 1440.

Bessarion natione Græcus, patria Trapezuntius, dignitate Episcopus Nicænus, postea Cardinalis S. R. E. ab Eugenio quarto Pontifice creatus, multis legationibus perfunctus, multisque aliis piis laboribus fatigatus, obiit anno Dom. 1472., Sixto quarto sedente.

Scripsit orationem pro unione, prolixam, et doctissimam, quæ exstat Græce et Latine sess. 25. Concilii Florentini.

Scripsit quoque aliam breviorem, quæ pariter exstat Græce et Latine, sessione 1. ejusdem Concilii.

Scripsit etiam librum adversus Marcum Ephesium pro defensione Ecclesiæ Romanæ.

Scripsit quoque de verbis consecrationis adversus eumdem Marcum.

Scripsit de illo Joannis XXI. *Sic eum volo manere donec veniam.*

Scripsit denique multa philosophica in defensionem Platonis ; et metaphysicam Aristotelis latinitate donavit : et libros tres consolatorios ad imperatorem Græcorum misisse dicitur.

De Georgio Scholario. 1440.

Georgius Scholarius vir inter Græcos sapientissimus.

Scripsit Orationes quatuor de pace inter Græcos et Latinos ineunda, quæ habentur Græce et Latine post Concilium Florentinum : hic idem censetur esse ille Gennadius (quippe qui mutaverit nomen assumptus ad Patriarchatum Constantinopolitanum (qui scripsit quinque orationes de quinque articulis controversis pro veritate Catholica.

De processione Spiritus sancti.
De primatu Papæ.
De azymo.
De purgatorio.
De visione Dei ante resurrectionem corporum.

De Josepho Methonensi. 1440.

Joseph Episcopus Methonensis eodem tempore scripsit librum responsionis pro Concilio Florentino ad librum Marci Ephesii calumniatoris ejusdem Concilii. Exstat autem hæc responsio Græce et Latine post idem Concilium.

De Gregorio Protosyncello. 1440.

Gregorius Magnus Protosyncellus, ac postea Patriarcha, scripsit responsionem aliam contra Epistolam Marci Ephesii : quæ responsio impressa est Græce et Latine post Concilium Florentinum. Dicitur autem iste Gregorius Romæ sepultus fuisse, et miraculis coruscasse.

De Nicolao de Cusa.

Nicolaus de Cusa, natione Germanus, Decanus S. Florini, deinde Episcopus Brixinensis, denique Cardinalis S. Petri ad Vincula, a Nicolao V. Pontefice creatus, vir fuit æque pius ac doctus. Obiit anno Dom. 1464. ætatis 63.

Scripsit de visione Dei.
De docta ignorantia.
De reparatione kalendarii.
De cribratione alcorani.
De venatione sapientiæ.
De ludo globi mystice.
Adversus Bohemos.
Conjecturam de novissimis diebus.
De dato Patris luminum.
De quærendo Deo.
Directorium speculantis.
De filiatione Dei.
Dialogum de Genesi.
De concordantia Catholica.

Sermones per annum, et epistolas ad diversos.

Scripsit de mathematica perfectione.
De beryllo.
De apice theorica.
De quadratura circuli ; et de fortuna.
Atque hæc in primo tomo.

In secundo tomo habentur :

Dialogus de Deo abscondito.
De annuntiatione Dominica.
Excitationum libri decem.
Epistolæ septem.
Correctio tabularum Alfonsi.
De perfectione mathematica.
De arithmeticæ complementis.
De transmutationibus geometricis.
Complementum theologicum.

Observatio.

Nicolaus de Cusa concordantiam Catholicam scripsit juvenis, inchoante videlicet Concilio Basileensi ; et quia magna tunc erat fama Concilii Basileensis, cœpit et ipse cum multis aliis exaltare potestatem Concilii, et deprimere auctoritatem Apostolicæ Sedis : sed postea ubi vidit pertinaciam eorum, qui Concilio adhærebant, ut etiam auderent schisma facere, et adversus legitimum Pontificem, idolum erigere ; cœpit et gravissimis epistolis eos detestari, et pro extinctione schismatis plurimum laborare. In qua re imitatus est Julianum S. Angeli Cardinalem præstantissimum, et Æneam Sylvium, postea Pium II. Pontificem, qui initio concilium Basileense contra Eugenium Pontificem defenderunt : postea vero pro Eugenio Pontifice contra Concilium depugnarunt. Vide retractationem Pii II. in iis quæ spectant ad Julianum Cardinalem : et epistolam Nicolai de Cusa ad Rodericum, in iis quæ ad ipsam Nicolai sententiam et judicium pertinent.

De Dionysio Carthusiano. 1450.

Dionysius Carthusianus, natione Belga, vir fuit sanctissimus, et doctissimus, vixit in ordine Carthusiano annos 48. obiit anno ætatis suæ 69. qui erat annus salutis 1471.

Scripsit in omnes libros Scripturæ divinæ.
Scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Scripsit plurima, quorum Catalogum, una cum vita ipsius, invenies post finem Commentarii in librum quartum sententiarum.

In libello de quatuor novissimis caute legendus est circa statum animarum in purgatorio degentium.

De Thoma de Kempis. 1460.

Thomas de Kempis, natione Belga, professione Canonicus regularis, vir magnæ pietatis, obiit anno Domini 1471., ætatis 91., ut in vita ejus, quæ præfixa est operibus ipsius, legitur.

Scripsit, multorum opinione, quatuor libros de imitatione Christi : de quo opere locuti sumus, cum de Joannis Gersonis operibus ageremus.

Scripsit sermones ad novitios.
Sermones ad fratres.
Dialogos novitiorum.
De vita solitaria.
De tribus tabernaculis.
De vera compunctione.
Hortulum rosarum.
Vallem liliorum.
Alphabetum Monachi.
Consolationem pauperum.
Epitaphium Monachi.
Qualis debeat esse Monachus.
Manuale parvulorum.
Doctrinale juvenum.
De contemptu mundi.
Epistolas ad diversos.

De Henrico Harphio. 1464.

Henricus Harphius, natione Belga, patria Mechliniensis, professione Franciscanus, vixit tempore Pauli secundi Pontificis.

Scripsit de decem præceptis, quod opus, speculum aureum nominavit.

Item de tribus partibus pœnitentiæ :
Tractatum de effusione cordis.
Directorium aureum contemplativorum.
Collationes tres.
Sermones per Quadragesimam.
Denique de mystica theologia libros tres.

Quod est præcipuum inter opera Harphii. Sed hoc opus interdictum fuit in indice librorum prohibitorum, nisi repurgatum esset ad exemplum ejus quod repurgatum prodiit Romæ an. 1585.

De Alexandro Imolensi. 1470.

Alexander Tartaginus de Imola, scripsit in sextum, et Clementinas ; præter multa consilia, et alia, quæ scripsit in codicem, et digestum.

De Baptista Platina. 1472.

Baptista Platina, patria Cremonensis, vixit tempore Sixti Papæ quarti, cui dedicavit librum de vitis Pontificum Romanorum, et obiit anno Dom. 1481.

Scripsit librum de vitis Pontificum a Sancto Petro, usque ad Paulum secundum, cui libro addidit Onuphrius Panuinius notas non contemnendas ; et præterea vitas sequentium Pontificum usque ad Pium quintum, quam tamen solum inchoavit.

Scripsit præterea librum de naturis rerum et libros decem de honesta voluptate, et valetudine, et epistolas ad diversos.

De Ambrosio Camaldulensi. 1480.

Ambrosius Camaldulensis Florentinus ; Abbas, generalis Ordinis sui, vir fuit doctus, et prudens, et obiit anno 1490.

Scripsit Tractatum de Spiritu sancto.
Item de Sacramento corporis Christi.
Item orationes, quarum unam Græco idiomate habuit Ferrariæ coram imperatore Græco, et Episcopis Græcis.
Scripsit etiam Epistolas multas.
Et vitas S. Eugeniæ Virginis, et Martyris,
Necnon Proti, et Jacinthi Martyrum.
Vertit autem ex lingua Græca in Latinam librum S. Basilii de virginitate.
Vitam S. Joannis Chrysostomi.
Et Homilias ejusdem in Matthæum.
Item libros S. Dionysii Areopagitæ.
Et alia non panca.

De Pacifico. 1480.

Pacificus ordinis Minorum, vixit circa annum 1840. Scripsit summam casuum conscientiæ, quæ Pacifica nominatur : ea summa ex Latino idiomate in Italicum conversa edita fuit Venetiis anno 1574. et 1580.

De Angelo Clavasio. 1480.

Angelus a Clavasio, Ligur ordinis Minorum, scripsit summam casuum conscientiæ.

quæ Angelica dicitur, vixit circa annum Dom. 1480.

De Baptista Trovamala. 1483.

Baptista Trovamala ordinis Minorum eodem tempore scripsit Lovanii summam casuum conscientiæ, quæ dicitur Rosella.

De Wernero Vesphalo. 1484.

Wernerus Vesphalus scripsit Fasciculum temporum ab initio mundi usque ad annum 1484. Continuavit hoc opus Joannes Linturius usque ad annum 1514.

De Gabriele Biel. 1490.

Gabriel Biel, natione Germanus, qui Tubingæ diu docuit, florait circa annum Dom. 1490.

Scripsit commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum.

Item expositionem Canonis Missæ, et sermones varios.

De Marsilio ab Ingen. 1490.

Marsilius ab Ingen, natione Germanus, æqualis Gabrielis, docuit Heidelbergæ, et scripsit ipse quoque in quatuor libros sententiarum commentaria non inutilia.

De Jacobo de Valentia. 1490.

Jacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus, vixit circa annum 1490, ut colligitur ex proœmio Fini Hadriani.

Scripsit commentaria in Psalmos, et in Cantica Salomonis.

Scripsit etiam in Cantica Zachariæ, B. Virginis, et Simeonis, et in Hymnum, « Te Deum laudamus » et contra Judæos de Christo reparatore generis humani.

De Cypriano Beneto. 1490.

Cyprianus Benetus Aragonensis ordinis Prædicatorum, scripsit quatuor tractatus, qui exstant : unum, de prima orbis sede ; alterum, de Concilio ; tertium, de potestate ecclesiastica ; quartum, de Pontificis maximi potestate.

De Fino Hadriano. 1490.

Finus Hadrianus Ferrariensis, vivebat senex anno 1503., ut ipse testatur in proœmio sui operis ; scripsit in ultima sua ætate volumen magnum, et egregium, libris novem distinctum, quod inscripsit, Flagellum in Judæos. Exstat excusum Venetiis anno Dom. 1538.

De Joanne Pico. 1490.

Joannes Picus Mirandulæ Comes, vir ingenio, et doctrina (pro ætate) maximus, vixit annos solum triginta tres, et obiit anno Dom. 1494. ; scripsit tamen :

In primum caput Genesis, et de opere sex dierum expositionem multiplicem libris septem comprehensam.

Item explicationem orationis Dominicæ.

Item conclusiones nongentas, quas disputandas publice proposuit.

Item apologiam adversus eos qui aliquot ejus conclusiones carpebant.

Item de ente, et uno.

Item de hominis dignitate.

Item regulas Christianæ vitæ, ad vincendas tentationes et mundum perutiles.

In Psalmum XV. *Conserva me Domine* explicationem.

De Christi regno, et mundi vanitate.

De astrologia, sive potius contra astrologiam judiciariam lib. 12.

Item in convivium Platonis libros tres. Denique elegias, et epistolas varias. Quid si hoc ingenium aliis triginta annis excoli potuisset ? Omnino enim nihil ei defuit nisi maturitas.

De Marsilio Ficino. 1490.

Marsilius Ficinus, Florentiæ natus est, ut ipse testatur in quadam epistola, anno Dom. 1433. Obiit verò anno 1499. Vir fuit peritus non vulgariter, tum sacræ theologiæ, tum etiam Platonicæ philosophiæ.

Opera ejus duobus tomis excusa sunt Basileæ anno 1561.

In primo tomo :

De Christiana religione, lib. 1
De immortalitate animorum, lib. 18
In epistolas B. Pauli, ascensus usque ad cœlum ad Paulum intelligendum. Sed non explicat nisi epistolam ad Romanos.
Prædicationes habitæ ad fratres.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De sanitate tuenda studiosorum, lib. 1
De vita producenda, lib. 1
De vita cœlitus comparanda, 1
Apologia, in qua, de medecina, astrologia, vita mundi, et de tribus Magis agitur.
Antidotus epidemiorum.
Epistolarum, lib. 12
De sole, liber allegoricus, et anagogicus.
De lumine liber.
De voluptate liber.

In secundo tomo sunt :

Aut versiones librorum, aut opera Platonica.

De Jacobo Philippo Bergomensi. 1494.

Jacobus Philippus Bergomensis, Ordinis S. Augustini, vivebat anno Dom. 1494.

Scripsit historiam ab initio mundi usque ad annum Dom. 1486, libris quindecim, quod opus inscripsit supplementum chronicorum.

Scripsit etiam de claris mulieribus Christianis.

De Antonio Bonfinio. 1500.

Antonius Bonfinius vivebat anno 1500. Scripsit historiam Hungaricam : et commentarium de pudicitia. Sed hoc in indice Romano prohibitum est.

De Roberto Gaguino. 1500.

Robertus Gaguinus Gallus, ordinis S. Trinitatis generalis, vivebat anno Dom. 1500.

Scripsit pro Conceptione B. Virginis tam carmine quam soluta oratione libros duos.

De miseria humana, lib. 1
Orationes, et epistolas.

Denique de origine, et regibus Francorum, libros duodecim usque ad Carolum VIII.

Quæ est historia annorum mille et ducentorum.

De Marco Antonio Coccio Sabellico. 1500.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus, vir valde eruditus, vivebat anno Dom. 1500. Ejus opera quatuor tomis Basileæ excusa fuerunt anno 1550.

In primo tomo continetur historia ab orbe condito, perenneades quinque, id est, libros quadraginta quinque.

In secundo continetur continuatio historiæ perenneades sex, id est, libros quadraginta septem : nam enneadis ultima non habet nisi libros duos. In eodem tomo continetur historia Veneta per decades tres, et quartæ libros tres.

In tertio continentur supplementi per alios additi libri viginti novem.

In quarto exemplorum libri decem.

De Aquileiæ antiquitate lib.
De Venetæ urbis situ, 4
De Venetis magistratibus, 1
De Prætoris officio 1
De officio scribæ dialogus.
De Latinæ linguæ reparatione dialogus.
Epistolarum, lib. 12
Orationes 12
Poemata varia

De Paulo Middelburgio. 1500.

Paulus Middelburgius Episcopus Forosempronii, vivebat anno 1500. et scripsit ad Leonem decimum libros de tempore Paschali, et ad Maximilianum imperatorem libros de die passionis Domini, qui notissimi sunt.

De Joanne Nauclero. 1500.

Joannes Nauclerus Præpositus Tubingensis vivebat an. 1500. Scripsit ingens Chronicum continens res memorabiles ab initio mundi usque ad annum Dom. 1500. Opus distinguitur in duo volumina, et primum quidem continet generationes 63. ab Adam usque ad Christum ; alterum continet generationes quinquaginta et unam.

De Alberto Krantzio. 1500.

Albertus Krantzius Bambergensis, vir admodum diligens in historiis conscribendis, vivebat anno Dom. 1500.

Scripsit Metropolim, quæ continet historiam Ecclesiasticam.

Item historiam Saxonicam, et Vandalicam, et chronicum aliarum septemtrionalium regionum. Sed impiæ notæ ad marginem additæ ab hæreticis, fecerunt, ut libri hujus auctoris prohiberentur in indice Romano, donec purgarentur.

De Felino. 1500.

Felinus Sandeus Ferrariensis, Jurisconsultus celeberrimus, vivebat anno Dom. 1500.

Scripsit in libros Decretalium.

Item tractatum de Jurepatronatus.

Sermonem de indulgentia, plenaria et alia.

De Joanne Trithemio. 1500.

Joannes Trithemius, natione Germanus, Abbas Spanehemensis. Ordinis Sancti Benedicti, vivebat anno 1500. et obiit anno 1519., ætatis suæ 57.

Scripsit opera plurima, sed notiora sunt historica, quæ simul edita sunt Francofurti anno 1600.

Scripsit igitur :

De illustribus viris Germanis.

De illustribus viris ordinis Sancti Benedicti.

De scriptoribus Ecclesiasticis.

Chronicum monasterii Hirsaugiensis.

De origine Francorum.

De successione Ducum Bavariæ, et Comitum Palatinorum.

Scripsit etiam epistolas sermones, et varia opera spiritualia. Denique scripsit de septem secundis intelligentis orbem moventibus, et opus inscriptum steganographiam, id est, occultam scriptionem, quod opus prohibitum merito est, cum sit plenum perniciosis dogmatibus ad magiam pertinentibus, quod et ipse agnovit, et confessus est.

De Jacobo Wimphelingio. 1500.

Jacobus Wimphelingius Presbyter Ecclesiæ Spirensis, orator, poeta, et historicus non contemnendus, vivebat anno Dom. 1500. Scripsit præter alia epitomen rerum gestarum per Germaniam.

De Baptista Mantuano. 1500.

Baptista Mantuanus, ordinis Carmelitarum Prior generalis, Poeta fuit doctus, et pius : et multa carmina scripsit in laudes sanctorum. Vivebat anno Dom. 1500.

De Thoma Cajetano. 1500.

Thomas de Vio, patria Cajetanus, ordinis Prædicatorum Prior generalis, ac postea Cardinalis Presbyter a Leone decimo creatus, vir fuit summi ingenii nec minoris pietatis, vivebat anno Dom. 1500. et obiit anno Dom. 1534, ætatis 66.

Scripsit Commentaria in omnem sacram Scripturam, præterquam in Prophetas, et in Apocalipsim.

Scripsit etiam commentaria in totam Summam S. Thomæ. Denique opuscula permulta, et librum Jentaculorum, et summam casuum conscientiæ, quæ notissima sunt.

De Dominico Jacobatio.

Dominicus Jacobatius Romanus, Rotæ auditor et postea Cardinalis a Leo X creatus anno 1517.

Scripsit insigne opus de Conciliis.

De Jacobo Sanazario. 1500.

Jacobus Sanazarius eodem tempore scripsit egregium carmen de partu Virginis.

De Francisco Ferrariensi 1500.

Franciscus Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum Prior generalis, vivebat anno Dom. 1500. et obiit anno 1528.

Scripsit egregia commentaria in Summam Sancti Thomæ contra gentes : scripsit etiam de vita B. Osannæ Mantuanæ lib. sex. et multa philosophica.

De Joanne Francisco Pico. 1500.

Joannes Franciscus Picus Joannis Pici nepos, vir doctus, et pius, vivebat anno Dom. 1500.

Scripsit de rerum prænotione libros novem adversus vanitatem Astrologorum.

Scripsit etiam pro veritate religionis Christianæ contra superstitiones gentilium et opera alia permulta, tum prosa, tum versu, quæ satis nota sunt.

De Joanne Tabiensi. 1500.

Joannes Tabiensis natione Ligur, ordinis Prædicatorum, Theologus, et canonista, scripsit summam casuum conscientiæ, quæ Tabiena dicitur, quam Thomæ Cajetano dicavit.

De Hectore Boethio. 1500.

Hector Boethius Scotus, scripsit libros 17. historiæ Scoticæ. Scripsit etiam et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scriptionem Regni Scotiæ, et regum Scotorum.

De Jacobo Almaino. 1500.

Jacobus Almainus, Doctor Parisiensis, vivebat anno Domini 1500., et scripsit in tertium et quartum sententiarum.

Item moralia.

Item opuscula varia.

De Joanne Majore. 1500.

Joannes Major, natione Scotus vivebat anno Dom 1500.

Scripsit in quatuor lib. sententiarum, item commentarium in Matthæum, et historiam majoris Britanniæ.

De Adriano VI. 1500.

Adrianus sextus Pontifex, natione Trajectensis in Belgio, vivebat anno Dom. 1500. et obiit anno 1523. Vir fuit optimus, et doctissimus, et merito doctrinæ et pietatis ex humili loco et pauperrima domo ascendit ad magnas opes, et majores honores Scripsit disputationes in quartum sententiarum; et epistolas insignes, quarum una valde prolixa et docta ad Saxoniæ ducem, exstat in tomis Conciliorum.

De Francisco Lycheto. 1500.

Franciscus Lychetus ordinis Minorum Minister generalis, vivebat anno 1500. edidit commentaria in tres primos libros sententiarum, juxta doctrinam Scoti.

De Sylvestro Prierate. 1500.

Sylvester Prieras, natione, Pedemontanus, ordinis Prædicatorum, Magister sacri Palatii, ac postea Prior generalis, vivebat anno Dom. 1500. et primus omnium scripsisse dicitur adversus Martinum Lutherum.

Sed scripsit etiam in quatuor libros sententiarum.

Item Summam casuum conscientiæ.

Librum super Evangelia inscriptum, Aurea Rosa.

Librum de strigibus.

Conflatum ex operibus S. Thomæ, quatuor voluminibus comprehensum, et alia nonnulla.

Silv. in celiate 9. p. an. 10 § 9 citat Alps. 1000.

Toletanus eremita trent. cujus in G. libello non sit martio.

De Jo. Eckio.

Joannes Eckius, natione Suevus, vivebat anno 1500 et ex primis fuit, quæ hæresiarchæ Luthero, et coram disputando et scriptis libris strenue se opposuit.

Scripsit Enchiridion, in quo controversias fere omnes breviter et dilucide comprehendit.

Scripsit etiam seorsim de sacrificio Missæ, libros duos.

Et deinde iterum alios tres.

Item de primatu S. Petri.

De pœnitentia, et virtutibus pœnitentiæ annexis.

Item postillas, sive homilias de tempore, et de sanctis.

Scripsit quoque multa philosophica in libros viii. physicorum.

In libros de cœlo.

In libros de generatione

In meteora.

In libros de anima et alia.

De Conrado Kœllin. 1500.

Conradus Kœllin Germanus, ordinis Prædicatorum, vivebat anno 1500. et obiit senex anno 1536.

Scripsit egregie in primam secundæ S. Thomæ.

Scripsit etiam quodlibeta multa : et præterea opus inscriptum, Eversio Lutherani Epithalamii 4. libris comprehensum.

De Francisco Titelmano. 1500.

Franciscus Titelmanus, Belga, ordinis Minorum vir sanctus, et doctus, cujus omnia scripta, etiam philosophica, miram pietatem spirant, vivebat anno 1500 et scripsit apologeticum pro editione vulgata Scripturæ : et simul collationem super epistola ad Romanos contra Jacobum Fabrum, et desiderium Erasmum adhuc viventes, quæ excusa sunt Antwerpiæ ann. 1529. Scripsit in Psalmos, in Cantica, in prima capita Job, et alia, quæ notissima sunt.

De Joanne Roffense. 1500.

Joannes Fischerus, natione Anglus, Episcopus Roffensis, ac postea S. R. E. Cardinalis, et quod longe gloriosius est, Martyr Christi, occisus Henrici octavi Regis Anglorum jussu anno Dom. 1535. jam senex, et multis perfunctus laboribus : proinde florebat anno Dom. 1500.

Scripsit adversus articulos Lutheri, quos Leo decimus Papa damnaverat.

Scripsit etiam contra librum ejusdem Lutheri, cui inscribitur, de captivitate Babylonica.

Et de Christiano sacerdotio contra eumdem.

Scripsit item de Eucharistia contra Œcolampadium.

Item de unica Magdalena contra Jacobum Fabrum.

Item in septem Psalmos. Ejusdem esse creditur assertio septem sacramentorum, quæ nomine Regis Henrici octavi prodiit.

Porro liber de fiducia, et misericordia Dei, qui in Indice Romano prohibetur, aut est alterius Joannis Fischeri, aut falso nostro attributus fuit.

De Thoma Moro. 1500.

Thomas Morus æqualis fuit Joannis Fischeri, eique amicissimus, et nobilis collega martyrii. Fuit autem vir doctrina varia excultus : et ingenii amœnissimi ; quippe theologus, philosophus, orator, poeta, historicus, linguæ Græcæ et Latinæ peritus.

Scripsit, ut Theologus, insignem responsionem ad epistolam Martini Lutheri : necnon explicationem passionis Dominicæ.

Item libellum, quod pro fide Christi mors fugienda non sit.

Ut philosophus, libros duos de optimo statu reip. quos utopiam inscripsit.

Ut orator, declamationem Lucianicæ respondentem :

Ut poeta, epigrammata plurima :

Ut historicus, res gestas Richardi tertii Angliæ regis :

Ut linguæ utriusque peritus, dialogos Luciani e Græca lingua in Latinam convertit.

De Joanne Fabro. 1500.

Joannes Faber, Episcopus Viennensis, vivebat anno 1500. et unus fuit ex præcipuis Doctoribus, qui Luthero et Lutheranis restitit.

Scripsit Malleum Hæreticorum libris sex.

Orthodoxæ fidei Catholicæ defensionem adversus Balthassarem Pacimontanum.

Librum de potestate summi Pontificis contra Lutherum.

Homiliarum de sanctissima Eucharistia, et aliorum argumentorum ingentem numerum, et alia, quæ notissima sunt.

De Joanne Cochlæo. 1500.

Joannes Cochlæus Norimbergensis, vir doctissimus, et fidei Catholicæ propugnator eximius, vivebat anno 1500. sed obiit an. 1552.

Scripsit opuscula plurima contra Lutherum, Melanchthonem, et alios sectarios.

Scripsit librum de actis, et scriptis Lutheri, valde utilem ad Lutheranos confundendos.

Scripsit septicipitem Lutherum ut ostenderet Lutheri contradictiones, et inconstantiam.

Scripsit historiam Hussitarum libris duodecim.

Denique non solum scriptis plurimis Lutheranos exagitavit, sed obtulit se ad disputandum cum quovis Lutherano, sub pœna capitis si in probationibus defecisset : cujus rei testis est Surius in historia anni 31. et ipse etiam Cochlæus in libro de actis, et scriptis Lutheri.

De Francisco Victoria. 1500.

Franciscus Victoria, natione Hispanus, ordinis Prædicatorum, vivebat anno 1500. et obiit anno 1546. Vir fuit egregie doctus, et scripsit relectiones valde eruditas.

De potestate Ecclesiæ.

De potestate civili.

De potestate Concilii.

De Indis.

De Matrimonio.

De augmento charitatis.

De eo ad quod teneatur perveniens ad usum rationis.

Exstat sub ejus nomine summa de Sacramentis. Sed eam non ipse, sed discipuli ejus ex scriptis ipsius collegerunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De Dominico Soto. 1500.

Dominicus Sotus, patria Segobiensis, ordinis prædicatorum, vir doctissimus, et pius valde, qui Carolo quinto imperatori a sacris Confessionibus fuit, et Concilio Tridentino interfuit anno 1545 et obiit anno 1560.

Scripsit opera, quorum ipse catalogum texit in recognitione operum suorum, quam posuit in extremo libro suo in quartum sententiarum.

Scripsit igitur commentarium in epistolam ad Romanos.

De natura et gratia libros tres.

De ratione tegendi, et detegendi secretum libros tres.

De Justitia et Jure libros decem.

Commentaria in quatuor libros sententiarum in duobus tomis divisa.

Ad hæc in dialecticam, et philosophiam Aristotelis, commentaria, et opuscula minutiora de juramento, in causa pauperum, et alia id genus. Hæc ille: qui postea scripsit etiam apologiam adversus Ambrosium Catharinum, qui de certitudine gratiæ cum eo contendere coperat: quæ apologia habetur adjuncta libris de natura et gratia.

De Ambrosio Catharino. 1500.

Ambrosius Catharinus, patria Senensis, ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Compsæ, vivebat anno Dom. 1500. et obiit senex anno 1552. Multa scripsit, quæ exstant, sed aliqua judicio Ecclesiæ improbata, ut de verbis, quibus Christus confecit Sacramentum Eucharistiæ: aliqua communiter a Doctoribus refelluntur, ut de certitudine gratiæ, de prædestinatione, de loco decedentium cum peccato originali, et alia.

Quare opera ejus caute legenda sunt.

Scripsit in quinque priora capita Genesis:

Et in epistolas sancti Pauli,

Et in epistolas canonicas.

Scripsit adversus Martinum Lutherum, opus impressum anno 1521. et alia, quæ nota sunt.

De Jacobo Latomo. 1500.

Jacobus Latomus Belga, professor S. Theologiæ in Lovaniensi Academia, vivebat anno 1500 et scripsit infra scripta opera:

Responsionem ad articulos Lutheri.

De primatu Pontificis contra Lutherum.

De fide et operibus, et votis monasticis.

De confessione secreta.

De quæstionum generibus, quibus Ecclesia certat foris et intus.

Pia vivorum opera defunctis prodesse.

Vivos sanctorum suffragiis juvari.

Christi sanctorumque imagines honorandas esse.

De eorum delectu et jejuniis.

De Missa.

De Joanne Driedone. 1500.

Joannes Driedo a Thurnhuth, Belga, vivebat anno 1500. et scripsit præclara opera, quæ edita sunt Lovanii anno 1556.

De Scripturis et dogmatibus Ecclesiasticis lib. 4

De libertate Christiana lib. 3

De gratia et libero arbitrio lib. 2

De captivitate et redemptione generis humani lib. 1

De concordia liberi arbitrii et prædestinationis lib. 2

De Martino Navarro.

Martinus Aspilcueta Navarrus, vir doctissimus, et pissimus, vivebat anno 1500. Quippe qui natus est anno 1493. et pervenit ad annum 15 6. ætatis suæ 94., ut est in epitaphio ipsius: et colligitur ex verbis ejus, qui octogenarium se fuisse scripsit, cum Manuale dedicavit Gregorio XIII. Pontifici anno ejus primo.

Scripsit multa opera, quæ sex tomis continentur, edita Venetiis 1602.

In primo tomo sunt:

Vita ejus.

Manuale.

De usuris.

De cambiis.

De simonia mentali.

De furto notabili.

De necessitate defendendi proximum.

De homicidio casuali.

In secundo tomo sunt:

De silentio in divinis officiis.

In cap. Inter verba.

Sexta conclusio perfecta.

De fama, et infamia.

De regularibus.

De alienatione rerum Ecclesiasticarum.

De spoliis clericorum.

De reditibus Ecclesiasticis.

Propugnaculum pro libro superiore.

In cap. Humanæ aures.

De incompatibilitate beneficiorum.

De finibus humanorum actuum.

In tertio tomo sunt:

Commentaria in septem distinctiones de pœnitentia.

De indulgentiis, sive de Jubilæo.

De eleemosyna.

De datis, et promissis pro justitia, vel gratia obtinenda.

De lege pœnali.

In quarto tomo sunt:

Libri de horis canonicis, et oratione.

Miscellanea de oratione.

In cap. Si quando, et in cap. Cum contingat, de rescriptis.

In rubricam, de Judiciis.

Relectio in cap. Novit, de Judiciis.

Relectio in cap. Accepta, de restitut. spoliat.

In cap. Ita quorumdam, de Judæis.

In quinto et sexto tomo sunt consilia, et responsiones.

Atque hic finis sit libri de scriptoribus Ecclesiasticis; cæteri enim scriptores, qui post annum millesimum quingentesimum nati sunt; omnem pene numerum excedunt, et plurimi eorum adhuc vivunt, ut æquum non sit de eorum operibus judicare.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX EXPLICATORUM

SACRÆ SCRIPTURÆ

In omnem Scripturam.

Rabanus Maurus.
Anselmus Laudunensis.
Strabus.
Hugo Cardinalis.
Nicolaus Liranus.
Dionysius Carthusianus.

Et nostro tempore.

Emmanuel Sà.

In Genesim.

Origenes.
S. Joannes Chrysostomus.
1406 Maometh. ann. 13.
1419 Amorates junior ann. 23.
1447 Mustapha an. 3.
1452 Maumethus rex Turcarum everso imperio Orientali, an. 28.
1480. Bajazethes an. 32.

Tyran. Orient.

1512 Selimus an. 8.
1520 Solimanus ann. 46.
1566 Selimus junior ann. 8.
1574 Amurates III. an. 20.
1595 Maumethus III. an. 8.
1603 Amath. ann.

Scriptores

39 S. Petrus.
39 S. Paulus.
39 S. Math.
43 S. Joannes.
43 S. Jacobus.
43 S. Judas.
44 S. Marcus.
44 S. Lucas.
57 Philo.
70 Josephus.
83 Hermes.
93 Clemens.
99 Ignatius, Polycarpus.
100 Dyonysius Areopagita.
120 Aquila interpres Scripturæ.
132 Justinus.
140 Melito.
142 Athenagoras.
151 Theophilus Antiochenus.
158 Ægesippus.
163 Tatianus.
167 Irenæus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

179 Hippolytus.
203 Tertullianus.
220 Julius Africanus.
221 Minutius Felix.
224 Origenes.
227 Ammonius Alexand.
233 Gregorius Thaumaturgus.
246 Cornelius Cyprianus.
253 Pontius Diaconus.
254 Dionysius Alexandrinus.
260 Zeno.
261 Victorinus Pictavionensis.
284 Arnobius Afer.
285 Lactantius Firmianus.
297 Eusebius Cæsariensis.
304 Methodi Martyr.
326 Juvencus Presbyter.
309 Antonius Abbas.
311 Pachomius Macarius Orisiesis.
325 Athanasius.
336 Serapion.
337 Julius Firmicus. Lucifer. C. Harius. Victorinus Hilarius.
352 Greg. Bæticus. Sebadius. Pacianus. Didymus.
358 Optatus. Titus Bostren. Cyrillus. Hierosol. Ephrem. Basilius, Greg. Nazian. Andreas Cæsarien. Epiphan. Philo Carpathius.
364 Ambros. Mediol. Philastrius. Idacius. Gregorius Nyssenus. Amphilochius. Hieronymus. Theophilus Alexand. Dorotheus. Diadochus. Ruffinus.
398 Palladius. Gaudentius. Prudentius. Chromat. Jo. Chrysostomus. Severianus. Augustinus Maximus. Ausonius. Synesius. Paulinus. Sulpitius. Lucianus. Orosius. Sedulius. Cyrillus. Alexand. Theodor. Proclus. Eucherius. Claudian. Sidonius. Jo. Cassianus, Vincentius Lirinens. Socrates.
455 Sozomenus Nilus. Simeon Stilita. Hilarius Arelatens. Prosper. Petrus Chrysologus.
468 Isidor. Pelusiotes. Arnobius junior. Theodorus Salvianus, Salonius. Faustus. Æneas Gazæus. Victor Uticensis. Cerealis. Gennadius. Julianus Pomerius. Gilda Sapiens. Gelasius Cyzicenus.
492 Cæsarius Arelatensis.
493 Paschasius diaconus. Vigilius. Fulgentius. Petrus Diaconus. Ferrandus Diaconus.
514 Jo. Maxentius. Avitus Alcimus.
521 Victor Africanus.
526 Boetius. Dionysius exiguus.
527 Cassiodorus. Victor. Capuanus.
530 Justus Orgelitanus.
532 Anastasius Sinaita.
534 Arator Subdiac.
535 Junilius Primasius.
537 Martinus Bracarens.
540 Procopius Gazæus.
541 Joannes Climacus.
542 Dacius Mediolan.
553 Liberatus Archid.
554 Venantius Fortunatus.
555 Evagrius historicus.
586 S. Greg. Turonic.
590 S. Gregorius Papa. Isychius Hierosolymitanus.
626 Sophronius.
639 Joannes Moschus.
640 Leontius Jonas.
641 Antiochus. S. Isidorus.
649 S. Eligius Berengosius.
654 Esaias Abbas. S. Maximus martyr.
655 S. Ildephonsus.
680 S. Julianus Toletanus.
687 Anastasius Nicenus.
715 S. Gregorius secundus.
716 S. Anselmus, S. Marcellinus.
731 S. Germanus. S. Beda.
741 S. Joannes Damascenus.
742 S. Bonifacius Moguntinus.
746 Antonius Melissa.
772 Adrianus Papa Primus.
776 Paulus Diaconus.
780 Paulinus Aquileiensis. Eginarth. Albinus. Alcuinus.
800 S. Nicephorus Constantinopol.
802 Usuardus.
812 S. Ludgerus.
814 Aponius.
817 S. Theodorus Studites.
821 Paschasius Ratbertus.
824 Claudius Scotus. Jonas Aurelianensis.
827 Halitgarius. Amalarius. Nithardus Freculphus.
830 Hilduinus. Theodulph. Rabanus.
841 Strabus. S. Eulogius Martyr.
842 Haymo. Angelomus.
844 Christianus Drutmarus.
847 Valfridus Strabo. Simeon Metaphrastes.
858 Photius.
867 Nicetas David.
868 Anastasi bibliothecari Hincmarus.
873 Joannes Diaconus.
876 Aimoinus.
878 Ado Viennensis.
888 Remigius Antissiodorensis.
894 Ambrosius Ansbertus.
900 Leo Sapiens imperator.
901 Idiota.
905 Marcus Eremita.
906 Rhegino Abbas.
907 Radulphus Flaviacensis.
916 Luitprandus Wisichind.
956 Stephanus Edversis. Frodoardus.
961 Moses Barcepha.
1012 S. Fulbertus Garnotensis.
1014 S. Burcard. Vormaciensis.
1024 Berno Augiensis.
1040 Glaber Rodulphus.
1048 Hermanus Contractus. Humbertus Card.
Lambertus Scaphnaburgensis.
Ingulphus.
Petrus Damiani.
Lafrancus.
Guitmundus.
Georgius Cedrenus.
Bertoldus
Theophylactus.
Micrologus.
Anselmus Cantuariensis.
Anselmus. Lucensis.
Jo Curopalates.
Œcumenius.
Olympiodorus.
Marianus Scotus.
Bruno.
Yvo Carnotensis.
Samuel Marochianus.
1099 Leo Ostiensis.
Zacharias Chrysop.
Sigebertus Gemblacensis.

Godefridus Vindocin.
Euthymi. Zigabenus, Jo. Zonaras.
Rupertus Tuitiensis, Hildebertus Turonensis.
Algerus.
S. Bernard.
Petrus Cluniacensis.
Hugo de S. Victore, Richardus de S. Vict. Wilelm.
Malmesberiensis.
Gratianus.
Petrus Lombardus.
1154 Petrus Comestor.
Otho Frisingensis.
Theorianus.
Hugo Etherianus,
Arnoldus Carnotensis.
Petrus Blesensis.
Gulielmus Tyrius.
Helmold Gothifredus Viterbiensis.
1191 Gulielmus Neubrugensis.
Rogerius Hoveden.
Theodorus Balsamon.
Joachimus Abbas.
Innocentius Guntherus Helivandus.
Nicetas Choniates.
Honorius Augustudunensis.
Conradus Abbas Urspergensis.
S. Antonius de Padua.
Raymundus de penna forti.
1241 Gulielmus Antisiod.
Gulielmus Parisiensis.
Jacobus a Vitriaco.
Edmundus Cantuar.
Innocentius.
Alexander de Hales.
Hugo de S. Caro.
Humbertus.
Matthæus Parisiensis.
Martinus Polonus.
Vincentius Bellovac.
Guido Papa.
Robertus Sorbona.
Albertus magnus.
S. Thom.
S. Bonaventura.
Henricus Stero.
Udalricus Argentin.
Petrus de Tarantasia.
Rupertus de Russia.
1277 Guido Archidiac.
Guilelmus Durantes.
Ægydius Romanus.
1285 Raymundus Lullius.
Ricardus de media villa.
Henricus de Gandavo. Dinus Magellanus.
Jo. Parisiensis.
Jo. Scotus Augustinus de Ancona.
Barlamus Hieracensis Nicephorus Callistus.
Eberaldus.
Petrus Aureolus.
Antonius Andreas.
Pelagius Alvarus.
Durandus Hervæus.
Franciscus Mayronis.
Gulielmus Okam.
Monaldus Nicola de Lyra.
Nicephorus Gregoras.
Petrus de Palude.
Jo. Villanus.
Guido Carmelita.
Astesanus.
Adam Goddam.
1342 Landulphus.
Lupoldus.
Joan. Andreas.
Bartholomæus Pisanus.
Joan. Calderinus.
Joann. de Bachone.
Albericus Simon de Cassia.
Henricus Soso.
Robertus Olkot.
Grego de Arimino.
Thom. de Argentina.
Franc. Petrarcha.
Armachanus.
Nicolaus Gabasila.
Nicolaus Gorram.
Jo. Tauleras.
Alphonsus Vargas.
Manuel Caleca.
Joann. Rusbrochius.
Henricus de Hassia.
Petrus de Ancharano.
Augustin. de Butrio.
Joan. Capreolus.
S. Vincentius.
1410 Franc. Zabarella.
Petrus ab Alliaco.
Jo. Gerson.
Thomas Valdensis.
Augustinus de Roma.
Joannes de Imola.
Joann. de Anania.
Joann. de Ragusa.
Henricus Kalteisen.
S. Bernardinus Senensis.
Joan. de Capistrano.
Joan. de Polemar.
Alphonsus Tonstatus.
Flavius Blondus.
Nicolaus Abbas Panormitanus.
S. Antoninus Florentinus.
Æneas Sylvius.
Jo. de Turrecremata.
Bessarion.
Andreas Barbatius.
Georgius Scholarius Laonicus.
Joan. Bassolius.
B. Laurent. Justinian.
1484 Josephus Methon.
Greg. Protosincellus.
Nicolaus de Cusa.
Dion. Cart. Th. de Kæp.
Hær. Harph. Alex. de Im.
Bapt. Plat. Ambr. Cam.
Gabriel Biel.
Marsilius ab Ingen. Jo.
Picus. Jacobus de Valentia.
Marsilius Ficinus. Cyp.
Benet. Robertus Gaguinus.
M. Antonius Sabellicus. Jacobus Philippus Berg. Jo. Naucler.
Albertus Krantzius. Felin.
Sande Jacob. Wimphelingius Ant. Bonsini Hector Boet. Tho. Cajet. Jac. Almain. Franciscus Ferrariensis. Jo. Franciscus Picus. Jo. Tabiens. Jo. Major. Hadrian. VI. Sylvester Prieras. Jo. Roffens. Tho. Morus. Jo. Eckhius. Jo. Faber. Jo. Cochlæ. Jacobus Latomus. Jo. Driedo. Franciscus Victoria. Ambrosius Catharinus. Dom. a Sot. Martinus Navarrus.

Heresiarchæ.

Simon Magus primus hæresiarcha, existimavit donum Dei pecunia possideri. Act. VIII. Docuit præterea mundum non esse creatum a Deo: se esse creatum a Deo, se esse Deum, qui in Samaria apparuit, ut Patrem, in Judæa ut Filium, in gentibus, ut Spiritum sanctum; non esse necessaria opera bona: animas migrare de corpore in corpus. Vide Irenæum lib. I. cap. 20.

Menander, Saturninus, Basilides, Discipuli Simonis, Iren. lib. I. cap. 21 et 22.

Nicolaus unus ex septem primis diaconis, docuit licere fornicari, et vesci idolothytis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Iren. lib. I. c. 27. Alii tamen existimant, Nicolaum diaconum fuisse virum probum, sed Nicolaitas, qui arguntur Apoc. II. et qui ea docebant, fuisse hæreticos, falso nomine Nicolaitas dictos. Vide Euseb. lib III. hist. cap. 23.

Cerinthus, et Ebion ejus discipuli, Jesum esse purum hominem ex Joseph et Maria natum docuerunt. Iren. lib. III. cap. 3. et lib. I. cap. 25 et 26.

Chiliastæ : qui docent, sanctos regnaturos mille annis post resurrectionem cum Christo in terris; cœperunt tempore Sancti Joannis per Papiam ejus discipulum. Vide Eusebium lib. III. hist. cap. 39.

Gnostici, auctore Carpocrate, secundum Irenæum lib. I. cap. 24 vel Nicolao, secundum Epiphanium hæresi 26, vel Valentino, secundum Hieronymum in lib. de script. Eccl., docuerunt, animam esse de substantia Dei. Unum esse Deum bonum, alterum malum, et alia id genus Vide Augustinum hæresi 6.

Carpocrates docuit, Jesum Christum ex Joseph natum mundum ab Angelis factum, nihil esse bonum vel malum, nisi opinione hominum. Omnia opera esse exercenda, quantumvis pessima, et toties animam ad corpus quasi ad carcerem rediturum, donec expleat, juxta illud. Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Irenæus lib. I. cap. 24.

Caiani inde dicti sunt, quod Cainum, Judam, Sodomitas, Core, Dathan, et Abiron, salvatos esse dicunt : negant carnis resurrectionem. Iren. lib. I. cap. 35.

Valentinus innumeras fabulas invenit, de quo vide Iren. lib. I. c. 1.

Marcion duo principia posuit, unum bonum, alterum malum. Iren. lib. I. c. 29.

Hermogenes posuit materiam Deo coæternam ; et in Deo unum tantum esse personam. Tertull. lib. contra Hermogenem.

Montanus Phryx, unde Cataphrygæ, asseruit se Paracletum esse, et plurimos seduxit inter quos ipsum etiam Tertullianum. Epiphan, hæresi 48. August. hæresi 26. et 86.

Origines ex philosophia Platonis deceptus multa docuit contra fidei veritatem præsertim de inæqualitate divinarum personarum; de origine animarum; de resurrectione corporum; de salvatione dæmonum. Vide Epiphanium hæresi 64. et Hieron. ad Avitum, et ad Pammachium de erroribus Origenis, et quintam Synodum generalem.

Helcheseitæ docebant, licitum esse fidem ore negare modo in corde retineretur. Vide Euseb. lib. VI. hist. c. 28.

Rebaptizantes in Africa, Agrippino, qui Sanctum Cyprianum in Episcopatu Carthaginiensi præcessit, auctore exorti sunt, docuerunt, baptizatos ab hæreticis, iterum esse in Ecclesia baptizandos ; et quamvis Agrippinus, et S. Cyprianus hæretici appellari non possint, cum Ecclesiæ communionem nunquam reliquerint : tamen posteri eorum Donatistæ, qui pertinaciter anabaptismum defenderunt, merito hæretici habiti sunt. Vide S. August. lib. II. de baptismo contra Donatistas.

Novatiani a Novatiano Presbytero Romano, et a Novato presbytero Carthaginiensi dicti sunt : docuerunt non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata post baptismum commissa, neque esse baptizatos sacro chrismate confirmandos et secundas nuptias esse illicitas. Vide Epiphan. hæresi 59. et August. hæresi 39.

Sabellius Noeti discipulus, docuit Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, esse unam personam, sed nomina tria. Epiph. hær. 57.

Paulus Samosatenus Episcopus affirmavit Christum non esse Deum, sed hominem tantum, circumcisionem servandam, non baptizandum in nomine trium personarum divinarum. Epiphanius hæresi 61. Augustinus hæresi 44.

Manes, sive Manichæus anno 4. Aureliani agnosci cœpit : docuit, duo esse principia coæterna, unum bonum, alterum malum, nihil esse vere spirituale, sed omnia esse corporalia, hominem non esse liberi arbitrii, et omnium peccatorum causam esse naturam mali principii. Manichæum esse Spiritum sanctum Paracletum, quem Christus promisit ; carnem et vinum esse res immundas natura sua, et ideo ab iis abstinendum esse. Animas migrare de corpore in corpus. Vetus Testamentum esse a malo principio, et ideo rejiciendum. Vide Epiphanium hæresi 66 et Augustinum hæresi 46.

Donatus initio schisma fecit, postea hæresim condidit, docuit rebaptizandos baptizatos ab hæreticis. In sola Africa, et in sola parte Donati esse Ecclesiam. August. hær. 69.

Arius Presbyter Alexandrinus docuit, filium Dei esse creaturam, non esse coæternum Patri, non esse coessentialem Patri. Christum hominem non habere animam : sed ejus loco esse Verbum. Epiphan. hær. 69. August. hæresi 49. Theodoretus. lib. IV. de fabulis hæreticorum.

Photinus Sirmiensis Episcopus docuit, Christum non esse Deum, sed purum hominem, Deum non esse trinum. Epiphan. hær. 71.

Macedonius Episcopus Constantinopolitanus docuit, Filium quidem Dei esse Patri per omnia similem, sed Spiritum sanctum esse creaturam. Epiphan. hæresi 78. Augustinus hæresi 52.

Aetius, et Eunomius ejus discipulis, docuerunt, Filium Dei esse omnino dissimilem Patri. Spiritum sanctum esse creaturam Filii. Opera non esse necessaria, sed fidem solam sufficere ad salutem Basilius lib. I. et II. in Eunomium, August. hæresi 54.

Aetius, quia Episcopatum obtinere non potuit, docere cœpit, Episcopos et Presbyteros esse omnino æquales ; addidit, non esse orationes et sacrificia offerenda pro defunctis ; non esse servanda jejunia, et festa ab Ecclesia indicta. Epiphan. hæresi 75. Augustinus hæresi 53.

Apollinarius Laodicenus grammaticus et poeta melior, quam Theologus, docuit Verbum Dei accepisse carnem humanam sine anima rationali : divinas personas esse inæquales, magnum videlicet esse Spiritum sanctum, majorem Filium, maximum Patrem. Epiphanius hæresi 77. Augustinus hæresi 55.

Vadius, Anthropomorphitarum auctor, docuit, Deum habere formam humanam. Epiphan. hær. 70.

Helvidius docuit. B. Virginem post Christi nativitatem, habuisse ex Joseph alios filios. Hieron. contra Helvidium.

Priscillianus docuit, animas esse ejusdem substantiæ cum Deo ; mundum creatum a Principe maligno : et alia multa stultissima. August. hæresi 70.

Jovinianus docuit, peccata esse paria, præmia sanctorum esse æqualia, Virginitatem non præstare conjugio, et alia. August. hæresi 82.

Vigilantius docuit, non esse honorandas reliquias Sanctorum, inanem esse invocationem sanctorum. Hieron. contra Vigilant.

Pelagius Brito monachus anno Domini 415. cœpit docere peccatum originale non esse in hominibus : sine Dei gratia posse impleri omnia mandata, et alia. Augustinus hæresi 88.

Nestorius Episcopus Constantinopolitanus anno 430. cœpit docere, B. Virginem non esse matrem Dei, et in Christo duas esse personas, alteram divinam, alteram humanam. Theodor. lib. IV. de fabulis hæret. et Proso. in chr.

Eutyches Abbas, ut Nestorio contradiceret, docuit in Christo unam esse personam et unam naturam. Evagrius lib. I. c. 9. et lib. II. c. 4. Atque hæ duæ hæreses usque in nostra tempora durant in partibus Orientis.

Pacificantes dicti sunt, qui auctore Zenone imperatore, unionem quamdam facere volebant inter Catholicos, et Eutychianos. Vide Evagrium lib. III. c. 1. 4. et 30.

Petrus Ghapheus Episcopus Anthiochenus, ad errores Eutychetis addidit, ut in trisagio poneretur crux, videlicet, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, qui crucifixus es pro nobis. Ex quo videbatur sentire, totam Trinitatem fuisse crucifixam. Vide J. Damascenum lib. III. de Fide cap. 10. et in epistola de trisagio ; et epist. Felicis PP. III.

Julius Halicarnasseus auctor eorum qui docuerunt Christi corpus a Conceptione impassibile. Vide Joannes Damasc. in libr. de hæresibus, et Evagrium libr. IV. c. 38 et 39.

Agnoitæ auctore Themistio diacono Timothei Alexandrini Episcopi, ad errores Eutychetis et Dioscori addiderunt, Christum ignorare diem judicii. Vide Jo. Damascenum in lib. de hæresibus, et Liberatum in Breviario c. 19.

Jacobus Syrus docuit candenti ferro inurendam frontem baptizatorum. Nicephor. lib. XVIII. c. 45.

J. Philoponus Tritheitarum auctor fuit, qui tres personas divinas, tres Deos esse volant. Nicephorus lib. XVIII. cap. 46. et 48.

Armeni sequebantur errores Eutychianorum, et multa addebant. Vide Nicephorum lib. XVIII. cap. 53. Niconem de erroribus Armenorum, et Theoriani disputationem tomo III. et IV. bibliothecæ Patrum.

Monothelitæ a Syro Episcopo Alexandrino, et Sergio Constantinopolitano originem ducunt. Initium hujus hæresis fuit anno 630, doctrina eorum erat : in Christo unam tantum fuisse voluntatem, et unam operationem ex quo sequebatur unam tantum fuisse naturam. Vide Jo. Damascenum in lib. de hæresibus.

Iconomachi, id est, oppugnatores sacra-

rum imaginum, fuerunt semper Hebræi, et Mahumethani : nam Ezides rex Arabum persuasus a quodam Hebræo maleſico, in toto regno suo jussit imagines e templis Christianis auferri et Leo Isauric. alio Hebræo impulsore edictum proposuit, ut ubique sacræ imagines de templis tollerentur : unde Iconomachus dictos est, ut testantur Cedrenus, Zonaras, Paulus Diaconus, et alii historici.

Felix Urgelitanus, et Elinandus Episcopus Toletanus docuerunt, Christum esse filium Dei adoptivum, et damnati sunt tamquam renovantes Nestorianismum in Concilio Francfordiensi et ab Hadriano Papa in epistola ad Episcopos Galleciæ. Vide Adonem in Chronico.

Claudius Episcopus Taurinensis docuit non esse venerandam Crucem Domini, nec sepulcra, et reliquias sanctorum, peregrinationem ad limina Apostolorum esse inutilem. Vide Jonam Aurelianensem lib. III. de cultu Imaginum.

Michael Balbus imperator, teste Cedreno, et Zonara, resurrectionem corporum negabat, prophetas irridebat, dæmones esse non credebat, scortationem peccatum non esse dicebat, Judam proditorem inter beatos collocabat.

Græci cœperunt quidem tempore Nicolai primi, auctore Photio schisma facere : tamen hoc tempore apertissime se ab Ecclesia Romana diviserunt, et errores suos de processione Spiritus sancti a solo Patre, et de sacrificio non celebrando in azymo, et de primatu summi Pontificis, et alios defendere cœperunt.

S. Antoninus summæ hist. p. 3. tit. 22.

Berengarius Archidiaconus Andegavensis docuit in Eucharistia non esse verum Christi corpus, et sanguinem : deinde cum hunc errorem revocasset, docuit cum corpore Christi esse etiam substantiam panis, addidit parvulos non esse baptizandos, sed adultos tantum. Itaque viam aperuit hæreticis nostri temporis, Zuinglianis in primo errore, Lutheranis in secundo, et Anabaptistis in tertio : tandem tamen resipuit, et in fide Catholica obiit. Vide Lanfrancum, et Guit mundum contra Berengarium : et Blondum decadis 2. lib. III.

Bogomiles, auctore Basilio, qui ab Alexio Comneno imp. in theatro exustus fuit, docebant, non esse in Deo Trinitatem, Deum humana forma præditum esse, mundum a Dæmonibus creatum, et alia : testis Euthymius in Panoplia parte 2 titul. 23.

Petrus de Bruis, et Henricus ex monacho apostata, docebant, parvulos non baptizandos, cruces conculcandas, nullum esse in Ecclesia sacrificium, non esse invocandos sanctos, nec pro mortuis orandum, et alia. S. Bernardus ep. 240. et Petrus Cluniacensis in epistola contra hanc hæresim.

Petrus Abailardus, et Arnoldus Brixiens, S. Bernardi tempore docebant gradus esse inæquales in divinis personis ; fidem sine ratione admittendam non esse, et alia id genus multa : testis S. Bernardus in epist. 190. resipuit postea, et sancte obiit, teste Petro Cluniacensi lib. v. epist. 3 et 20.

Cathari, sive Patareni hæretici docebant, mundum factum esse a dæmonibus, Sacramenta nihil valere, et alia, de quibus vide Joann. de Turrecremata, in summa de Ecclesia, lib. 2 p. 2. cap. 33.

Valdesius, unde Valdenses, qui et pauperes de Lugduno, anno 1170. docere cœpit non esse obediendum Pontifici Romano : potestatem absolvendi a peccatis, et conficiendi Eucharistiam laicis etiam esse concessam : indulgentias nihil valere ; non extare purgatorium, sanctos non attendere precibus nostris : festa et jejunia indicta non esse servanda, et alia. De quibus vide S. Antoninum in summa p. 4. art. 11. c. 7. et Claudium Cassordium contra Valdenses.

Petrus Joannis hoc tempore docuit Christo latus perforatum adhuc viventi : animam rationalem non esse formam corporis : Ecclesiam universalem esse Babylonem de Apocalypsi : et Papam esse mysticum Antichristum. Guido Carmelita, et Bernardus de Lutzemburgo in catalogo hæresum.

Almaricus Doctor Parisiensis docuit legem Dei Patris durasse usque ad Adventum Christi : legem Christi usque ad Almaricum : legem Spiritus sancti usque ad finem mundi. Docuit multa alia perniciosissima. Vide Joan. de Turrecremata lib. IV. Summæ part. 2. c. 33. et Vincentium in Speculo historiali lib. XXIX. cap. 107.

Albigenses tempore Innocentii III. et forte antea, exorti sunt, qui non solum concionibus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexaverunt. Errores eorum recenset S. Antonius in summa theologica, part. 4. tit. 11. cap. 7. ; quod videlicet ponerent duo principia coæterna, unum bonum, alterum malum, more Manichæorum ; et alia id genus. Vide S. Antoninum in summa historiali, 3. part. tit. 19. cap. 1.

Guillelmus de S. Amore, Doctor Parisiensis, tempore Alexandri Papæ IV. odio religiosorum mendicantium docuit, illicitum esse omnia relinquere, nisi quis cogatur. Quod idem Desiderius Longobardus docuit et addidit, non esse licitum instituere, vel ingredi ordinem religiosum, qui non habeat possessiones, saltem in communi.

Scripserunt contra hanc hæresim S. Thomas in opusculo contra impugnantes religionem et S. Bonaventura in opusculis variis.

Fratricelli auctore quodam Hermanno cum Dulcitio Novatiensi, hæresim suam inchoarunt, docentes auctoritatem Rom. Ecclesiæ cessasse propter malitiam Prælatorum : se solos esse veram Ecclesiam, et perfectos, ut erant Apostoli : se nulli debere obedire, et quod secta ipsorum sit immediate a Christo : quod omnes Pontifices a tempore Sancti Sylvestri fuerint prævaricatores, excepto Cœlestino V. Hæc et similia damnavit Bonif. VIII. Vide Nauclerum generat. 44 et Jo. de Turrecremata lib. IV. Summæ part. 2. c. 37.

Begardi, et Beghinæ, auctore Bogonato (erant autem Begardi, Monachi, et Beghinæ, Moniales, sed absque votis) docebant, hominem posse in hac vita fieri impeccabilem : et non teneri amplius ad jejunia, vel orationem : et in gratia crescere non posse et alia id genus. Vide Alvarum de planctu Ecclesiæ lib. II. cap. 52. et Jo. de Turrecremata lib. IV. part. 2 cap. 36.

Lollardus Gualter docuit, Luciferum injuste a Deo damnatum, ut testatur Trithemius in chronico anni 1315. ubi alios etiam errores.

Marsilius de Padua, et Jo. de Janduno, multos errores docuerunt, quos damnavit Joannes XXII in Extravaganti, quæ incipit, Licet juxta doctrinam. Summa errorum est, quod Sanctus Petrus non fuerit caput Ecclesiæ, et quod Christus solverit didrachma necessitate coactus, non ex condescensione.

Flagellantes orti quidem sunt in Italia, sed in Germania maxime propagati. Docebant, non posse salvari eos, qui non se baptizarent in proprio sanguine, flagellantes se nodosis funibus : sacramenta, et cætera opera bona contemnebant. Purgatorium in alia vita esse negabant. Denique plurimis erroribus laborabant. Vide Bernardum Lutzemburgensem in catalogo hæresum, et Nicolaum Sanderum de visibili monarchia Ecclesiæ.

Joannes Wiclephus Anglus an. 1372. hæresim perniciosissimam docere cœpit : de qua vide Concilium Constantiense sess. 8. et Joannem Cochlæum in historia Hussitarum lib. III.

Jo. Hus Bohemus ex libris Wiclephi hæreses hausit et propagavit in Bohemia. Errores ei referunt, et damnantur in Concilio Constantiensi ses. 15.

Vide de hac hæresi, quæ adhuc viget, historiam Jo. Cochlæi et Æneam Sylvium in lib. de origine Bohemorum c. 35.

Hussitæ dividuntur in varias sectas. Alii enim dicuntur, Orebitæ : Alii Thaboritæ. alii Orphani ; alii Adamitæ, sive Pichardi, auctore quodam Gallo, qui dicebantur Pichardus, et Bohemos multos seduxit, dicens se esse Filium Dei et vocari Adamum. Vide Æneam Sylvium de origine Bohemorum, cap. 40, 41, 43 et 57.

Hermannus Rissuich natione Batavus, tempore Alexandri VI docuit animam mori cum corpore : nullum esse infernum : Christum fuisse stultum : fidem nostram esse fabulosam : Evangelium falsum. Bernardus Lutzemburgensis in catalogo Hæreticorum.

Martinus Lutherus Germanus hæresiarcha, et Pater hæresiarcharum anno Domini 1517. perturbare cœpit Ecclesiam, et perturbavit usque ad annum 1546 in quo misere obiit. Docuit errores plurimos. Sed præcipui sunt, hominem sola fide justificari : liberum arbitrium periisse per peccatum : Papam esse Antichristum : in Eucharistia remanere substantiam panis cum corpore Christi. Indulgentias nihil valere : non esse purgatorium : per Sacramenta non dari gratias : peccata cum remittuntur, non deleri, sed non imputari : et alia id genus multa. Vide Joannem Cochlæum in libro de actis, et scriptis Martini Lutheri.

Andreas Carolostadius, qui primus ex discipulis Lutheri uxorem publice duxit, cum esset Sacerdos, et cum eo Huldricus Zuinglius, et Joannes Œcolampadius Sacramentariam hæresim inchoarunt anno 1526. docentes, in Eucharistia non esse corpus Christi, nisi in signo : et addiderunt, imagines Christi, et sanctorum esse confringendas. Vide Jo. Cochlæum in libro de actis Lutheri anno 1526.

Balthasar Pacimontanus, et Bernardus

Rothmannus sectam Anabaptistarum instituerunt ann. 1527. quæ etiam proles Lutheranismi est, et in varias sectas divisa. Docent hi non esse parvulos baptizandos, et, si baptizati fuerint, iterum esse baptizandos; quando adulti erunt. Alios plurimos errores docuit, de quibus vide Jo. Cochlæum de actis Lutheri an. 1527 et Card. Hosium lib. 1. de hæres. nostri temporis.

Philippus Melanchthon, Lutheri discipulus, confessionem Augustanam composuit an. 1530., unde confessionistæ et molles Lutherani dicti sunt, qui eam sequantur. Multos habent errores, ut quod partes pœnitentiæ sint duæ tantum, contritio, et fides, id est, terrores conscientiæ et fides, qua credimus per Christum nobis remissa esse peccata. Vide Cochlæum in lib. de act. Lutheri.

Joannes Calvinus Noviodunensis Zuinglii discipulus, contempto magistro propriam familiam instituit an. 1538. Docuit, filios baptizatorum nasci sanctos: gratiam semel habitam non posse amitti; omnes veros fideles esse prædestinatos. Hæc, et his similia habentur in libris quatuor institutionis. Obiit an. 1567. morbo pediculari, teste Surio in historia ad hunc annum; et blasphemans, ac desperans, teste Hieronymo Balseco in ejus vita.

Michael Servetus Hispanus cum esset annorum 25. summum se orbis Prophetam esse jactabat. Scripsit autem libros septem de erroribus Trinitatis, in quibus docuit, nullam esse in Deo realem generationem: non esse in Deo personalem distinctionem: non debere homines baptizari, nisi anno 30. Tandem an. 1535 ab ipso Calvino Genevæ igni traditus est. Vide Jo. Cochlæum de actis Lutheri ad annum 1532 et Surium in historia ejusdem anni.

David Georgius Delphis in Batavia natus, prædicavit se esse eximium Prophetarum, et Filium Dei Christo Jesu majorem, et anno tertio post mortem resurrecturum, et regnum Israel restituturum. Sed jam anni circiter sexaginta ab ejus obitu præterierunt, et nondum surrexit, neque resurget, nisi in die novissimo cum aliis impostoribus gehennæ æternis ignibus cruciandus. Vide totam historiam apud Surium in historia anni 1555.

Gaspar Suvenchfeldius, unus ex Confessionistis, propria dogmata adinvenit, humanam Christi naturam post Ascensionem in divinam esse mutatam, et solo spiritu contentos nos esse debere, vocale verbum, tamquam occidentem litteram esse rejiciendum. Vide Fridericum Staphilum in lib. de concordia Lutheranorum.

Andreas Osiander, unus ex Confessionistis, sed propter novas hæreses, ipsis etiam Confessionistis Hæreticus, docuit, charitatem, et justitiam, et sapientiam, quibus homo justus, et sapiens est, esse ipsam Dei essentiam: et Christum justificare homines solum, juxta naturam divinam. Vide Fridericum loco citato, et Surium in historia anni 1551.

Jo. Brentius non minimus inter Confessionistas, docuit, Christi humanitatem ab ipsa incarnatione, semper fuisse ubique. Unde nati sunt ubiquistæ, adversus quos acriter diu pugnarunt Theodorus Beza, et alii. Vide Surium in historia anni 1564.

Matthias Flaccius illyricus auctor præcipuus historiæ centuriatæ Magdeburgensis, et Lutheranorum rigidorum pater, præter alia sanctissima dogmata, docuit peccatum originale esse substantiam. Vide in nostris controversiis lib. v. de amissione gratiæ c. 1.

Libertini auctore quodam Quintino Piccardo, docent, licitum esse simulare, et dissimulare fidem, et religionem, et cum omnibus communicare: unum esse tantum spiritum immortalem; Angelos, et animas hominum non esse immortales: Christum non vere obiisse in cruce, sed opinione tantum. Alia multa docent, sed clam, et inter se. Quorum non alium auctorem habeo, nisi Joannem Calvinum, hæresiarcham, in libro contra Libertinos, ubi dicit sibi notum esse, multa millia esse in hac secta.

Valentinus Gentilis patria Consentinus an. 1558. Arianismum renovans docere cœpit, tres personas divinas esse tres spiritus æternos, essentiali numero differentes: sed Patrem esse majorem Filio, et Spiritu sancto. Ob quam hæresim ab ipsis Hæreticis Berææ capite plexus est. Exstat hæc historia apud Benedictum Aretium, auctorem damnatum, quem citamus, quia alios non habemus.

Franciscus David cum cæteris ministris Transylv., novis Samosa., et Ebion.: docent, solum Patrem esse Deum verum; Filium, et Spiritum sanctum esse virtutes Dei, non distinctas a Patre persona, vel relatione, vel essentia. Christum esse purum hominem, sed dici Verbum Dei, quia verba Dei annuntiavit, quomodo Jo. Baptista dicitur vox. Vide, si placet, in nostris controversiis, lib. 1. de Christo cap. 1. et 2.

VARIA.

Anno 42. Augusti inchoante nascitur Jesus Christus. Num anno 15. Tiberii compleverat Jesus an. 30. (Luc. III.) ergo an. 1. Tiberii compleverat Jesus annos 15.: ergo si demus ex annis Augusti quindecim ann., concurret an. primus Christi cum an. 42. Aug.

Christus mortuus est, et resurrexit, et Petrum Ecclesiæ præfecit, anno suo 34. Scribit enim Beda lib. de ratione temporum cap 45. Fidem Ecclesiæ habere vixisse Christum in carne mortali, paulo amplius triginta tribus annis.

Concilium primum Hierosolymitanum sub S. Petro, anno Domini 51.

Eusebius in chronico scribit, Neronem imperasse annis 14. m. 8., sed non ita est: imperavit enim annis 13. m. 7. ex Suetonio Dione, et aliis. Proinde S. Petrus non fuit crucifixus anno 14. Neronis, ut S. Hieronymus, Eusebium secutus 9 scripsit, in lib. de script. Eccl. sed ann. 13 alioqui martyrium S. Petri non contigisset die 29. Junii, ut Ecclesia celebrat. Obiit enim Nero die 10 junii anno 14.

Anno 1. Vespasiani Hierusalem capitur, incenditur, evertitur, ut non remaneret in ea lapis super lapidem, juxta prædictionem Domini. Luc. XIX.

Secunda persecutio sub Domitiano.

Domitianus, qui se Dominum, ac Deum haberi, et dici volebat, misere confoditur.

Persecutio tertia sub Trajano.

Hic Trajanus vir optimus existimatus est ab infidelibus, ita ut acclamarent novis principibus, Augusto felicior, Trajano melior, Eutropio teste: fuit tamen vino deditus, et puerorum amoribus. Dione teste, quæ illi vitia non agnoscebant, cum sint enormia, et contra naturam.

Persecutio quarta sub Antonino.

Hoc tempore quæstio de Festo Paschæ celebrando die Dominico, an cum Hebræis decima quarta Luna, diu Ecclesiam vexavit.

Lucius rex Britannorum ab Eleutherio Pontifice petit et impetrat, qui eum cum sua gente Christianum faciant. Beda, Ado, et alii in martyrologio et Tertullianus lib. adversus Judæos cap. 7.

Quinta persecutio sub Severo; qui annis fere decem Christianos pacem habere permisit, sed postea crudeliter occidi mandavit.

Heliogabalus et Severus adolescentes consobrini, unus post alterum imperium rexit, illo nihil turpius, et nequius: isto nihil justius, et sanctius, si fides ei Christi non defuisset. Ubique scribi jubebat, « Quod tibi non vis, alteri ne feceris. »

Sexta persecutio sub Maximino.

Fabianus descensu columbæ cœlitus missæ declaratus fuit a Deo Pontifex futurus. Euseb. lib. VI. hist. cap. 22.

Septima persecutio sub Decio imperat. quam continuarunt Gallus et Volusianus.

Primum schisma in Rom. Ecclesia Novatiani Antipapæ contra Cornelium.

Gothi Rom. imperium infestare incipiunt.

Octava persecutio sub Valeriano, quem Sapores rex Persarum a se captum, vi issime habuit, ut etiam dorsum ejus calcaret cum equum ascendere vellet.

Nona persecutio sub Aureliano, vel ejus Præfectis.

Probus imperator fortissimus a Chroco rege Allemannorum Gallias liberat, cæsis quadringentis millibus hostium (Vopiscus), et tunc simul Ecclesia Gallicana post longas persecutiones aliquantulum requievit. Gregorius Turonicus lib. 1. cap. 32.

Carus imperator quamvis Ethnicus, Ecclesiam Thessalonicensem a tributis immunem facit, lib. VIII. cod. de sacrosanctis Ecclesiis.

Diocletianus Carino devicto, Maximianum collegam assumit anno imperii tertio.

Decima persecutio sævissima sub Diocletiano, et Maximiano qui nihilominus cum non possent prævalere, deposuerunt imperium, tradentes illud Constantio, et Galerio. Galerius. Maximum et Licinium imperatores fecit: et Romæ Maxentius, Maximiani filius, Imperium assumpsit, sed brevi; omnibus extinctis, solus Constantinus feliciter totum orbem Romanum diu tenuit.

Concilium generale primum Nicenæ habitum 318. Episcoporum, in quo Arius damnatus fuit.

Persecutio XI. sub Constantio Ariano.

Schisma secundum Felicis cum Liberio: sed uterque aliquo tempore legitimus fuit.

Persecutio XII. sub Juli. atrox, sed brevis.

Persecutio XIII. sub Valente Ariano.

Schisma III. Ursicini contra Damasum.

Secunda Synodus generalis, prima Constantinopolitana, contra Macedonium, et alios negantes divinitatem Spiritus sancti.

Circa hæc tempora . Augustinus instituit ordinem Clericorum Regularium : qui simul cum scipso vitam communem agebant.

Ann. 410. Roma capta est ab Alarico rege, anni 1102. ab ejus conditione.

Schisma IV. Eulalii contra Bonifacium.

Hoc tempore conditur civitas Venetiarum anno Dom. 421.

Tertia Synodus generalis habetur Ephesi an. Domini 431. contra Nestorium.

Attila rex Hunnorum flagellat Italiam.

Quarta Synodus generalis habetur Chalcedone, anno 481. contra Eutychetem, et Dioscorum.

Vesuvius mons Campaniæ, qui anno primo Titi imp. ingentem copiam minutissimi pulveris evomuerat, teste Suetonio et aliis : iterum hoc tempore, anno 471. ita immensam copiam evomuit, ut totam fere Europam obtenebraret. Marcellin. et alii. Et non diu postea tempore Theodorici regis Italiæ idem accidit, quam eruptionem pulchre describit Cassiodorus lib. IV. variarum, epistola quinquagesima.

In Augustulo defecit imperium occidentale, ut in Augusto cœpit. Julius enim Cæsar dictator perpetuus fuit, non proprie imperator, quamvis re ipsa imperaret.

Odoacer etiam, et Theodoricus, non imperatores, sed reges Italiæ dici voluerunt.

Hoc tempore persecutio Vandalica in Africa Catholicos crudeliter vexabat.

Hoc eodem tempore imperator Anastasius Eutychianus Hæreticus erat. Reges Italiæ, Hispaniæ, et Africæ, Ariani. Reges Francorum, Anglorum, Germanorum, Pagani, et tamen Christiana Ecclesia destrui non potuit, quia fundata est super petram, et portæ inferi adversus eam non prævalebunt.

Schisma quintum Laurentii contra Symmachum.

Ordo Monachorum Sancti Benedicti hoc tempore incipit.

Theodoricus Rex Arianus : sed alioqui prudens et Ecclesiæ Romanæ, et summo Pontifici multum honoris deferens, et ideo feliciter regnans, ubi Joannem Pontificem in carcerem conjecit, et Symmachum ac Boetium interfecit, eodem anno miserrime cum regno vitam amisit.

Bonifacius secundus successorem sibi elegit Viglium, sed cassavit paulo post electionem illam quam sentiebat omnibus displicere.

Schisma VII. per Vigilium contra Silverium.

Vigilius, qui corruptus ambitione schisma fecerat, et multa mala promiserat Augustæ, mox ut legitimus Pontifex esse cœpit, a Deo mutatus constantissime restitit Augustæ, et pro fide Catholica fortissime dimicavit.

Quinta Synodus generalis Constantinopolitana secunda.

Post Teiam nullus amplius fuit rex Gothorum in Italia : sed Narses titulo Ducis eam rexit, sed paulo post irritatus ab uxore Justiniani, Longobardos in Italiam vocavit.

Alboinus rex Longobardorum, regnare cœpit in Italia anno 568. Sed brevi occisus fuit, ut etiam ejus successor Clephis, deinde per annos decem rege caruerunt Longobardi, et duces multi Provincias sibi diviserunt, donec iterum Autaris rex electus est : cæterum Longobardi nunquam tota Italia potiti sunt : semper enim partem Italiæ cum ipsa Urbe imperatores Græci per Exarchos tenuerunt.

Anno 589. inundatio Tiberis maxima quam secuta est pestis gravissima.

S. Gregorius Papa missis in Angliam Sanctis Monachis, Augustino, et Sociis, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, magnam partem Anglî Saxonum a Paganismo ad Fidem Christi convertit, merito a Beda vocatus Apostolus Anglorum.

Sub hoc Pontifice templum Agrippæ, quod Pantheon dicebatur, consecratum fuit B. Mariæ Virgini, et omnibus sanctis Martyribus, Romæ Phoca imperatore consentiente.

Heraclius dum Catholicus esset, a Deo protectus, Persas magnis cladibus affecit, et lignum Sanctæ Crucis recuperavit, sed postea Hæreticus Monothelita factus, imbellis, et inglorius infelicissimo exitu periit.

Mahometes pestis orbis terrarum hoc tempore sectam suam inchoavit, et anno Domini 629. regnum Saracenorum occupavit.

Honorius Papa accusatur a Græcis, quod faverit Monothelitis : sed egregie defenditur a Sancto Maximo Græco, auctore illius temporis, et Martyre.

Ab hoc anno regnum Francorum per magistros domus gubernari cœpit, solo fere nomine regibus relicto : quod genus regiminis continuatum est usque ad Pipinum, id est, usque ad annum Domini 750. Sigebertus, et alii.

Sub Adeodato Pontifice, ac de ejus licentia Veneti ducem eligere incipiunt. Petrus Justinian. lib. 1. hist. Ven.

Hoc anno cometa tribus mensibus arsit, et tribus annis sequentibus non pluit.

Sexta Synodus Generalis Constantinopolitana tertia, contra Monothelitas.

Anno 608. post eclipsim lunæ, gravissima pestis grassari cœpit in Urbe, quæ non cessavit, nisi altari sancto Sebastiano Martyri erecto in Ecclesia Sancti Petri ad Vincula. Paulus Diaconus.

S. Kilianus Monachus Hibernus per hæc tempora Francis Orientalibus evangelizat fidem, et eorum appellatur Apostolus.

Anno 690. celebratur Synodus quinisexta, unde sunt Canones Trullani ; quam Beda merito erraticam vocat, et a Sergio Papa rejectam fuisse testatur in lib. de sex ætatibus.

Hic Aripertus restituit Alpes Coctias Rom. Ecclesiæ. Paulus Diaconus, et Leo Ostiensis.

Constantino Pontifici Constantinopolim proficiscenti, Nicomediæ imperator occurrens prostratus, publice pedes deosculatur. Anastasius in vita Constantini.

Per hæc tempora regnat in Anglia Ina rex, qui anno Domini 740. Gregorii tertii, 10. fecit regnum suum vectigale Apostolicæ Sedi. Polydorus.

Hoc anno contigit inundatio Tiberis maxima. Item admiranda visio de pœnis purgatorii, et inferni cujusdam qui a mortuis surrexit, et scripta est a S. Bonifacio Episcopo, et Martyre, in Epistola quam integre ponit Card. Baronius in tomo Annalium IX.

Itachis cum ut hostis contra Ecclesiam Romanam armatus veniret, a Zacharia Pontifice non solum placatus est, sed etiam ita permotus, ut Monachus in monte Cassino sanctus fuerit.

Hoc anno Pepinus auctoritate Pontificis Zachariæ Rex Francorum efficitur.

Schisma octavum per Theophylactum Antipapam.

Constantinus Sopronicus cum moreretur clamabat : Vivens adhuc igni sum inextinguibili traditus. Cedrenus et alii.

Notent, et horreant nostri temporis Iconomachi.

Primus Episcopus datus Venetis ab Hadriano Papa, anno 772. Obeliatu nomine. Sabellicus Enn. 8. l. 8.

Anno 774. Carolus rex Francorum singulos gradus scalarum Basilicæ S. Petri deosculatus ad Pontificem ascendit, qui eum in atrio super gradus expectabat. Anast.

Septima Synodus generalis, Nicena secunda.

Anno 791, mense Decembri inaudita contingit Romæ inundatio Tiberis a Ponte Milvio usque ad Pontem S. Petri ut etiam supra muros Urbis aqua elevaretur. Anastasios.

Leo Papa tertius transfert imperium occidentale a Græcis ad Francos anno 800. die natalis Domini : qui annus ab aliis dicitur 801. quia a natali Domini annos numerant.

Anno 797. Constantinus imperator ab Irene matre excæcatus est : et sol mirabili prodigio, per dies septemdecim obscuratus mansit.

Schisma nonum per Zinzinum Antipapam.

Theophilus Balbi successor persecutionem in Catholicos continuit, ob cultum sacrarum imaginum.

Inter Leonem IV et Benedictum III. fingitur Joannes, femina.

Schisma decimum per Anastasium Antipapam.

Anno 848 Leo IV. Urbem Leoninam condidit adversus irruptiones Saracenorum. Ita Basilica S. Petri, quæ extra urbem erat, intra Urbem cepit.

Nicolai primi tempore Tiberis ex alvo suo egressus, bis Urbem gravissime afflixit.

Octava Synodus generalis, Constantinopolitana quarta, contra Photium pro Sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano.

His temporibus agitur alia Synodus Constantinopolitana pro restitutione Photii, in qua vix credi potest quanta impudentia Photii falsaverit litteras Romani Pontificis et legatos ejus deceperit. Vide Concilia generalia Romæ edita, anno 1611.

Post Carolum Crassum magna est orta perturbatio in imperio. Alios enim creabant Germani, alios Itali. Vide tomum decimum Annal. Card. Baron.

Schisma undecimum Sergii Antipapæ contra Formosum.

Formosus Papa doctrina et sanctitate insignis fuit, quicquid aliqui dicant. Id testatur Luitprandus, qui eo tempore vixit ; et ex operibus ejus id ipsum demonstrat Card. Baronius tomo x. annalium : quod autem in ejus memoriam peccavit ex ignorantia successor ejus Stephanus VII, reformavit postea Joannes IX.

Ordo Cluniacensis.

Anno 925. apud Cordubam nobilissimus et formosissimus puer Sanctus Pelagius, annorum tredecim, pro fide et castitate fortiter pugnans, crudelissimo supplicio interficitur a rege Arabum, Habdarragmau. Vide appendicem ad Eulogium.

Anno 938. Sanctus Venceslaus Bohemiæ princeps optimus a proprio Fratre necatus inter sanctos Martyres numeratur.

Anno 950. Ramirus rex Legionensis fortissimus Saracenos ad internecionem delevit, prælio ingenti apud Talavera commisso.

Hoc anno Otho primus coronatur : ideo ab hoc anno multi numerant annos imperii ipsius.

Schisma duodecimum inter Leonem, et Benedictum, et Joannem duodecimum.

Leo octavus initio non fuit legitimus Pontifex : quia creatus fuit ab imperatore, Joanne XXII. adhuc vivente. Sed mortuo Joanne, et abdicante se Benedicto, cœpit esse legitimus ; sed non diu supervixit.

Vide sæculum infelix in quo nulli scriptores illustres, nulla Concilia, Pontifices parum solliciti de rep. Sed divina providentia fecit, ut nullæ surgerent hæreses novæ.

Otho III. accusatus, quod innocentem Comitem occidisset, adductus precibus uxoris, quæ se ab illo de pudicitia postulatam dixerat : cum contra illa Comitem castissimum sollicitasset : paratus erat et ipse occidi, nisi proceres impedivissent, et impudicam ac injustam uxorem comburi jussissent. Vide Gotifredum Viterbiensem.

Schisma XIII. per Antipapam Joannem contra Gregorium quintum.

De hoc Gregorio multa fabulantur aliqui. Sed vere fuit vir magnus, doctus et pius, ut ex inscriptione sepulcri ejus, quæ exstat in Ecclesia Lateranensi, cognosci potest.

Sed quoniam philosophiæ et geometriæ peritus erat, indoctum vulgus existimavit necromanticum fuisse, et cum Diabolo pactum habuisse.

Ordo Camaldulensium auctore S. Romualdo.

Anno 1009. Princeps Babylonis a perfidis Judæis excitatus basilicam Hierosolymitanam, ubi Domini sepulcrum conservatur, funditus evertit. Sed paulo post mater principis ejusdem, quæ Christiana erat, eamdem Basilicam majori nobilitate et splendore reædificandam curavit : et Judæi undique pelli cœperunt. Glabet.

His temporibus, quibus Pontifices Romani a pietate veterum degeneraverant, principes sæculi sanctitate florebant, talis imperator Henricus cum uxore Chunegunda : Romanus imp. Græcus Chnutus rex Daniæ, et Angliæ : Stephanus rex Hungariæ cum filio Sancto Emerico : Robertus Sanctus rex Francorum.

Schisma XIV. Sylvestri et Joannis, Antipaparum quibus sublatis, et Benedicto nono renuntiante, creatus est Gregorius IV.

Gregorius VI. depositus fuit tamquam simoniacus a Concilio quodam Sutrino, præsente imperatore. Sed viri gravissimi sentiunt, Concilium illud egisse, quod non poterat : et Gregorium non fuisse simoniacum, sed virum optimum. Vide Card. Baronium tomo. XI.

Leo IX. miraculis claruit. Leo Ostiensis libro II. cap. 88.

Schisma XV. per Benedictum Antipapam.

Schisma XVI. per Honorium Antipapam, qui Cadalous dicebatur, contra Alexandrum, qui etiam miraculis claruit.

Gregorius VII. miraculis multis claruit : teste Lamberto Scaphnaburgensi.

Schisma XVII per Guibertum, qui Clementi dici voluit.

Ordo vallis umbrosæ, auctore S. Joanne Gualberto.

Petrus Igneius Cardinalis sic nominatus, quod cum esset Monachus, jussu Sancti Joann. Gualberti, per ignem maximum illæsus transivit, ut probaret, Episcopum Florentium per simoniam ascendisse ad Episcopatum.

Schisma XVIII. Alberti, et Theodorici contra Paschalem.

Ordo Cisterciensis auctore S. Roberto.

Ordo Canonicorum Regularium.

Ordo equitum S. Joannis Hierosolymitani anno Domini 1113. sub Paschali.

Concilium Generale Lateranense primum anno 1119. sub Calixto II. Pontefice.

Ordo Templariorum anno eodem 1119.

Ordo Præmonstratensium.

Ordo militum Teutonicorum.

Schisma XIX Petri Leonis contra Innocentium II.

Concilium Generale Lateranense II. sub Innocentio II. anno 1139.

Hadrianus Papa quartus, natione Anglus, vir sapiens, et pius Hiberniam insulam Henrico secundo regi Anglorum concessit, ea conditione, ut in ea insula virtutes plantaret, et vitia eradicaret : ut a singulis domibus quotannis denarium S. Petro pendi curaret : ut jura Ecclesiastica illibata servaret. Exstat diploma to. XII. an. Card. Baro.

Schisma 21. Victoris Calixti, et Paschalis contra Alexandrum.

Concilium generale, Lateranense tertium, sub Alexandro III ann. 1180.

Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III anno 1180. Item ab Innocentio III. an. 1199. Item ab Honorio III. anno 1216 ; mitigatur ab Innocentio IV. anno 1248.

Ordo Cruciferorum dicitur confirmatus a Cœlestino III. ann. 1197.

Ordo Minorum confirmatur ab Innocentio III. et postea ab Honorio III.

Concilium generale, Lateranense quartum, sub Innocentio III. an. 1215.

Ordo redemptionis captivorum confirmatur ab Innocent. III.

Ordo Prædicatorum confirmatur ab Honorio III.

Ordo Sanctimonialium sanctæ Claræ, quæ sequuntur regulam fratrum Minorum, confirmatur.

Ordo Eremitarum Sancti Augusti ab Innocentio IV, hoc nomen accepit, cum antea Guglielmiti dicerentur.

Ordo Sylvestrinorum confirmatur ab Innocentio IV. anno 1248.

Concilium generale, Lugdunense primum, sub Innocentio IV. in quo deponitur Fridericus imperator, et decernitur expeditio pro terra sancta recuperanda.

Ordo Eremitarum S. Augustini ab Alexandro IV. reducitur ad unum et eumdem habitum, qui hodie est in usu.

Albigensium ad centum millia vincuntur, divino miraculo, ab octo milibus Catholicorum duce Simone, Comite Montis fortis Æmilius libro VI. hist. Francorum.

Concilium generale, Lugdunense secundum sub Gregorio X. pro unione Græcorum cum Latinis.

Mirum, cur iste Joannes Papa dicit voluerit XXI. cum nullus præcesserit XX.

Cœlestinus Papa, raro exemplo, dimissa sponte summa dignitate, ad monasterium rediit.

Ordo Cœlestinorum.

Ordo servorum B. Mariæ.

Hoc anno incipit Jubilæum, centesimo quoque anno celebrandum.

Hic Pontifex transtulit Sedem Apostolicam in Galliam, ubi mansit annis circiter septuaginta.

Concilium generale Viennense, sub Clemente V. in quo deletus fuit ordo templariorum.

Anno 1327. opera Ludovici imperat. schisma 22. factum est Nicolai Antipapæ contra Joannem.

Ordo equitum Christi in Lusitania incipit.

An. 1330. Clemens Papa revocat Jubilæum, ad annum quinquagesimum.

Ordo Jesuitorum, auctore B. Joanne Columbin. Senense.

Gregorius Papa reducit sedem ad Urbem.

Ordo Montis Oliveti.

Schism. 23. omnium gravissimum, et longissimum, Clementis Antipapæ contra Urbanum VI. Nam Clementi successit in chismate Bened. XIII, cui schismati volens Conc. Pisanum remedium adhibere, illud auxit, creato Alexandro V. ; inde enim tres Pontifices simul sedebant ; Gregorius XII. Benedictus XIII et Alexander V. et paulo post Joann. XXIII.

Ordo S. Hieronymi.

Ordo Scoperum.

Ordo sancti Georgii de Alga.

Concil. generale Constantiense, pro schismate tollendo, in quo Gregorius XII, abdicavit se sponte ; idem paulo post fecit Joann. XXIII.

Benedictus fuit depositus, sed noluit dimittere prehensam dignitatem.

Schisma 25. Clementis Antipapæ contra Martinum V. mortuo Benedicto XIII. ann. 1424.

Schisma 26. Felicis Antipapæ contra Eugenium IV. an. 1439.

Concil. gene. Florentinum sub Eugenio IV. pro unione Græcorum cum Latinis.

Constantinopolis capitur a Turcis ann. 1452, in ipsis feriis Pentecostes ; sic Deo ulciscente perfidiam Græcorum circa processionem Spiritus sancti a Patre, et Filio.

Sixtus IV revocavit Jubilæum ad annos 25.

Hic Hermannus videtur fuisse omnium Hæreticorum perdidissimus, et stultissimus quippe, qui cum doceret, animum mori cum corpore : tamen maluit vivus exuri, quam suam hæresim revocare.

Concilium generale Lateranense quintum inchoatur sub Julio an. 1511. et absolvitur sub Leone anno 1518.

Equitibus Rhodiensibus fortissime resi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stentibus, Rhodus insula capitur, non sine magna clade Turcarum.

Ordo Clericorum Regularium confirmatur a Clemente VII ann. 1524. Ordo Capucinorum ab eodem 1530.

Ordo Clericorum S. Pauli ab eodem ann. 1533.

Henricus VIII, rex Angliæ anno 1535, ab Ecclesia Catholica deficiens caput Ecclesiæ Anglicanæ dici voluit : et repugnantes Joannem Roffenses et Thomas Morum cum aliis multis occidit.

Anno 1540. Ordo Societatis Jesu auctore B Ignatio Loyola, confirmatur a Paulo III.

Concilium Tridentinum generale inchoatur anno 1545.

Regnum Angliæ sub Julio Contifice, et Catharina regina Angliæ, ad Ecclesiæ unitatem redit : sed post paucos annos sub Elisabetha regina Hæretica iterum ad schisma et hæresim revertitur.

